43
4 F
1

HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOMUS PRIMUS.

HISTORIA ECCLESIASTICA

PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

AUCTORE

GASPARE SACCARELLO
TAURINENSI
CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS PRIMUS

AB ASCENSIONE JESU CHRISTI
SEU AB ANNO ÆRÆ VULG. 32. AD AN. 56.

PRÆMITTITUR APPARATUS EXHIBENS COMPENDIUM HISTORIÆ AB ORBE CONDITO AD AN. CHRISTI 32.

ROMÆ MDCCLXXI.
EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

Hiſtoriam communem generis humani magiſtram, atque doctricem Jure dixerim. Unde nil præſtabilius, quam multifaria hiſtoriarum cognitione mentem refertam habere.

Theoph. Simocatta proemi in hiſt. Mauricii Imp. hiſt. Bizant. edit. Pariſ. an. 1648.

BEATISSIMO PATRI

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

GASPAR SACCARELLUS TAURINENSIS

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTER

FELICITATEM.

ETsi plures, eaſque ſane non vulgares adeſſe mihi cauſſas intelligebam, CLEMENS PONTIFEX MAXIME, cur primum hoc Hiſtoriæ Ec-

cle-

cleſiaſticæ volumen Tuo Nomini ac Majeſtati inſcriberem dedicaremque; quin tamen auderem modo, quod jamdiu conſtitueram, & vehementer optabam, multa me magnopere deterrebant. Videbam equidem rerum omnium, quas in hoc libro ſum perſequutus, eam eſſe rationem, ut ad Te præcipuo quodam jure pertinere, tuumque Patrocinium expoſcere viderentur. Cui enim potiſſimum Rerum Chriſtianarum origines atque incrementa, Apoſtolorum, & Petri præſertim res adeo præclare ſancteque geſtas, Romanæ Cathedræ inſtitutionem, Dignitatem, Jura, eorumque ab inimicorum hominum calum-

niis vindicias nuncupandas existimarem, quam Tibi, PATER BEATISSIME, qui, uti olim vere sapienterque Bernardus (a), non Apostolorum modo, sed *Petri hæres es*, & *orbis hæreditas*? *Qui es Sacerdos magnus*; *Summus Pontifex*, *Princeps Episcoporum*; *unctione Christus*, *Potestate Petrus*, cujus adhuc *in sua Sede vivit potestas*, & *excellit auctoritas* (b)? Recolebam præterea Cæsarem Cardinalem Baronium, summa pietate & doctrina Virum, dum inter hujusce Vallicellani Oratorii Presbyteros versaretur, primum Annalium Ecclesiasticorum volumen

(a) S. Bernardus de Considerat. lib. 2. cap. 8. & lib. 3. cap. 1.

(b) S. Leo Serm. 2. de assumpt. sua Edit. Ballerin.

men Sixto V. Pontifici vere Maximo conſecraſſe; quod admonere tacite videbatur, ut ipſe quoque Hiſtoriam Eccleſiaſticam editurus SANCTITATIS TUÆ præſidium operi compararem, quæ ex eodem inclyto Conventualium Ordine, iiſdemque ferme virtutum meritis, tam mira Divini Numinis Providentia in tantam hanc honoris & Dignitatis amplitudinem evecta eſt. Accedebat denique, quod optanti mihi dudum, vehementerque publicam aliquam obſequii erga Te mei teſtificationem proferre, nullam unquam meis magis rationibus accommodatam occaſionem contingere poſſe plane cognoſcebam. Verum

eximiam Tuam, PATER BEATISSIME, in Theologicis præſertim, ceteriſque Eccleſiaſticis Diſciplinis peritiam, ac cognitionem mecum reputans, concidebam animo; atque ab officio penitus deterrebar. Verebar enim præſtans judicium, ſingularemque excellentiam ingenii Tui; verebar eruditionem atque intelligentiam; verebar in ferenda ſententia perſpicaciam, & æquitatem; meaſque lucubrationes indignas eſſe cenſebam, quæ ad Sapientiſſimi Principis judicium deferrentur. Sed enim, quæ tam longe Tuis ceteris virtutibus excellit incredibilis ferme Benignitas, cunctantem adeo, formidantemque

continuo erexit; neque ſolum magno me animo eſſe juſſit, ſed certam etiam injecit ſpem fore, ut ad Te humillime accedentem benigniſſime ac peramanter exciperes. Quamobrem habe Tibi, CLEMENS PONTIFEX MAXIME, has qualeſcumque ſtudiorum meorum primitias, perennis erga Te obſequii monumentum; ac me Tibi ad Pedes proſtratum, diuturnamque Tibi vitam, incolumitatem, felicitatem adprecantem Tuo Patrocinio ne dedignare.

APPRO-

APPROBATIO.

REmi P. Thomæ Augustini Ricchinii Sacri Palatii Apostolici Magistri voluntati obsequutus, *Historiæ Ecclesiasticæ a Cl. Viro P. D. Gaspare Saccarello Congregationis Oratorii S. Philippii Nerii de Urbe Presbytero*, naviter, sapienterque concinnatæ, Tomum primum legi, nihilque in eo, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adversetur inveni; quare si iis, ad quos spectat, videbitur, dignum publica luce donari posse censeo.

In quorum fidem &c. E Bibliotheca Vaticana die 12. Januarii 1771.

Steph. Evodius Assemanus Archiep. Apameæ Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.

Ita censeo & ego Simon Ballerinius SS. Dñi Papæ a Cubiculo honorarius, & Bibliothecæ Barberinæ Præfectus.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dom. Jord. Patriarch. Antioch. Vicesg.

IMPRIMATUR.

F. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

PRÆFATIO.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

QUamquam cum noſtra, tum ſuperiore ætate quam plurimi ſingulari & doctrina, & eruditione præſtantes viri ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam animum adverterint, eamque innumeris ferme, varia methodo, varioque linguarum genere elucubratis, editiſque Libris illuſtraverint; inter eos tamen, qui eam latine ſunt perſequuti, ſi Compendiorum Scriptores excipias, Cardinalem Cæſarem Baronium, & Natalem Alexandrum, tum nitidum eruditumque Graveſonium, ut præteream Rainaldum, atque Spondanum Baronii Continuatores, utilitate, & uſu ceteris antecellere, doctorum omnium judicio compertum eſt. Ceterum cum ad Annales Eccleſiaſticos conſcribendos primus Baronius acceſſerit, iiſque præterea temporibus, quibus & pleraque magnis

magnis adhuc erant difficultatibus obſita, quæ deinceps criticæ facultatis ſtudio ſunt illuſtrata, & plurima, quæ poſthac prodiere, ad Hiſtoriam probe cognoſcendam neceſſaria monumenta de liteſcebant; fieri minime potuit, quin acri ceteroquin ingenio & incredibili diligentia vir, tot tantiſque in tenebris pedem ſæpe ſæpius offenderet, & in multos, eoſque non leves errores incurreret. Quamobrem uti eximium quidem Baronii opus omnes adeo ſunt admirati, ut eum Eccleſiaſticorum Annalium Parentem ſumma conſenſione appellaverint; ita in ejus mendis notandis corrigendiſque certatim laboravere quotquot poſtea in hoc ſtudiorum genere aliqua cum laude verſati ſunt: & Pagius potiſſimum, qui Baronianam Hiſtorico-chronologicam Criticam quatuor in folio voluminibus evulgavit.

Atque multa quidem, chronologica præſertim, quæ antea diſſolvi non poſſe videbantur, enodavit Pagius; multa denſis tenebris circumfuſa in manifeſtam lucem eduxit; Baronium perperam pluries ab aliquibus impetitum ſtrenue vindicavit; ſæpiſſime etiam, & longe quam exiſtimari poſſit frequentius additamenta e Scriptoribus poſt Baronii fatum vulgatis exhibuit: Quæ omnia ſane dici vix poſſit quo ſint adjumento Baronii volumina evolventibus. Verum Hiſtoriæ Chriſtianæ ſtudioſis non omnino, & quantum oportuiſſet, Pagius conſuluit. Tantum enim abeſt, ut omnes Baronii errores emendaverit,

ut

ut plures quandoque ſuis animadverſionibus innuere potius, quam tollere videatur; quædam non raro carpat quæ dubia ſunt, nec interim ipſe meliora ſuggerat; & quæ bene a Baronio aſſerta fuerant, perperam corrigat. Illud præterea ſatis incommodum non adeo in hoc ſtudiorum genere exercitatis lectoribus accidere ſolet, ut ipſis ſcilicet res aliter a Baronio, aliter a Pagio interdum conſtitutas animadvertentibus aqua hæreat; & vix, ac ne vix quidem liceat a difficultatibus emergere. His accedit Baronii, & Pagii opus ſexdecim adeo ſpiſſis in folio Tomis conſtare, ut quemque vel ab illorum lectione ſuſcipienda facile dererreat. Quod porro ad Natalem Alexandrum attinet, hoc unum hic adnotabo; ipſum nempe non ad Hiſtoriam potiſſimum, ſed ad diſſertationes in potiora ejuſdem loca conſcribendas animum intendiſſe atque in iis elucubrandis ita eſſe verſatum, ut Theologum potius, quam Hiſtoricum egiſſe pleriſque videatur.

Itaque optatum jamdiu a pluribus, ut Eccleſiaſticos annales quis denuo refingendos ita ſuſciperet, ut præſtantioribus tantum, utilibuſque e Baronii & Pagii penu in novum opus traductis, iiſque præterea additis, quæ tot deinceps edita monumenta ſuppeditant, illud Hiſtoriæ Corpus exſurgeret, quod nec tenuitate deficeret, neque nimia vaſtitate ſatietatem eſſet lectoribus allaturum. Mirabatur ſane Dupinius, dolebatque nemi-

Biblioth. Sec. XVII. To. 1. pag. 7.

neminem adhuc operi manum admoviſſe, poſtquam potiſſimum Tillemontius ſex priorum ſeculorum Hiſtoriam, docte adeo & luculenter illuſtraverat. Sed noſtra hac ætate dolendum eo vehementius videtur, quo ampliora ad id præſidia magnorum Virorum ſtudio ſunt comparata. Quem enim latet uberrimam rerum novarum meſſem poſt Dupinium nobis ſuccreviſſe ex Dacherii, Martenii, Pezii, aliorumque Anecdotorum Theſauris, Muratorii voluminibus Rerum & Antiquitatum Italicarum, Operis Bollandiani continuatione, Eccardi, Menkenii, Ludevvigii, aliiſque pluribus hujuſmodi Collectionibus? Adde Faſtos Conſulares improbo labore & diligentia ad lapidum ac monumentorum fidem iterum exactos; Noviſſimas veterum Scriptorum, SS. Patrum, Conciliorum Editiones Codicum ope adeo emendatas, atque omni præſidiorum genere adornatas; omnia denique ad Hiſtoriam recte pertractandam utilia, poſtremis hiſce temporibus nova luce perfuſa.

Rem quidem hoc ineunte ſeculo aggreſſi ſunt magna ingenii & eruditionis laude apud Heterodoxos præſertim Joannes Clericus, & Samuel Baſnagius; Sed primi tantum, & ſecundi ſeculi Annales edidit Clericus; Baſnagius vero in Septimi initio ſubſtitit. Præterea cum a Catholica communione ambo eſſent alieni, id unum in ſcribendo præ oculis habuiſſe videntur, ut ſcilicet Romanam Eccleſiam fœdiſſime proſcinderent,

rent, atque antiquitate ad Gregalium errores tuendos impie abuterentur. Quam effrenis in ſcribendo Clericus fuerit, nullus ignorat, & quamvis de ipſius religione ab heterodoxorum pleriſque fuerit dubitatum, Pelagianis tamen Socinianiſque uſque adeo favit, ut iis merito adcenſeri poſſe videatur. Calvinianorum caſtra ſequebatur Baſnagius; & quo ſe in ſcribendo æquiorem præbere ſtuduit, eo ſane vehementius Catholicorum Fidem, Traditiones, Ritus evertendos ſuſcepit. Et ſane moræ veluti impatiens, vel in ipſa Præfatione virus evomit; & Neſtorium ab Epheſina Synodo Hæreſis immerito damnatum fuiſſe jactat, ac vetuſtiſſimum Euchariſtiæ ſervandæ, eamque morituris fidelibus deferendæ ritum totis viribus impetit, oppugnatque.

Cum hæc igitur mecum ſedulo cogitarem, & Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudiis magnopere delectarer; iis me totum continuo dedidi, atque in id unice incumbendum deinceps ſtatui, ut opportunis ad rem perſequendam præſidiis comparatis, ea, quam paullo ante innui ratione, univerſam Eccleſiæ Hiſtoriam retexerem. Quamvis enim me tanto operi imparem prorſus eſſe probe cognoſcerem; audendum tamen exiſtimavi, & improbo labore ac indefeſſa diligentia curandum, ut ſin minus integram, & omnibus numeris abſolutam ſcriptionem proferrem, alios ſaltem in-

genio magis & doctrina præstantes, ad perfectius & melius quiddam elucubrandum meo ipse exemplo excitarem. Accidit interea, ut me summo Dei beneficio, in hoc Vallicellano Oratorio S. Philippi Nerii Institutis addicerem; quod dici vix potest quam mihi jam sponte currenti fuerit incitamento. Etenim cum hic primum Ecclesiasticos Annales a Baronio conscriptos, & a Raynaldo, atque Laderchio deinde prosequutos esse mecum ipse reputarem; hic eosdem refingi potissimum decere facile quoque intelligebam. Quamobrem in proposito alacrius quotidie permanens, magnam denique post multos annos itineris partem emensus sum, & plures susceptæ Historiæ Tomos absolvi. Utrum res feliciter, & ex voto cesserit, nec ne, alii facile judicabunt ex hoc primo, quem ad publicum hac de re judicium explorandum interea evulgo; reliquos quamprimum editurus, si meos qualescumque labores non omnino a rerum Ecclesiasticarum peritis improbari intellexero.

Porro cum Chronologiæ potissimum in Historicis ratio habenda sit, Annalium methodum, qua res gestæ suos quæque in annos referuntur, ceteris omnibus anteferendam duxi, non Baronii modo, sed veterum, præstantiorumque Scriptorum in hoc exempla sequutus. *Quemadmodum enim*, inquit vere Chrysostomus, *termini fines-*

Hom. 2. de Ofia.

fineſque in agris fundos miſceri non patiuntur; ita & tempora res invicem confundi non ſinunt: verum ab invicem ea ſeparantia, & ſecundum debitum ordinem ea diſponentia, magna confuſione nos liberant. Ut vera a falſis, certa a dubiis, ſincera ab apocryphis ſecernerem, quam diligenter curavi; & rerum geſtarum temporumque rationem ita recenſui, ut nihil ferme proferrem, quod non gravibus probatiſſimiſque teſtibus firmaretur: Quorum idcirco loca vel diligentiſſime ex accuratioribus editionibus in libri ora adnotavi, vel integra ſæpe ſæpius adduxi, ne cui forte dubium ſuboriretur quidquam a me temere quandoque dictum, & a ſincera hiſtoriæ fide alienum. Neque tamen adeo Scriptorum cum veterum, tum recentium nomini & auctoritati tribui, ut quæcumque litteris prodiderunt continuo amplectenda putaverim; ſed omnia ad temperantis criticæ regulas adcuratiſſime expendi, & quæ minus veritati conſona viſa ſunt rejeci: *Solis enim*, uti ab Auguſtino monitum præclare memini, *Scripturæ libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam .... Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Ne quem vero con-

Epiſt. 82. ad Hieronym.

temptim, atque inciviliter haberem ſollicite curavi; & ſi qua in re, Patres potiſſimum, titubaſſe viſi ſunt mihi, aut ab illis utcumque diſceſſi, tantum abeſt, ut quidquam inde ipſorum auctoritati detractum velim, ut publice palamque cum Facundo Hermianenſi profitear, errores Patrum *luminarium eſſe defectus; quæ licet nonnumquam ſplendoris ſui detrimenta ſuſtineant, non tamen ammittunt luminaria eſſe quod ſunt*. Quamobrem ſi quæ in eorum libris offendi obſcure vel ambigue dicta, quæ ex aliis ipſorum ſententiis explicari excuſarique poſſent, tenere hoc potius mihi religioni fuit, quam illis falſæ aliquid opinionis adſcribere. Conjecturas interdum adhibui; verum id ea ſemper cautione præſtiti, ut ne iis plus, quam oporteat, indulgerem. Romanorum, & reliquarum Gentium civilem hiſtoriam tantum attigi, quantum ad Eccleſiaſticam probe cognoſcendam oportere judicavi; Res tamen Judaicas, arcto cum Chriſtianis nexu, primis præſertim Eccleſiæ temporibus, conjunctas, luſius aliquanto ſum perſequutus.

Lib. 6. pag. 262.

Præterea cum ægre viderem non modo Clericum, & Baſnagium, de quibus jam antea, ſed Fridericum Spanhemium, Thomam Ittigium, Jo: Laurentium Moſshemium, Jo: Georgium VValchium, Chriſtophorum Matthæum Pfaffium, alioſque plures a noſtris ſacris & inſtitutis alienos,

nos, poſt Centuriatores Magdeburgenſes veterem Eccleſiæ Hiſtoriam non ita pridem eo conſilio deſcripſiſſe, ut omnibus perturbatis, ac prorſus inverſis, S. R. E. dogmata, ritus, & inſtituta pene univerſa labefactarent, ac veluti nova, improba, & ſuperſtitioſa traducerent; e re valde futurum cenſui, ſi variis identidem obſervationibus, ac veluti excurſibus illorum errores repellerem, & noſtræ Fidei ac Diſciplinæ antiquitatem, ſanctitatem, præſtantiam pro viribus vindicarem. Etſi enim Pagio facile concedam id ad Theologos & Controverſiarum Tractatores potius, quam ad Hiſtoricum pertinere; cum tamen, vel ipſo fatente, jure ac laudabiliter adverſus Centuriatores ſuis in annalibus præſtiterit Baronius; idem contra nuperos Novatores a me quoque jure, & ſine ulla reprehenſione fieri poſſe ſum arbitratus. Denique, ut ſenſim lectores ad rerum Chriſtianarum notitiam manu veluti ducerentur, veterem hiſtoriam univerſam ab orbe condito uſque ad Chriſti Adſcenſionem, unde Annales exordiar, breviſſimo adparatu complexus ſum: Etenim vere docteque a Pagio dictum animadverti: *Novi Teſtamenti hiſtoriam ſine aliquali veteris notitia perfecte ſciri non poſſe.*

Præf. in crit. Bar. n. 3.

Loco cit. n. 21.

Hæc habebam, quæ de inſtituti operis ratione te paucis Lector humaniſſime, præmonerem. Tu interea meum de te benemerendi ſtudium æqui bonique conſule; & ſi aliqua occurrant,

rant, quæ minus accurate minuſque diligenter perſcripta ſint, occurrent autem, ut mihi facile perſuadeo, permulta; fac mihi quam primum omnia peramanter ſignifices: Sic enim velim exiſtimes, nihil mihi unquam jucundius fore, quam mea errata agnoſcere, & diligenter corrigere.



APPARATUS
AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

CCLESIASTICAM HISTORIAM editurus, operæ pretium me facturum arbitror, ſi celeberrimorum ſcriptorum, qui in eodem argumento cum laude verſati ſunt, veſtigia ſequens, hiſtoriæ veteris, ſeu a Mundi creatione, uſque ad Jeſu Chriſti adventum, ejuſque in Cælum aſcenſionem, & Sancti Spiritus ſupra Apoſtolos adventum, unde Eccleſiæ Annales exordiar, compendium ſaltem breviſſimum Lectorum oculis exhibuero. Græcorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptorum princeps Euſebius, ſuperiorum temporum breviarium ſeu chronicon hiſtoriæ ſuæ præmiſit. Sulpicius vero Severus, qui primus inter Latinos Eccleſiæ res ad conſulatum uſque Stilyconis duobus libris complexus eſt, ab Adam operis initium ſumendum exiſtimavit. Hos imitati ſunt deinde plerique, quorum aliqui id ita neceſſarium putarunt, ut Natalis Alexander hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ non modo veteris compendium, ſed abſolutiſſimum commentarium præfixerit. Pagius vero hæc de Baronio, qui hiſtoriam antiquam in apparatu vix attigerat, adnotaverit: *Baronius Appa-*

Apparatus neceſſitas, & utilitas.

Pagi App. ad ann. Bar. pag. 259.

Apparatum ad Annales Eccleſiaſticos præfixit, qui cum magis hiſtoricus, quàm chronologicus ſit, non tantum incipientes, ſed etiam aliquando doctiores irretitos tenet; Res enim Judaicæ, & Romanæ, quæ Annalibus Eccleſiaſticis neceſſario præmittendæ, in eo non ſatis fuſe, diſtinctèque tractatæ, cùm tamen lector, ad primum aeræ Chriſtianæ annum, ſenſim manuducendus ſit, ideoque & apparatus chronologicus eſſe debeat, & à Mundi exordio deduci, quia novi teſtamenti hiſtoria ſine aliquali veteris notitiâ perfectè ſciri non poteſt: Hactenus Pagius, cujus admonitione edocti, apparatum chronologicum ab Adam uſque ad Chriſti ortum, Ejuſque in Cælum aſcenſionem, Annalibus noſtris præmiſimus. Verum brevitati quammaxime ſtudentes eum ita digeſſimus, ut ſacræ, & prophanæ hiſtoriæ ſeriem lector ſub oculis haberet; nec tamen prolixitate operis gravaretur. Atque utinam ea de apparatu noſtro aliquatenus dici poſſint, quæ in Paulini Nolani ſcriptis mirabatur Auſonius quod nempe cum brevitate obſcurus non eſſet, nam *contra naturam eſt brevitas*, ut obſcura non ſit.

Auſoni epiſt. 29.

Illud porro emolumenti hinc potiſſimum Lector percipiet quòd religionis hiſtoriam per tot ſæcula, quot ab Adam uſque ad noſtram ætatem effluxerunt, variis licet ſignis adumbratam, & ſacrificiis expreſſam, aut ſacramentis exornatam, uno veluti ictu, ob oculos delineatam habebit, mirabiturque, Unum Deum in unitate naturæ, & in perſonarum diſtinctione Trinum, eumdemque Cœlorum, & terræ Conditorem, veræ religionis omni ævo principium, & ſcopum fuiſſe: Atque Eccleſiam, cujus Annales ſcripturi ſumus, cum Adamo ortam per ſingulas generationes & labentia ſæcula propagatam ad nos perveniſſe, qui eam poſteris tranſmittemus ad finem uſque temporum duraturam. In Chriſto enim Jeſu fundata qui ante omnia tempora à Patre genitus, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, ipſe Alfa, & Omega, Principium & Finis, per quem facta ſunt omnia, in tempore quidem humanam naturam aſſumpſit, miroque

que fœdere divinam, humanamque hypoſtatica unione ita conjunxit, ut nec inferiorem, ut ait Sanctus Leo, conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio: *Cum autem venit plenitudo temporis*, ut ait Apoſtolus, *miſit Deus filium ſuum factum ex muliere*. At idem licet in temporis plenitudine ex muliere natus, *a fine uſque ad finem attingit fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*; Et *ab origine Mundi occiſus*, ut in Apocalypſi legitur, idemque *Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula*. Idemque Deus, qui hominibus olim *locutus eſt in prophetis, noviſſimis temporibus* locutus eſt *nobis per Filium, per quem fecit & ſæcula*, Quapropter, ut uno ore docent Sancti Patres, quotquot ab origine Mundi ſalutem æternam conſecuti ſunt juſti homines, a Chriſto, & per Chriſtum eam adepti ſunt: *Hic*, ideſt Jeſus Chriſtus, ajebat Auguſtinus, *demonſtratus eſt antiquis Sanctis, ut ita ipſi per fidem futuræ paſſionis ejus, ſicut nos per fidem præteritæ, ſalvi fierent*: & alibi: *Ab initio generis humani alias occultius, alias evidentius, ſicut congruere temporibus divinitus viſum eſt, nec prophetari deſtitit, nec qui eum crederent, defuerunt*: & iterum: *Eademque fides eſt noſtra, & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum*. Quod & alibi elegantius adhuc, & aptiſſima ſimilitudine explicat: *Ejus*, inquit, *Eccleſiæ membra erant etiam illi Sancti, quamvis in hac vita fuerint, antequam ſecundum carnem Chriſtus Dominus naſceretur. Ipſe enim Unigenitus Dei Filius Verbum Patris, æquale, & coæternum Patri, per quod facta ſunt omnia, homo propter nos factus, ut totius Eccleſiæ tamquam totius corporis caput eſſet. Sed ſicut totus homo cum naſcitur, etiamſi manum in naſcendo præmittat, tamen univerſo corpori ſub capite conjuncta, & compacta eſt, quemadmodum etiam nonnulli ex ipſis Patriarchis, ad hujus ipſius rei ſignum, manu præmiſſa nati ſunt. Ita omnes Sancti, qui ante Domini noſtri Jeſu Chriſti nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati ſint, tamen univerſo corpori, cujus ille caput eſt,*

S. Leo epiſt 22. edit. Baller.

Ad Galat. 4.

Sapient. 8.

Apocalyp. 13.

Ad Hebr. 13.

Auguſt. Confeſſ. lib. 10. cap. 43.

Auguſt. ad Deogr. ep. 102. quæſt. 2.

Auguſt. de orig. animæ ad Optat. ept 157.

Auguſt. de cath. rud. cap. 19.

Origin. contra Celsum lib. 12. & tom. 2. in Joann. Euseb. prepar. evang. & hist. lib. 3. & 4. Greg. Nazianz. orat. de Machab.

sub capite cohæserunt. Hucusque Augustinus, quibus alia superaddere hoc de argumento superfluum judicamus, quamquam & ipse alibi sæpius, & cum eo Origenes, Eusebius, Gregorius Nazianzenus, aliique eadem uno ferme ore tradiderint. Cum itaque veterem Historiam universam in sex Ætates partiti simus, brevi singulas percurramus.

PRI-

Anni Mundi. | Ante Chr. 4004.

PRIMA MUNDI ÆTAS.

MAxima quidem ac mirabilia nobis exhibet prima Mundi Ætas, Deum ſcilicet univerſam hanc mundi fabricam verbo ſuo conſtruentem, Sed inter cetera Creatoris opera, primum certe locum obtinet homo, quem Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam effinxit. Huic ſociam dedit mulierem e latere ejus eductam; ac tranſlatis ambobus in Paradiſum voluptatis, ibi eos collocavit, hoc unum præcipiens, ne inter innumeras arbores unam contingerent. Hoc tam facile mandatum tranſgreſſi primi noſtri parentes, ſupremi numinis iram tum in ſe, tum in poſteros omnes derivaverunt. Igitur ejecti ex beata illa manſione, ad vitæ hujus ærumnas detruduntur. Ac primo eis naſcitur Cain, deinde Abel, cujus munera ſibi accepta eſſe Deus teſtatus eſt. Ob id invidiâ ardens Cain, innocentem fratrem peremit. Sed Deus alium pro Abele filium Evæ repoſuit, Sethum ſcilicet, cujus poſteri, quia in vero Dei cultu permanſerunt, *filii Dei* vocati ſunt; qui autem ab eo deſciverunt, ut Cainitæ, filii hominum ſunt appellati, Atque hic non eſt prætereundus Henoch Jaredi filius, vivus a Deo ſublatus, quo dignus non erat mundus. At vero filii Dei cum filiabus hominum matrimonia jungentes, & ipſi quoque in omne vitiorum genus prolapſi ſunt. Nihil intentatum reliquit fidelis Dei Servus Noe, ut eos ad pœnitentiam adduceret, ſed fruſtra. Diluvium itaque immiſit Deus ſuper Univerſam terram, quæ tota corrupta eſt cum habitatoribus ſuis, præter Noemum, qui cum familia ſua, & paucis ex omni genere animantibus Arcæ incluſus diluvii aquis ereptus eſt. Hæc præcipua eorum, quæ contigerunt ſpatio annorum 1656., tot quippe numerantur a mundi exordio uſque ad Diluvium. Atque hæc univerſalis diluvii hiſtoria ipſis quoque ethnicis ſcriptoribus vetuſtiſſimis cognita fuit, uti ex Beroſo Chaldæo apud Joſephum, & Hieronymo Ægyptio, aliiſque plurimis videre eſt. SE-

Deus Cælum, & terram, deinde hominem creat. Gen. 2. 3.

Cain Abelem occidit. 129. 2875.

937. 3017.

1536. Diluvio homines pereunt. 2468.

1656. 2348.

Anni Mun. | Ante Chr.

SECUNDA MUNDI ÆTAS.

Noe area egressus Deo sacrificat.

1657. 2347. POST diluvium cum terræ superficies exsiccata esset, Dei mandato Noacus exivit de Arca cum omnibus, qui in ipsa fuerant, ac liberatori Deo erexit Altare, & holocausta obtulit, tum in gratiarum actionem, tum ut eum sibi, suisque propitium redderet. Deus autem rerum naturam diluvio corruptam restauravit, carnis esum hominibus concessit, atque

1757. 2247. iridem dedit signum fœderis. Altero a diluvio vertente sæculo, cum genus humanum maximum incrementum accepisset, universam terram inter se ipsos partiti sunt tres filii Noe, Sem, Cham, & Japhet. Sed antequam a se mutuo divellerentur, ingentem Turrim in Campo Sennaar ædificare cæperunt, quam imperfectam relinquere coacti sunt ob linguarum confusionem subsecutam. In varias itaque orbis partes dispersi, prima Regnorum jecerunt fundamenta. Ac horum quidem trium gentium auctorum, Sethi scilicet, Chami, atque Japheti diuturna apud populos memoria permansit. Itaque Japheti nomen apud occidentis incolas inclaruit; Chami, & Cananæi ejus filii apud Ægyptios & Phœnices illustre fuit; & Semum perpetuo venerati sunt Hebræi ex illo orinndi. Paucis ab hac filiorum Noe divisione interjectis annis, Nemrodus ex Stirpe Chami, Babylone Regni sui sedem constituit, quod a Successore Nino in Niniven, Assyriamque translatum, annis circiter mille ac trecentis perseveravit. Per idem tempus alibi quoque exigua regna constituta sunt, præsertim in Ægypto, in qua una quatuor fuere Dynastiæ; Thebana nempe, Thinensis, Memphitica, & Thanica inferioris Ægypti Caput. Huic etiam ætati

1771. 2233. suppar faciunt plerique initium Regni Sicyoniorum, quod ab Egialeo in Peloponneso fundatum anno ante primam Olympiadem 1313., Mundi 1915., mille propemodum perseveravit annis: Sed illorum origines fabularum licentia corrupit. Hoc interim certum

2082. 1921. est, ætati huic assignandam esse Abrami vocationem. Hic, cum

Turris Babylonica ædificatur, homines per orbem dispergun-tur.

Gen. c. 10. 9. 10. 18.

Variorum regnorum origines.

Ure

Anni Mun. | Ante Chr.

Ure Chaldeorum, quæ Mesopotamiæ Regio est, moraretur, ex ea Dei monitu cum patre Thare profectus est in terram Chanaan. Sed cum Haran in eadem Mesopotamia sitam veniisset, ibi consedit gravi Thare imbecillitate detentus, qui etiam in ea Urbe mortuus est anno ætatis ducentesimo quinto.

TERTIA MUNDI ÆTAS.

ABramum, defuncto patre, cum adhuc in Mesopotamia versaretur, iterum vocavit Deus, addita fœderis Evangelici promissione, de benedicendis in ipso, ideſt in Semine ipsius benedicto Domino N. J. Christo, omnibus familiis terræ. Vocantem Deum secutus Abram, assumpta Sarai Uxore sua, & Lot filio Aran fratris sui, & universis quæ Charanæ acquisiverat, profectus est in terram Chanaam anno ætatis suæ septuagesimo quinto. Quo cum perveniisset, transivit per regionem illam usque ad locum Sichem, & usque ad convallem illustrem. Ibi apparens Deus Abramo promisit se terram hanc daturum semini ejus, eodemque in loco S. Patriarcha Altare Deo extruxit. Sed fame urgente Anno fere post quam in Chananæam transierat, Ægyptum petiit: Reversus inde, a Loto divellitur, quem paulo post ab exteris Regibus captivum adductum liberat, omnemque substantiam, familiamque ejus recuperat. Redeunti autem Abramo à cæde Regum benedixit Melchisedech Rex Salem mystica oblatione panis & vini; cui ille vicissim decimas spoliorum obtulit. Post annos decem, quam Chananæam habitare cæperat Abramus, Sarai sterilem se videns Agaram ancillam Ægyptiam viro suo in uxorem tradidit; quæ ex hero gravida cum dominam sperneret, ab eâ male habita, fugit in desertum; Sed Angeli monitu reversa, Ismaelem Abramo peperit annum agenti 86. XIII. post annos Deus cum Abramo fœdus init, cujus Signum circumcisio tunc primum instituta. Eodem tempore Sodoma, Gomorra, Adama, & Se-

Abram a Deo vocatur. — *Gen.* 1. 12. 4. 5. 6. — 2084. — 1920.

2092. — 1912.

Abram Melchisedecho oblationes offert.

2094. — 1910.

2107. — 1897.

Anni Mun. Ante Chr.

& Seboim ob horrenda incolarum scelera igne & sulphure cælitus demisso conflagrarunt, ex eoque incendio ut Lothus eriperetur Abraham à Deo precibus impetravit.

Isaac sacrificio destinatur.

Abrahamo centenario, & Sarai nonagenariæ nascitur filius promissionis Isaac, qui virili jam ætate, hoc est quinto & vicesimo anno, à patre immolandus sistitur in monte Moria. Sed Deus Abrahami animo, & obedientia contentus ipsum à filii cæde prohibuit. Isaacus post Saræ matris obitum Rachelem duxit Bathuele natam Nachoris filio fratris Abrahami, ex eâque Esau, & Jacobum suscepit. Paucos post annos moritur Abraham vitæ anno 175. ante Christum 1862. Circa hoc tempus Argivorum Regnum in Peloponneso cæptum est, & primus apud eos regnavit Inachus. Isaacus benedicit Jacobo loco primogeniti sui Esau, & in speciem deceptus, adimplet divina consilia. Jacob fratris insidias veritus, in Mesopotamiam ad Labanum avunculum proficiscitur, & divina ope fratrem suum Esau omni virtutum genere excellit, & cum Angelo luctatus, Israelis nomen accipit, unde Israelitæ. Ab eo geniti duodecim Patriarchæ, duodecim Tribuum Patres; inter quos præ ceteris memorandi veniunt Levi, à quo Sacrorum ministri; Judas, à quo Judæi denominationem acceperunt, & ex quo Christus Jesus; Joseph à patre Jacob præ ceteris dilectus. Hic per invidiam à fratribus venditus, & in Ægyptum deductus, à Putiphare præposito Cubiculariorum Pharaonis Regis emitur, ac varias post vices toti tandem Ægypto præficitur.

2105. 1896. *Gen. 17. 3. ad 21.*

2133. 1871.

2148. 1856.

2245. 1760. Isac Jacobum benedicit.

Gen. 37. 2. 36.

2276. 1728.

2289. 1715. *Justinus ex Trogo Pomp. lib. 36. 2.*

Joseph Ægypto præficitur. Jacob ibidem moritur.

Jacobus hortatu filii, ac divinitus confirmatus, cum familia, & fortunis omnibus in Ægyptum profectus est annum agens 130. Vixit in Ægypto Jacob annos 17. ac moriturus Manassen, & Ephraimum Josephi filios adoptavit, minorem majori divino instinctu præponens. Convocatis deinde omnibus filiis benedicit, & singulis eventura prædicens celebre illud de adventu Messiæ vaticinium edit, ac moritur annos natus 147. Josephus anno vitæ expleto 110. moritur. Hucusque liber Geneseos

Gen. 47. 9. Deuter. 26.

2298. 1706.

2315. 1689.

	Ante Chri
neſeos, 2369. annorum res geſtas continens. Hoc tempore Jobi hiſtoriam contigiſſe omnes ferme Hiſtoriæ ſacræ Scriptores tradunt, quorum rationes vid. apud Nat. Alex. Hiſt. Ecc. T. 1. p. 173. Altero a Joſephi morte ſæculo, cum Hebræos numero & viribus auctos duriſſima ſervitute opprimere cœpiſſent Ægyptii, Deus Moyſen eorum liberatorem ſuſcitat. Hunc ab aquis Nili liberatum filia Pharaonis in aula ad ſpem Regni alit, unde omni Ægyptiorum ſapientia informatur. Sub idem tempus Cecrops Ægyptius, Saitarum Colonia in Atticam traducta, Athenienſium Regnum condidit. Ab ejus temporibus Græcorum antiquitates, ſeu potius fabulas de Deucalionis diluvio, Phaetontis incendio, Proſerpinæ raptu deducunt Arundelliana marmora a Seldeno edita.	Anni Mund.
	Gen. 48. *Hebr.* xi. 21. Jacob in Ægypto obiit.
	Gen. 49. 47. 28.
	2369. *Sever. Sulp. lib.* 1.
	2433. 1571.
	2448. 1556. *Diod. Sicul. lib.* 1.
Interim Moyſes 40. annos natus, *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem*, Ægyptiacæ aulæ deliciis ſpretis, fratribus ſuis Iſraelitis laborantibus ſubvenit, & Ægyptium quemdam, a quo Hebræus verberabatur, occidit. Prodita cæde, & ad Regem ipſum delata, in Madianitidem fugit, ubi ducta in uxorem Sephora, Jetro Sacerdotis filia, alios vitæ ſuæ annos 40. exegit in paſcendo grege. Tandem viſo in deſerto Rubo ardente & incombuſto, & Dei voce audita, qua ad liberandum populum ſuum a ſervitute Ægyptiaca vocabatur, divinis fretus oraculis in Ægyptum ad ſuos revertitur. Commeatu a Pharaone Rege fruſtra petito, decem plagis Ægyptios afficit, Paſcha inſtituit, ac celebrat, mare Rubrum tranſit, Pharaonem & exercitum ejus aquis involvit, ac in integram libertatem univerſum Iſraelitarum populum reſtituit.	Moyſes Hebræam gentem ex Ægypto educit. *Act.* 7. 23. 30. *Exod.* 2. 11. *Numer.* 10. 29.
	2473. 1531.
	2513. 1491. *Act.* 7. 30. *Exod.* 3. 4. 18.
	Exod. 7. 25.

Anni Mun. Ante Christ.

QUARTA MUNDI ÆTAS.

Lex à Deo per Moysem datur populo Hebræo in deserto. *Exod.* 20. *Deuter.* 5.

LEgis Scriptæ tempus nunc incipit. Hæc per Moysen data populo à vocatione Abrahæ 480, a diluvio 856, eodem anno, quo ex Ægypto migraverat. Hæc Epocha notatu digna: confert enim plurimum ad designanda tempora, quæ à Moyse usque ad Christum effluxerant, quæ scriptæ legis tempora nuncupantur, ad distinctionem præcedentium, ideſt, legis naturæ, qua mortales sola ratione prævia, & paternis traditionibus regebantur.

Deuter. 9. 9. Promulgationem hujus legis, quæ *Decalogus* dicitur, consecuta sunt alia præcepta permulta à Deo Moysi dictata de Tabernaculi, & Arcæ fœderis structura, de Aarone fratre Moysis Pontifice instituendo, de Sacerdotum ornamentis, & consecratione, de Sacrificiis, Judiciis &c. Post hæc a deserto Sinai, ubi per integrum fere annum hæserant, Deus Israelitas castra movere jubet, & terram promissam hæreditario jure possidendam adire. Sed cum ingratus adversus innumera Dei beneficia populus murmurare, ac Deum, Moysemque provocare non desisteret, variis affectus plagis, Chananææ terræ aditu prohibetur. Retro igitur per desertum circumductus, quadraginta circiter annis in eo vagatus est, donec suo quisque fato consumptus esset, præter Josue, & Caleb, qui soli e tanta multitudine in fide manserant. Eleazarus, Aarone patre mortuo, summus Pontifex ungitur, eique Phinees zelo Dei insignis succedit, & Sacerdotium in domo ejus peculiari promisso confirmatur.

Hebræi in deserto moriuntur. *Numer.* 14. 1. 35.

2552. 1452.

Moyses moritur. *Diod. Sic. lib.* 40.

Hoc tempore ab Ægyptiis varia in loca præsertim, in Græciam, ubi Danaus Ægyptius, Agenoridis pulsis, Regnum Argivorum occupaverat, Coloniæ deductæ. Sub finem itinerum per desertum variis cum gentibus prælio congrediuntur Israelitæ, eisque percussis, eorum Civitates occupant, quas Moyses diversis Tribubus assignat. Vir Dei moritur annos 120. natus, quem

Numer. 27. 12. 13.

Anni Mun.	Ante Christ.

quem Israelitæ 30. diebus defleverunt. Atque hic desinit Pentateuchus, seu libri quinque à Moyse conscripti, historiam annorum 2552. cum dimidio ab initio mundi complectentes; & liber Josue cum anno 41. exitus ab Ægypto incipit. Moyse ad patres suos apposito, Josue filius Nun de Tribu Ephraim, populum siccato Jordanis alveo in Chananeam traducit, & arma circumferens, ac Deo pro Israelitis pugnante, promissa terra Chanaam potitur, eamque inter Israelitas distribuit; ac 110. annor. senex diem obit supremum. Paulo post extinctis quoque Senioribus illis, qui mirabilia quæ fecerat Deus Israeli conspexerant, quique populum auctoritate sua utcumque continebant, ætas succesſit Dei immemor, quæ patria Religione spreta cum Chanaaniticis gentibus conjugia miscere cæpit, & eorum idola venerari. Quare iratus Deus, in manus inimicorum Israelitas tradidit: Resipiscentibus vindices & assertores dedit Othonielem, Aodum, Deboram, Gedeonem, Jephtem, Samsonem; qui etiam succesſivis temporibus judicis munere functi sunt. Res autem a singulis, vel sub eorum præfectura gestas uberius prosequi instituta hoc in opere brevitas vetat. Sub Aodo Judice, anno scilicet mundi 2680. circiter, Pelops filius Tentali Phrygiæ Regis toti Peloponneso, quæ ab ipso nomen sortita, dominatus est. Belus Assyrius Babilone post Arabas regnat annos 55. ac numinis instar à suis colitur. Ninus Beli filius, Deboræ ætate, annis ante Romam conditam 514. primum Assyriorum fundavit imperium; qui 520. annis superiorem Asiam obtinuerunt, ut in lib. I. c. 95. Herodotus auctor est. Tempore Jephte dum Semiramis Vidua Nini, impubere filio Ninia circumscripto, victoriis suis Assyriorum imperium propagabat, Troja jam semel a Græcis sub Laomedonte tertio ejus Rege capta, iterum ab iisdem, regnante Priamo filio Laomedontis, post decem annorum obsidionem incenditur, & solo æquatur. Tempus, quo excidium hoc celeberrimum contigit, diligenter adnotandum est; huic enim referri potest quidquid temporibus fabulosis aut

Deuter. 34. 8. Hebræi terram Chanaam occupant. — 2559. 1445.

Judices Hebræorum. 2559. 1405. 2679. 1325. 2719. 1285. 2817. 1187.

Josu. 15. 17. *Judic.* 1. 21. *& Sequen.*

Jul. African. Assyriorum Imperium fundatur.

Appian. Alex. 2320. 1184.

Anni Mun. Ante Christ. heroicis memorabilius reperitur. Samsone una cum Heli Pontifice Hebræorum Rempublicam administrantibus, natus est Samuel Propheta, & Judicum postremus, cujus opera Israelitæ ad Dominum conversi Philistæorum jugum excusserunt. Sed non multo post ingratus populus sanctissimi Senis labore insuper habito, & ex pravis filiorum moribus occasione arrepta, regimen ejus rejicit, ac regem sibi dari postulat. Deus regem illis in ira sua dedit Saulem filium Cis e Tribu Beniamin. Initio regni populos Hebræis infestos magnis cladibus affecit Saul, sed brevi ob peccata a Deo reprobatus, & familia ejus e Regni successione exclusa, cum Palæstinis dimicans cecidit. Ea tempestate Codrus Rex Athenienſium pro populo suo mortem oppetiit, eique hoc pacto victoriam peperit. Inter liberos ejus Medonem, & Hileum, de Regno disceptatum. Hac occasione ab Athenienſibus Regia dignitas e medio tollitur, & gentis Atticæ Jupiter solus Rex renunciatur. Postea Præsides, seu perpetui Archontes creati, quibus Regiminis sui ratio reddenda erat. Saule e vivis sublato, David, filius Isai, de Tribu Judæ, statim post rejectionem Saulis a Samuele Propheta clanculum in Regem unctus, iterum a Tribulibus suis, cum 30. esset annorum, Rex ungitur, & super Domum Judæ regnat an. 7. & menses sex. Occiso autem a Sicariis Isbosetho, qui post mortem Saulis patris sui reliquas in Tribus imperium cæperat, David tertio inunctus, super totum Israelem Rex constituitur, ac Hierosolymis imperat annos 33. Tandem senio ac laboribus confectus Salomonem in solio suo collocat, eumque ad ædificationem Templi, cui cuncta necessaria jam ipse paraverat, hortatur, ac moritur anno ætatis suæ septuagesimo: Rex sane magnus, Imperator summus, Propheta insignis, mirabilium Dei dignissimus Præco, Vir tandem juxta cor Dei, cujus culpa pœnitentiæ lacrymis abluta, in Creatoris laudem, & gloriam redundavit.

Osee 13. 10. 11. Saul Rex Judæis datur.

David Saulis loco Rex inungitur.

QUIN-

Anni Mun. Ante Christ.

QUINTA MUNDI ÆTAS.

ANno orbis conditi 2993. ab egressu Israelitarum ex Ægypto 480., ante Christum 1012., Salomon patris sui Davidis in regno successor Templum magnificentissimum Jerosolymis aggreditur, quod spatio annorum septem ac dimidii absolutum, sequenti anno maxima celebritate dicatum est. Uti sapientia, sic & opibus Salomon ceteros mortalium prætergressus, nominis sui famam longe lateque propagavit. Sed quo major ejus sapientia & gloria fuit, eo fœdior ac gravior ejus lapsus extitit. Tot enim, tantisque bonis elatus, voluptati frena laxavit, & factus fœminarum mancipium, ad earum Idola deflexit, fanaque falsis numinibus erexit: nec utrum ante mortem, quam obiit, cum quadraginta regnasset annos, resipuerit, hactenus constat. Roboamus ejus filius, & in Regno Successor, duro responso decem Tribus a se alienat: quæ accersitum ex Ægypto Jeroboamum Ephraimitam, Nebati filium, regem sibi præficiunt, eoque duce & à domo Davidis, & a vero Dei cultu pariter deficiunt. 3. *Reg.* 6. 7. 3001. 1004. Salomon Hierosolym. templum ædificat. 3. *Reg.* 12. 27.

Hinc Regno ita distracto, Roboam Tribui Judæ, & Beniamini, annis 17. Jeroboam Israeli, idest reliquis decem Tribubus usque ad annum 22. præfuit. Judæi qui lapsos Israelitas exemplo suo ad pœnitentiam provocare debuissent, & ipsi legem Domini dereliquerunt, ac in omnes gentium abominationes prolapsi sunt. Quare iratus Deus Sesacum, quem Sesostrim Josephus appellat, Ægypti Regem in eos immisit, qui anno 5. Roboam Hierosolymam veniens, thesauris ac donariis omnibus direptis, inde discessit. Roboamo in Regno Juda successit Abia, qui Jeroboamum ingenti clade affecit, cæsis hostium quingentis millibus. Asa ejus filius, laudatissima habuit Regni sui initia; nam aras & idola, ac paternæ superstitionis vestigia sustulit, excelsis tantummodo relictis. Erant hæc altaria Israelitis cum Regnum dividitur. 2. *Par.* 12. 2. 3047. 957. 2. *Par.* 14. 16.

Anni Mun.	Ante Christ.	
		taria vero quidem Dei cultui, sed passim, & alibi, quam in Urbe primaria, contra interdictum Moysis erecta. Qua in re etsi peccaverit, non tamen impius in Deum fuit. Illud in eo notat, atque reprehendit scriptura, quod in hominibus, & non
	3. *Reg.* 15.	Domino fiduciam habuerit. In Israele post obitum Jeroboami,
3087.	917.	variæ subsecutæ sunt Regum cædes, donec Amri solus regnare cæpit anno 31. Asæ Regis Juda: Et condita Samaria, huc Re-
3090.	924.	gni sui domicilium transtulit. Asam Regem Juda Josaphatus fi-
	2. *Par.* 20. 31.	lius excepit, pietate, zelo, ac opibus insignis. At in regno Israel malo patri deterior successit filius Achabus, qui una cum Jezabele uxore sua perdita fœmina in omnes gentium im-
3107.	897.	pietates prolapsus est. Huic se palam opposuit Elias Thesbites
3112.	892. 3. *Reg.* 22. *Par.* 18.	Propheta, plurimaque patravit miracula, quæ Achabus cæcis oculis aspiciens sagitta tandem confossus interiit. Eliæ in Cælum
	4. *Reg.* 2. Elias in Cælum rapitur.	rapto in munere prophetico successit Eliseus futurarum rerum prædictionibus, ac prodigiis nulli secundus. Huic tempori Josephus, aliique Carthaginis ortum adscribunt, ejusque auctorem faciunt Didonem, Pigmalionis sororem; Sed veterum historicorum opi-
		nio, qui ejus originem Trojano bello antiquiorem arbitrati sunt, illud insinuare videtur, quod à Didone potius amplifica-
3116.	888. 4. *Reg.* 3.1.	ta, quam condita fuerit. In Regno Judæ novæ rerum facies. Athalia, filia Achabi & Jezabel, in domum Josaphati secum impietatem transtulit. Joramus tam pii patris filius, socero
	2. *Par.* 21. 25.	quam patri similior esse maluit. Regnum enim adeptus, omnes fratres suos, & aliquos etiam ex principibus Juda interfecit, Idololatriam statuit, & ad eam subditos suos compulit. A Deo
		percussus misere moritur, & in Civitate Davidis, sed non in
3117.	887. *Marm. Arund.*	sepulchris Regum inglorie sepelitur. Tunc floruit Homerus, & triginta ante eum annos Hesiodus. Joramum, Regem Juda,
	4. *Reg.* 8. 25. 27. 2. *Par.* 22. 1. 2. 3. 4.	excepit Ochozias filius ei genitus ex Athalia, Achabi filia. Hunc primo Regni sui anno nondum elapso de medio sustulit Jehu, qui ad Israeliticum Regnum evectus, ut Achabi Stirpem funditus aboleret, strenue Deo istam navavit operam: Nam

prx-

	Anni Mun	Ante Christ.
præter Ochoziam jam memoratum, ejusque cognatos quadraginta, Joramum quoque Israelis Regem, Jezabelem, ac septuaginta Achabi filios neci dedit; sicque totam Achabi stirpem radicitus delevit. Sed veri Numinis cultum haud restituit;	4. *Reg.* 9. 10. 28. 30.	
atque in Vitulorum, quos Jeroboamus posuerat, veneratione perstitit annis, quibus regnavit octo & viginti. At Hierosolymis Athalia Jorami Judæ Regis uxor, re comperta, quidquid	3120.	834.
supererat stirpis regiæ sustulit, ac tyrannidem invasit. Unus Ochoziæ filius Joas, adhuc in cunis jaceus, ab amita Josaba, Jojadæ Summi Pontificis uxore, neci est ereptus; eumque post annos sex, Athalia necata, Jojadas paternum in solium restituit. Quoad vixit Jojadas, Joas inter optimos Reges censeri	4. *Reg.* 10.	
potuit; eo mortuo, aulicorum adulationibus corruptus, patria religione spreta, ad lucos & idola respexit. Nefariæ superstitioni addidit indignissimam necem Zachariæ Prophetæ, filii Jojadæ illius, cui vitam, regnumque debebat, quod is divino impellente Spiritu ejus impietatem argueret. Anno vertente victus à Syriis, paulo post a suis in lectulo consossus interiit	3126. 2. *Par.* 24. 15. 20.	878.
anno regni quadragesimo. Amasias filius in ejus locum suffectus est. Israeliticum Regnum Syriæ Regum victoriis attritum, sub	4. *Reg.* 12. 1. 18.	
Jeroboamo II. paulisper redintegrabatur. Osias quoque, aliter Azarias filius Amasiæ in administrando Regno Judæ non minorem sibi gloriam comparabat: Verum oblitus postremo sui, dum	3165. 3179.	839. 825.
quæ Sacerdotum erant partes per superbiam usurpat, elephantiacus repente factus, ab omni etiam civili functione depellitur, translata in Joatham filium procuratione regni, qui sapienter	2. *Par.* 26. 16.	
se gessit.	3194.	810.
Regnante Ozia in Juda, & Jeroboamo II. in Israele, celebres fuerunt Prophetæ Isaias, Osee, Jonas, Amos, Abdias,	*Ose.* I. 1. *Is.* I. 1.	
qui tunc primum litteris, memoriæque vaticinia sua mandarunt, quorum archetypa, ut divini eloquii monumenta remanerent, in Templo reponebant. Cetera vaticinia minoris momenti, seu viva voce dumtaxat prolata, juxta morem in Archiviis		

Tem-

Templi cum annalibus in tabulas publicas referebantur. Ab hoc mundi anno 3228. prima Græcorum Chronologorum numeratur Olympias, qua Chorabus Eleus vicit ſtadio. Atque hîc apud ethnicos temporis illud intervallum deſinit, quod à Varrone in Cenſorini de die natali libello, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθίκον fabuloſum nominatur, & incipit illud, quod dicitur ἱςορικον hiſtoricum, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur. Phulus, aut Pulus hoc tempore Aſſyriæ Regnum obtinebat. Is Sardanapali pater creditur, more Orientalium Sardanus-Phulus nuncupatus, ideſt Sardanus filius Phuli. Hic etiam, ut multorum fert opinio, Ninive Rex fuit, qui ad prædicationem Jonæ pœnitentiam cum omni populo ſuo egit. Is Iſraelitarum diſſidiis illectus eorum Regnum invadere conatus eſt Aſt Manahemus, datis ei mille talentis, in Regno, quod nuper uſurpaverat, confirmatur, & decem regnat annis.

Hoc pariter tempore Joramo Oziæ filio Judæ Regnum obtinente, Roma à Remo, & Romulo condi cæpta eſt an. Mundi 3250. ant. Ch. 753. Sub finem tertii anni ſextæ Olympiadis, ab excidio Trojæ 430. effluxis annis. Circa Romæ naſcentis tempora ſocordia Sardanapali vetus Aſſyriorum imperium cecidit, opera Arbacis Mediæ præfecti, poſtquam à Nini initio ſuperiorem Aſiam annis 520, ut in lib. 1. c. 95. docet Herodotus, obtinuiſſent. Tria ingentia regna ex hujus imperii ruinis emerſerunt; Medorum ſcilicet; poſteriorum Aſſyriorum; & Babyloniorum. Hæc duo noviſſima regna prophanis haud incognita in Sacris Codicibus celebrantur. Tilgath, aut Theglat filius Phalaſaris dictus, cui etiam Nini Junioris nomen accedit, noviſſimum Ninive Regnum: Baladamus, quem Græci Beleſim appellant, Babylonicum condiderunt, ubi Nabonaſſaris nomine innoteſcit. Hinc Nabonaſſaris æra celebrata apud Ptolomæum, & veteres Aſtronomos, qui ſuis annis enumerandis hujus principis initium uſurpabant. Achaz Judæ Regum peſſimus fuit. Maximis cum vicini Reges affecerunt cladibus, Iſraelita-

Syrus,

Anni Mun.	Ante Chriſt.	
3228.	776.	Templi cum annalibus in tabulas publicas referebantur. Ab hoc mundi anno 3228. prima Græcorum Chronologorum numeratur Olympias, qua Chorabus Eleus vicit ſtadio. Atque hîc apud ethnicos temporis illud intervallum deſinit, quod à Varrone in Cenſorini de die natali libello, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθίκον fabuloſum nominatur, & incipit illud, quod dicitur ἱςορικον hiſtoricum, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur. Phulus, aut Pulus hoc tempore Aſſyriæ Regnum obtinebat. Is Sardanapali pater creditur, more Orientalium Sardanus-Phulus nuncupatus, ideſt Sardanus filius Phuli. Hic etiam, ut multorum fert opinio, Ninive Rex fuit, qui ad prædicationem Jonæ pœnitentiam cum omni populo ſuo egit. Is Iſraelitarum diſſidiis illectus eorum Regnum invadere conatus eſt Aſt Manahemus, datis ei mille talentis, in Regno, quod nuper uſurpaverat, confirmatur, & decem regnat annis.
		Uſſer. ad hunc an. Olympiadum origo.
3233.	771.	
		4. Reg. 15. 19. 20.
		Hoc pariter tempore Joramo Oziæ filio Judæ Regnum obtinente, Roma à Remo, & Romulo condi cæpta eſt an. Mundi 3250. ant. Ch. 753. Sub finem tertii anni ſextæ Olympiadis, ab excidio Trojæ 430. effluxis annis. Circa Romæ naſcentis tempora ſocordia Sardanapali vetus Aſſyriorum imperium cecidit, opera Arbacis Mediæ præfecti, poſtquam à Nini initio ſuperiorem Aſiam annis 520, ut in lib. 1. c. 95. docet Herodotus, obtinuiſſent. Tria ingentia regna ex hujus imperii ruinis emerſerunt; Medorum ſcilicet; poſteriorum Aſſyriorum; & Babyloniorum. Hæc duo noviſſima regna prophanis haud incognita in Sacris Codicibus celebrantur. Tilgath, aut Theglat filius Phalaſaris dictus, cui etiam Nini Junioris nomen accedit, noviſſimum Ninive Regnum: Baladamus, quem Græci Beleſim appellant, Babylonicum condiderunt, ubi Nabonaſſaris nomine innoteſcit. Hinc Nabonaſſaris æra celebrata apud Ptolomæum, & veteres Aſtronomos, qui ſuis annis enumerandis hujus principis initium uſurpabant. Achaz Judæ Regum peſſimus fuit. Maximis cum vicini Reges affecerunt cladibus, Iſraelita-
		Roma conditur.
3257.	748.	
		Diod. Sic. lib. 2. Athen. lib. 12.
		4. Reg. 16. 2. Par. 23. 5. 28.

Syrus,

Anni Mun. — Ante Chr.

Syrus, & quem adverſus hunc magnis incitarat præmiis, Aſſyrius; nec non Idumæi, ac Palæſtini. Eo Judæ Tribum regente, Iſraelitis præerat Oſea, filius Elæ, qui interfecto Phace Romeliæ filio regnum invaſerat. At qui Achazo patri ſucceſſit Judæ Rex Ezechias, poſt Davidem longe omnibus antecelluit. Etenim Deorum ſtatuas omnes, ac fana disjecit, lucos excidit, excelſa ſuſtulit, ac denique Moſaicæ legi obtemperavit penitus. Hujus anno ſexto, Oſeæ nono, Salmanaſar Rex Aſſyriorum, capta Samaria, Iſraelitas omnes tranſportavit in Aſſyriam, qui gentibus immixti, ita evanuerunt, ut priſtini ſtatus vix veſtigium remanſerit; Atque ita Regnum Iſraeliticum deſiit, poſtquam 254. annis ſtetiſſet à Regno Judæ ſejunctum. Inter Iſraelitas, qui a Salmanaſſare deportati ſunt, memorandus venit Tobias vir ſanctiſſimus, cujus hiſtoria peculiari Scripturæ libro traditur.

3263. 741.

4. *Reg.* 18. *Par.* 29.

Iſraelitæ in captivitatem ducti.

Roma ſub Regibus paulatim aſſurgebat, ac Tullo Hoſtilio regnante præclariſſima illa militari diſciplina imbui cæpit, qua poſtea univerſum devicit Orbem. Salmanaſſaro in Regno Aſſyriæ Sennacheribus ſucceſſit, qui in Judæam irrumpens regem Ezechiam innumerabili coacto exercitu Hieroſolymis obſedit. Verum pii Regis precibus exoratus Deus Angelum ſuum mittit, à quo una nocte centum octoginta quinque Aſſyriorum millia interfecta ſunt. Tam mirabiliter liberatus Ezechias, Domino cum omni populo ſuo ferventius adhæſit. Sed poſt ejus mortem, ſub Manaſſe illius filio, populus à Deo averſus eſt, & ad idola ſe convertit, exemplo Regis, qui contemptu patriæ Religionis, crudelitate, & libidine in ſacra pariter, & humana graſſatus eſt. Sed Aſſyriæ Reges ultores futuri ſub Aſarhaddone filio Sennacheribi invaleſcunt, Babyloniis ſub antiquum jugum redactis. Hoc regnante Cuthei, Aſſyriæ populi, poſtea Samaritæ dicti, Samariam habitatum miſſi ſunt. Eodem pariter tempore Manaſſis Regis Judæ captivitas contigit, qui à

3283. 721.

4. *Reg.* 18. 10. 11.

4. *Reg.* 18. 13.

3294. 710.

Sennacherib cum exercitu ſuo ab Angelo percuſſus.

3306. 698.

4. *Reg.* 21. 2. 11.

3323. 681.

4. *Reg.* 17. 24. *Uſſer. ad hunc an.*

Anni Mun. Ante Chr.

2. Par. 33. 11. Principibus exercitus Assyriorum regis captus, & compeditus vinctus, Babylonem perducitur: ubi ærumnis edoctus, ac toto pectore conversus ad Deum, ab eo in libertatem, atque regnum restitutus est. Novi coloni Samaritani quum in habitationis suæ principio Deum Israelis non colerent, a leonibus infestati sunt; quod resciscens Rex Assyriæ, unum e deportatis ex Samaria Sacerdotibus ad illos remittendum curavit, qui ex omnibus Scripturæ libris solum Pentateuchum eis tradidit, & Deum colere docuit secundum Jeroboami ritum: Atque hæc perpetuarum illarum litium inter Judæos & Samaritanos origo fuit. Assarhaddone & Assyriis in magna Asia invalescentibus, etiam Medorum nomen clarum evadebat. Dejoces primus eorum Rex, nonnulli eum Arphaxadum in lib. Judith memoratum fuisse autumant, superbam Ecbatanam condidit, prævalidique imperii fundamenta jecit: Propter virtutem ad solium evectus est, & sic Anarchiæ, quæ plurima inter eos mala inferebat, finis impositus.

Esd. 4. 2. *Nehem.* 4. 2. *Johan.* 4. 9. *Herodot. lib.* 1. *c.* 96.

3348. 656. Post Assarhaddonem imperium Assyriacum simul & Babylonicum administravit Saosduchinus; qui libro Judith Nabucodonosor creditur. Is Arphaxadum, seu Dejocem Regem Medorum acie fudit, & delevit, eaque victoria sublatus, ac totum orbem subjugare aggressus, in Judæam irrupit. Judæi exemplo Manassis ad Deum conversi, ex imminenti periculo mirabiliter erepti sunt per manum Judithæ, quæ Olophernem Assyriorum exercitus ducem, capite truncavit. Mortuo Manasse, Amon filius ejus scelestissime biennium regnavit. Eo occiso Josias octennis ad imperium est evectus, qui ab infantia sapiens, in eliminandis pravitatibus, & corruptelis, quas prædecessorum ejus impietas invexerat, strenuam navavit operam. Romani sub Anco Martio quibusdam Latinis domitis, usque ad vicinum mare Regnum dilataverunt. Sub idem tempus Nabopolassar Babylonicum invasit Regnum, expugnata Ninive, urbe totius Orientis domina, & in ea Chinaladanum, seu Saracum Assyriorum & Chal-

Erod. lib. 2. *c.* 153.

Holofernes à Juditha occiditur. *Judith.* 2. 8. 12. 4. *Reg.* 21. 24. 26. 2. *Par.* 34. 1.

3378. 626. *Cedren. ex Alex. Polyhist.*

Chaldæorum Regem comprehendit. Quamdiu optimus princeps Josias vixit, humilitate, & precibus supremum Numen remoratus est, ne sæviret in suos. Sed eo defuncto malorum Ilias Hebræis ingruere cæpit. Nabucodonosor II. superbe educatus, & assiduis induratus bellis, patri Nabopolassari succedit. Victo Necao Ægypti Rege, populum Hebræum furens invadit. Jerusalem ter capta sævitiam ejus experta est. Prima vice obsessa est initio regni ejus; altera quarto anno regni Joakim; tertia tandem Sedecia regnante an. M. 3416. ant. Christ. 588. Tunc Civitas funditus eversa est, & Templum incendio concrematum. Rex, Sarajas Summus Pontifex, aliique plurimi in vinculis Babylonem perducti sunt; inter quos eminebant Daniel, & Ezechiel in omni virtutum genere: eisque annumerantur tres juvenes, quos Nabucodonosor ad Statuam auream adorandam frustra impulit. Jeremias autem, qui, Sedecia regnante, insignis Propheta extitit, Nabucodonosoris mandato à Nabuzardane Præfecto honorifice est habitus, facta ubi vellet habitandi copia; cumque a patriæ ruinis digredi noluisset, Godoliæ, quem populi reliquiis Chaldæus præfecerat, commendatur. Illo paulo post ab Ismaele occiso, in Ægyptum a suis popularibus cum Barucho invitus abripitur. Ibi dum Judæorum sceleribus obsistit, multa perpessus, demum ab illis interficitur,

Anni Mun. 3380. Ante Chr. 624.

4. *Reg.* 22. 20.

ibid. 24. 7.

Jerem. 34.

Hierusalem cum Templo destruitur, Judæi Babylonem transferuntur. 4. *Reg.* 25.

Epiph. de Vit. Proph.

SEXTA MUNDI ÆTAS.

NAbuchodonosor, finitis expeditionibus bellicis Babylonem reversus, somnium illud de arbore mirabili excindenda habuit; cujus interpretationem a Chaldæis suis frustra quæsitam Daniel illi aperuit. Dum autem structurarum suarum, quibus Babylonem exornaverat, magnificentiam jactitat, in amentiam incurrit, ex qua pecudis ritu, ac pabulo victitans, septem totos annos sub dio transegit; donec recepta mente, ac sceleris exorata venia, in pristinum est restitutus. Moritur dein-

3434. 570. Nabuchonosor ob superbiam a Deo percussus. *Dan.* IV.

Dan. IV. 32. 33.

Anni Mun.	Ante Chr.	
		de postquam annos 43. solus, & viginti circiter menses cum
3442.	562.	patre regnavisset. Successit illis Evilmerodachus, qui moribus suis perditis, omnium odiis in se concitatis, a Nerigliſſore Sororis suæ marito regni usurpatore, necatus est. Græcia florebat, & septem ejus sapientum magna erat celebritas. Horum alter Solon dictus, Athenienſium Legislator, ad Crœsum Lidiæ regem profectus, celebre illud de vitæ hujus incertitudine, &
		Herod. lib. 1. 28. 33. hominis felicitate cum eo colloquium habuit. Tarquinius Priſcus postquam Urbem Romam magnificis operibus decorasset, re-
3445.	559.	gnandi finem fecit, eumque Servius Tullius Census institutor
		Euseb. in 3. rer. Chald. a Joseph. cit. lib. 1. cont. App. excepit. Nerigliſſor Medis, ob nimiam eorum in Oriente potentiam sibi suspectis, bellum indixit. Dum vero Astiages Ciaxari I. filius se ad illud accingit, extinguitur; ac Ciaxaro II. filio suo, quem Daniel Darium Medum facit, belli hujus curam relinquit Is Cyrum, filium Mandanæ sororis suæ, & Cambyſis Perſarum Regis, Medorum imperio obnoxii, exercitui suo præfecit. Cyri nomine, qui sub Avo Astiage militans jam antea inclaruerat, commoti plerique Reges Orientis Ciaxari par-
3456.	548.	*Herod. lib. 1. a cap. 75. ad 90 Xenoph. Inſtit. lib. 7. Euseb. in Chron.* tes susciſiunt. Cyrus Crœso in Urbe principe comprehenso, immensisque ejus opibus potitus, ceteros Regum Babyloniæ socios
		perdomat: non solum Syriam populatur, sed Asiam quoque Mi-
3466.	538.	*Herod. lib. 1. c 190. Xenoph. lib. 7. Jerem. 50. 51. 57.* norem victoriis peragrat. Tandem Babylonem contendit, captam Ciaxaro avunculo servire cogit, qui non minus fide nepotis, quam egregiis ejus factis permotus, filiam suam uni-
		cam regni hæredem ei collocat. Atque ita Babylonicum Imperium defiit, prout ab Esaia c. 14. 15. 21. 43. Habbakuc. Cap. 2.
3467.	537.	& Jerem. C. 25. 50. 51. fuerat prædictum, atque ad Victores Medos & Perſas translatum. Dan. 5. 21. VI. 8. 12. 15.
	Medorum Regnum exurgit.	Sub finem primi anni imperii Darii Medi, ab eversa Baby-
3468.	536.	lonica Monarchia deducti, incipit annus 70. Servitutis Babylonicæ, sub Joakim, anno 1. Nabuchodonoſoris captæ, illorum postremus qui calamitati huic præfiniti fuerant in prophetia illa Jerem. 29. 10. Qua temporis jam imminentis consideratione incita-

citatus Daniel promiſſam captivitatis ſolutionem ardentiſſimis precibus a Deo flagitat. Cui Angelus non de hoc ſolum reſponſum affert, ſed etiam de ſpirituali Eccleſiæ liberatione Meſſiæ morte demum procuranda, nobiliſſimo illo 70. Hebdomadarum edito vaticinio. Hebdomades erant annorum, ita ut 490. annos complecterentur, & hæc numerandi conſuetudo apud hebræos erat recepta, qui ſeptimum annum perinde ac ſeptimum diem religioſa quiete obſervabant. Brevi ab hac viſione interjecto tempore Cyaxarus, & Cambyſes Cyri pater fato conceſſere, quibus ipſe ſucceſſit, & Perſarum regnum hactenus vix notum Medorum imperio tot victoriis propagato adjunxit: Sic univerſum Orientem pacifice tenuit, imperiumque condidit, quo nullum antea vaſtius fuerat. Verum hic illud maxime notandum occurrit, ſcilicet inſignem hunc victorem, primum Regni ſui annum a decreto reædificandi Templi Hieroſolymitani, & reſtaurandæ gentis Judeæ fuiſſe auſpicatum, juxta Vaticinium ab Eſaia de eo nominatim editum, Cap. 44. 28. & 45. 13.

Illico poſt promulgationem edicti Zorobabel, & Jeſus filius Joſedech ſummus Pontifex captivos reducunt, altare reædificant, & noviſſimi Templi fundamenta jaciunt, cum ſeniorum, qui illud prius viderant, planctu, & juniorum lætitia. Samaritæ eorum gloriæ invidentes, operis participes eſſe volunt; ſed a filiis Judæ ob eorum idololatriam repulſi, vi, omnique adhibita fraude opus diſturbare cæperunt. Cyro ſeptuagenario vita functo, Cambyſes filius ejus ſucceſſit, a quo Ægyptus devicta eſt, anno imperii ſui quinto. Hic fratri ſuo Smerdi, quem ſomno oppreſſum interemit, non diu ſuperſtes fuit. Tunc Smerdis quidam pro occiſo Cyri filio, cui erat ſimillimus, ſe gerens, paucis conſciis aliquandiu regnavit, & illuſit Orienti; ſed detecta fraude ſublatus eſt, eique conſpiratione principum ſeptem Darius Hiſtaſpis filius ſucceſſus eſt. Eum eſſe Aſſuerum in lib. Eſtheræ memoratum fere omnes opinantur. Regni ejus an. 6. deſinente, ſtructura Templi, quæ pluries ab inſen-

	Ante Chr.
Anni Mun.	
Dan. IX. 1. 2. &c.	
3468.	536.
3468.	536.
2. Par. 36. 22. 23. *Eſd.* 1. 1. 2. 7.	
Judæi a captivitate Babyl. liberantur.	
Eſd. 3. 8. 13.	
3469.	535.
Jul. Afric. & Euſeb. Chron. 17.	
3475.	529.
3481.	523.
Herod. lib. 3. 66. 67. *Juſtin. lib.* 1. c. 9.	
3483.	521.
Uſſer. & Beſſuet. ad hunc an.	

Anni Mun. Ante Chr. infenſis Samaritanis interturbata fuerat, tandem perfecta eſt. Cujus dedicationem Iſraelitæ, ex captivitate reduces, cum gaudio, & ampliſſima ſacrificiorum oblatione celebrarunt. Tempore Darii Romana, Athenienſiſque libertas incipit, & Græciæ decus ingens. Harmodii, & Ariſtogitonis Athenienſium conſpiratione, Hipparcus Piſiſtrati filius cæſus eſt: *Thucid. lib. 6.* Hinc orta patriæ libertas. Hippias Hipparchi frater fruſtra
3491. 513. dominationem retinere conatur: quarto anno poſt fratris ſui necem expulſus, ad Darium confugit, quem jam Græciæ invadendæ avidum, hocque bellum adornantem reperit. Athenienſes in libertatem reſtituti, ſuis ſtatuas erigunt liberatoribus, & jus populare reſumunt.

Plin. lib. 34. 4. Dion. lib. 3. Plutar. in Pop. Romæ pariter ab Urbe Cond. 245. ejecto Rege Tarquinio ſuperbo, pro eo Conſules duo creati ſunt, qui Reipubl.
3504. 500. præeſſent, prout Servius Tullius ſtatuerat. Expulſi Tarquinii defenſoribus non caruerunt. Porſenna Cluſinorum Regulus ad eos reducendos Romanis bellum intulit. At hi pro ſua tuenda libertate inaudita geſſere prodigia, quæ Regem adeo exterruerunt, ut pacem ultro a Romanis expeteret, & Tarquiniis ſpes omnis adimeretur. Circa hoc tempus contigit hiſtoria Eſtheræ, ejus nominis libro contenta. Hippias Dario auxilium pollicente, Regni recuperandi ſpem conceperat, & Athenienſibus bel-
3511. 493. lum atrox imminebat. Dum ad illud ſe Darius accingit, Roma, quæ tam acriter vim externam repulerat, ſuis pene viribus concidit. Inter patricios, & plebem graviſſima orta æmulatio, quæ ut ſedaretur, lex condita fuit, qua Magiſtratus creatus eſt, quem populus ad ſui tutelam violentiæ patrum objiceret. Hi Tribuni plebis appellati ſunt. Tandem Darius in Græciam irruperat. Gener ejus Mardonius cum Aſiam permeaſſet, ſe militum multitudine Græcos oppreſſurum opinabatur. Sed a
3514. 490. Miltiade, cum decem millibus Athenienſibus, innumerabilis ejus exercitus in Campis Marhatoniis cæſus eſt. Cecidit & Hiſpias tyrannus Athenienſium, auctor & concitor hujus belli.

Romæ pulſo Tarquinio Conſules creantur. *Liv. 2. Dion. 5.*

Tribuni plebis creati. *Juſtin. ex Trogo lib. 2. c. 9.*

Par-

Anni Mun. Ante Chr.

Parta autem eſt celeberrima hæc victoria LXXII. Olymp. an. 3.. ut in lib. 2. Sac. hiſtoriæ Severus Sulpicius indicat. Non tamen poſt hæc diuturna Græciæ quies fuit. Xerſes filius & ſucceſſor Darii, Cyrique per matrem Atoſſam nepos, Perſidem ulturus, immenſo comparato exercitu, & claſſe formidabili (etenim undecies centenis hominum millibus, vel ut alii produnt, ſeptingentis & decies centenis millibus, exceptis ducentis & mille navibus conſtabat) Græcos adortus eſt. Laonidas Lacedemoniorum Rex cum trecentis Spartanis in faucibus Theſſaliæ, quas Termopylas vocant, viginti hoſtium millibus deletis, ipſe cum ſuis conſoſſus periit. Paulo poſt ductu quidem Eurybiadis Lacedemonii, ſed Themiſtoclis Athenienſis conſilio & prudentia Xerxica claſſis prope Salaminam profligatur. Rex timore perculſus præcipiti curſu, ac piſcatoria Scapha Helleſpontum trajicit, & anno ſequente exercitus ejus, cui Mardonius præerat, a Pauſania Rege Lacedemoniorum, & Ariſtide Athenienſi ad Plateas cæſus eſt. Mane pugna commiſſa, & ſerotinis horis ejuſdem diei ab Jonibus, qui Perſarum jugum excuſſerant, duce Leotychide triginta eorum millia apud Mycalas occiſa ſunt. Imperator ut ſuis animum adderet, Mardonium in Græcia fuiſſe deletum affirmat: tantamque famæ velocitatem fuiſſe ferunt, ut per tantum ſpatii, tam brevi horarum momento de Platæenſi Victoriæ rumor ad Græcos in Mycale pugnaturos acceſſerit. Quamquam Diodorus rectius Leotychidem nihil tunc de Platæenſi victoria audiviſſe, ſed ex induſtria commentum hoc ad animandos ſuos milites, ſtratagematis loco adhibuiſſe cenſuerit. Hinc omnibus Aſiæ Minoris Græcis libertas acquiſita. Pauſanias a Perſarum jugo Cyprum, aliaſque Civitates recens liberaverat, cum de perdenda patria ſua occulta cum Xerxe iniit Conſilia, ſed ab amaſio ſuo proditus, fame necatus eſt.

Cornel. Nepos in Miltiade.

Herod lib. 7. c. 2. 3.

3524. 480.

Herod lib. 7. c. 224. idem Nepos in Themiſtocle. Diod. Sic. lib. 11. ad an. 1. Olymp. 75. Juſtin. ex Trogo lib. 2. 13. Cornel. Nep. in Pauſan. Plutar. in Ariſtid. lib. 9. 31. Diod. lib. 11. idem Nepos in Ariſtide.

Diod. lib. 11. c. 99. 130. cum Juſtin. lib. 2. c. 14.

3527. 477.

Thucid. lib. 1. Diod. lib. 11.

Eodem anno Arthabanus Satellitum regiorum princeps Xerxem noctu jacentem in lecto jugulavit, & regno potitus eſt Artaxerxes, e tribus Xerxis filiis natu minimus, qui Longimanus

Diod. Juſtin. lib. 3. c. 1.

Anni Mun. 3530. Ante Chr. 474. *Plutar. init. Artaxer. Euseb. in Chron.*

manus appellatus est, quod manum dexteram haberet altera longiorem. Huic regnare incipienti Themistoclis litteræ redditæ sunt, quibus se inique a civibus suis proscriptum quereus, amicitiam illius expetebat, operamque suam adversus Græcos pollicebatur. Tam egregium ducem Rex divitiis cumulatum, Satrapis licet invidentibus, excoluit. Artaxerxis an. septimo E-

Esdr. 6. 7. 9.

3537. 467.

sdras Sacerdos & Scriba, ad Rempublicam Judaicam constituendam, & Ecclesiam reformandam, Hierosolymam missus est, novo instructus edicto, quo plenissima huic populo concedebatur libertas. Cum advenisset, varia circa Religionem constituit: imprimis alienigenarum uxorum missionem severissime præcepit. Cum autem iterum a Sanballato Horonita Moabitidis, & Tobia Ammonitidis Toparchis urgerentur Judæi, Nehemias Artaxerxi a poculis, anno regni ejus vigesimo, præfecturam Judææ & ædificandæ Hierosolymæ ampliorem, quam hucusque data fuerat, potestatem accepit, qua quomodo usus fuerit, in ejus libro habetur. Hoc Artaxerxis edictum in eo ab edicto Cyri discrepat, quod Cyrus Templum, Artaxerxes Urbem, & mœnia restauranda curaverit. Ab hoc decreto septuaginta Danielis septimanarum initium duci debere existimant recentiores fe-

Jerosolyma cum Templo restauratur. *Esdr. C. 10.*

Usser. ad hunc an. Bossuet. & Dis. Gallic. D. Le Blanc de 70. Daniel. Hebdomad.

re omnes Chronologi. Fuit is annus ante Æram vulgarem 454. circa finem 81. Olympiadis & Romæ 300. Nehemiæ cura, fremente licet Sanballato, aliisque vicinis hostibus, Urbis mœnia perfecta & dedicata sunt, variaque officia tum sacra, tum politica accuratius ordinata. Interim Romæ anno post U. C. trecentesimo tertio, ante Christum 451., ut auctor est Dionysius, mutata est Reipublicæ forma: pro Consulibus creati sunt Decemviri cum summa potestate; qui ex legibus, quas hinc inde legati è Græcia, superiore anno, Romam attulerant, Populo Rom. jura conscriberent. Sed cum iidem potestate sua tyrannice abuterentur, fit altera plebis secessio, ad quam sedandam sublati sunt Decemviri, ac Tribuni Plebis, & Consules restituti. Esdras sacros Codices, quos accurate revisit, digessit, & ex

Ante Chr. Ann. Num.

& ex veteribus populi Dei ſcriptis duos libros Paralipomenon, ſeu Chronicorum compoſuit, adjecta ſui temporis hiſtoria, cui Nehemias ultimam impoſuit manum. His temporibus Judaica lingua vulgaris eſſe deſiit, atque ejus loco Chaldaico idiomate, ac litteris uti cæperunt Hebræi, apud quos ab eo tempore Scriptura Sacra chaldaicis litteris ſcripta extat. Sed vetus ſcribendi mos, a Samaritis ſedulò retentus, ad nos pervenit; unde in eorum Pentateucho antiquos caracteres hebraicos cernere eſt. Artaxerxes, ſub quo Judæi pacifice vivebant, a Cimone filio Miltiadis, Athenienſium Præfecto ad inhoneſtæ pacis conditiones adactus, cum ſe Græcos aperta vi ſuperaturum deſperaret, eorum diſſidiis excitandis, atque nutriendis totus incubuit; nec fruſtra: nam paulo poſt exorto inter Athenienſes, & Lacedemonios bello, utraque gens ſibi invicem inſenſa totam Græciam in partes ſuas traxit. Pericles Athenienſis Peloponneſiacum bellum conflavit, in quo Theramenes, Traſibulus, & Alcibiades egregiis factis famam adepti ſunt. Viginti ſeptem anni eo inſumpti bello, quod tandem Lacedemoniis, qui Darium Nothum, filium & Succeſſorem Artaxerxis conciverant, feliciter ceſſit. Lyſander Claſſis Lacedemoniorum Præfectus, Captis Athenis, eorum regimen, & jura reſolvit. Perſæ brevi Lacedemonios ſuis viribus, & auxilio inſolentiores factos ſenſere; Nam juniorem Cyrum adverſus Artaxerxem Mnemonem fratrem ejus primogenitum rebellantem juverunt. Hic opitulante matre Paryſatide è vinculis, & morte ereptus, ultionem meditatur. Egregia forma, innumeris illecebris Satrapis ſibi devinctis, Aſiam Minorem permeat; fratrem ſuum Artaxerxem in medio regni ejus vulnerat, & pugnæ ſucceſſu elatus, dum incautius in hoſtes fertur, a quodam percuſſus occumbit. Decem millia Græcorum, quos ſibi ſocios adjunxerat, per medios hoſtium cuneos duce Xenophonte tranſeuntes, domum reverſi ſunt. Lacedemonii Perſici

3575. *Thucid. lib. 2.* 431.

Xenoph lib. 3. Hellenic. init. Diod. Olym. 94. lib. 5 Juſtin. lib. 5. c. ult.

Anni Mun. Ante Christ. sici Imperii ruinæ jugiter instabant, quod Agesilaus Spartæ Rex in Asia Minore graviter percussit. Sed ingravescente Patriæ discordia, ad ejus tutelam revocatur.

3608. 396. Roma a Gallis capta. Sub idem tempus Roma a Gallis capta atque incensa est, præter Capitolium, quo se flos Civitatis receperat; at strenua Camilli opera brevi Romanæ res restitutæ sunt. Durantibus Græciæ dissidiis Epaminondas Thebanus egregiis suis factis magnam sibi gloriam comparavit, eoque duce Thebani semper victores fuere, ac Lacedemoniorum potentia fracta est. Artaxerxi Mnemoni in Persarum Regno succedit filius ejus Ochus, qui Ægypto subacta, cum 23. regnasset annos., a Bagoa Eunucho veneno sublatus fuit, eumque ipsius Bagoæ opera Arsen Ochi filius natu minimus excepit. His in Perside regnantibus, Philippus Macedonum Rex totius Græciæ principatu armis obtento, expeditionem in Persas meditatur. Sed paulo post a Pausania interfectus, cum Regno persici belli provinciam reliquit Alexandro filio suo, qui postea Magni cognomen adeptus est. Eodem anno Bagoas Arsen Persarum Regem, ejusque liberos omnes e medio sustulit, ac in solio Darium Codomanum è stirpe regia, ut verisimilior fert opinio, collocavit. Sic duo novi Reges uno eodemque tempore Regnum auspicati sunt, Alexander, & Darius. Ambo æmuli se torve respiciunt, uterque ad imperium totius Orbis se natum existimat.

3644. 360.

Plutar. in Artax.

Alexander M. Darium vincit. Alexander itaque, Hellesponto superato, Darium aggreditur, eumque ter instructa acie fudit. Postea ovans Babylonem & Susas ingreditur: quocumque arma circumfert, nominis sui terrore omnia implet: usque ad Indos vastum profert imperium: demum Babylonem reversus, ibi fato occumbit, ætatis annum iniens tricesimum tertium. Ad ejus tempora referenda est Samaritarum Templi in monte Garizim ædificatio, cujus hæc fuit occasio. Manasses Judæus, frater Jaddi Summi Pontificis, duxerat filiam Sanaballati Samaritæ, qui a Dario ejus regionis Satrapa constitutus fue-

Anni Mun. Ante Christ.

fuerat. Verum cum ob id Sacerdotio pulsus fuisset Manasses, ad socerum confugit, qui ei pollicitus est se novum Templum Hierosolymitano simile in monte Garizim ædificaturum, cujus ipse Pontifex esset. Id autem revera præstitit Sanaballatus, Alexandri auctoritate, cui Tyrum oppugnanti suppetias tulit, defectione facta a Domino suo Dario. Ejus Templi Pontifex constitutus est Manasses, qui Judæos quamplurimos, præcipue alienigenarum conjugiis implicitos, ad se traxit. Ceterum Judæi in Persarum fide manentes, Alexandro auxilia denegarunt. Quam ille injuriam dum pergit ulcisci, cum vidisset Summum Pontificem sibi obviam factum cum omnibus sacrificatoribus, quos innumera plebs antecedebat, continuo immutatur. Vaticinia Danielis victoriarum ejus prænuncia libenter audiit, ac Judæis, quæcumque petierunt, concessit. Mortuo Alexandro, ejus scissum est imperium, ac totidem pene reges emersere, quot erant præfecti ejus, ac duces. Perdiccas, Ptolomæus filius Lagi, Antigonus, Seleucus, Lysimachus, Antipater, Cassander, aliique sub eo in bellis educati, partem aliquam armis occupare conati sunt. Universa ejus domus, frater, mater, liberi, soror ejus quoque mactantur. Cruentæ ubique pugnæ, promiscuæ cædes. Sic dilacerato imperio, omnibusque tumultuantibus, plures Asiæ Minoris Provinciæ se in libertatem vindicant, ac nova regna formantur, a Daniele Propheta obscuris significationibus adumbrata. Præcipua fuere Ægyptiacum a Ptolomæo filio Lagi conditum; ac Asiaticum, seu Syriacum a Seleuco Alexandri commilitonum ultimo. Nam ad Macedoniam quod attinet, vetus Alexandi M. Regnum, primi occupantis præda fiebat. In eam Brenno duce penetrarunt Galli, quibus resistere ausi Macedones ingentem primo cladem accipiunt; Sed ad Parnassum, quo illi potiundi Delphici Templi ac spoliandi gratia perruperant, victi denuo sunt.

Post Alexandrum varia Regna exoriuntur.

Dan. 7. 8.

Dum hæc in Oriente, & Græcia geruntur, suas Italia quoque procellas armorum tulit. Galli Cisalpini, & Transalpini,

Romanorum procellæ, & victoriæ.

Anni Mun. Ante Christ.

a Samnitibus, Brutiis, & Etruscis exciti primo statim prælio Romanos cæciderunt. Sed eam cladem mox ultus est Consul Dolabella, Gallisque profligatis, & eorum urbe capta, Coloniam eò deduxit. Bis iterum acie victi, pars Romanum jugum subeunt, pars pacem orant. Tertio post hæc anno Pyrrhus Epirotarum Rex a Tarentinis in auxilium evocatus, Romanis bellum intulit, ac cum eis sex circiter annis vario eventu pugnavit; victus tandem, Tarentoque pulsus, Macedoniam invasit, ejecto Antigono. Facta subinde incassum in Laconicam incursione, Argos contendit, quam urbem ingressus, contraque Antigonum dimicans, illisa capiti tegula a muliere peremptus est. Antigonus tanto liberatus hoste, Macedoniæ Regnum repetiit, quod post aliquas vices familiæ suæ reliquum fuit ad Perseum usque, quo a Romanis subjugato, regnum Macedonicum extinctum est. His temporibus Judaica gens, ejusque religio inter Græcos clarescere cæpit. Populus hic a Syriæ Regibus bene habitus, suis legibus pacifice vivebat; non solum in Judæa, sed illis etiam in locis tum Asiæ Minoris, tum Græciæ, in quibus iisdem Syriæ Regibus annitentibus, sua plerique fixerant domicilia. Ptolomæo Philadelpho regnante, sacri eorum libri, ex hebraica lingua in græcam translati sunt, unde celebris illa septuaginta interpretum versio prodiit. Hæc elaborata fuit ab eruditis quibusdam senibus, quos Pontifex Eleazarus miserat regi postulanti. Post S. Hieronymum censent plerique septuaginta hos interpretes quinque dumtaxat Moysis libros vertisse. Residuum Sacrorum Codicum probabile admodum fit, decursu temporis in Græcum translatum fuisse ad usum Judæorum Ægyptum & Græciam incolentium. In hac Judaici nominis dispersione Templi Hierosolymitani fama toto orbe increbuit, & cuncti Reges Orientis in eo dona offerebant.

Flutar. in Pyrr Justin. 25.

Flutar. in fine Demet.

Epiphan. de Ponderib. Tertull. in Apolog. c. 18.

Bossuet. in histor. Univ. Dupin Comment. sur la Bible.

Bellum Punicum, primum, & secundum.

Romani post 430. annos bello insumptos, Italia tandem universa potiti, ad externa bella animum appulere, ac cum Carthaginensibus, qui Tarentinis auxilio venerant, spatio annorum

norum 24. pugnarunt. Pœni terra, marique profligati pacem a Conſule Lutatio his legibus impetrarunt, ut Inſulis omnibus cederent, quæ Italiam inter, & Africam interjacent, ac bis mille & ducenta in annos 20. talenta penderent. Is primi belli punici exitus. Eo perdurante Theodotus Bactriannæ Præfectus Antiocho, cognominato Deo, filio Antiochi Soteris, mille Urbes eripuit: Quod exemplum inter alios Orientis populos imitati ſunt Parthi. Nam a Macedonibus deſectione facta, novum condiderunt Regnum, quod ipſius Romani ſuccedente tempore æmulum fuit. Alterum ſubſecutum eſt bellum Punicum omnium graviſſimum ab Hannibale conflatum, ac geſtum. Romani pluribus ammiſſis prœliis, ad extrema redacti ſunt: Sed maxima Fabii, Marcelli, ac Scipionis virtute ſuperiores tandem extitere. Scipio, ob domitos in Africa Carthaginenſes Affricanus dictus, iiſdem pacis leges præſcripſit auctore Senatu, Populoque Romano, ac ſequenti anno triumphans in Urbem invectus eſt. Hoc confecto bello, Macedonicum ſucceſſit cum Philippo Rege, quem Conſul Flaminius acie vicit. Pretium victoriæ libertas Græciæ fuit, quam per ſolemne Iſthmiorum ludicrum pronuntiatam voluere Romani, quamque incredibilis plauſus excepit. Antiochus Syriæ Rex, cognomento Magnus, ab Hannibale, qui ad illum confugerat, incitatus, Romanis jam ſibi nimia potentia ſuſpectis bellum intulit; ſed in eo gerendo Hannibalis conſilium haud ſecutus, a Lucio Corn. Scipione Publii fratre ſuperatus eſt, ac regionibus omnibus, quæ erant cis Taurum montem, cedere coactus. Hannibal a Pruſia Bithiniæ Rege exceptus, paulo poſt quæſitus ad necem, veneno vitam finivit. Antiocho M., dum Beli Jovis templum in Elymade deprædari aggreditur, occiſo, ſucceſſit illi Seleucus Philopator ejus filius. Hic Eliodorum unum e purpuratis ſuis Hieroſolymam miſit ad ærarium Templi diripiendum, quem ab Angelis flagellatum, ac ſeminecem Onias III. tunc temporis Pontifex ſanctiſſimus liberavit precibus ſuis. Seleuco e vivis ſublato, Antio-

Anni Mun.	Ante Chriſt.
Strab. lib. 11. p. 511. Juſtin. lib. 41. c. 5.	
3754.	250.
Polyb. 16. p. 73.	
3802.	202.
Liv. l. 31. Flor. 2. c. 7. Plutarch in Flam. Juſtin. 30.	
Polyb. 9. Plutarch. ibid.	
3809.	195.
Livius. lib. 37.	
3828.	190.
Corn. Nep. in Hann.	
2. Mac. c. 3.	

Anni Mun.	Ante Christ.	
3829.	176.	Antiochus Epiphanes, seu Illustris. Antiochi M. filius, natu minimus regnum invasit. Eo tempore maxima facta est in Judæos persecutio: Templum Dei, legem Moysis, & omnem Gentem exscindere aggressus est Rex impius ac furens. Spe potiundæ Ægypti Romanorum auctoritate frustratus, Hierosolymam reversus, cæde, incendio, prophanatione cuncta replevit.
		Tunc Mathatiæ Sacerdotis e stirpe Phinees egregium in propulsando hoste animi robur effulsit: Occiso enim regio satelli-
3837.	167.	te, qui ad prophanos ritus populum adigebat, ac collecta Ju-
	1. *Mac.* 2.	dæorum manu, regis minas contempsit. Moriens filios, quos habebat quinque, fortissimos viros, ad tuendam libertatem ani-
	Machabæorum victoriæ.	mavit, qui & parentis voto optime responderunt. Nam Judas, Machabæus nuncupatus, cunctorum fratrum, si non ætate, auctoritate certe maximus, aliquot de Antiochi ducibus victoriis relatis, Templum expurgavit, ac Sacerdotes, divinumque cul-
3840.	164.	tum restituit. Hinc familiæ Asmoneorum fastigium: dira Antio-
	1. *Mac.* 6. & *lib.* 3. c. 9.	chi mors, ementito animo scelerum suorum veniam a Deo exorantis, a quo non erat misericordiam consecuturus. Eo vivente Macedonicum Imperium, quod per 700. annos steterat, a Romanis extinctum est, Perseo Rege Philippi filio a Cons. Æmilio Paulo in captivitatem abducto. Antiochus Eupator in Regno Syriæ sub tutela Lysiæ successor, paterni quoque in Judæos odii hæres fuit. Nam maximos contra illos comparavit exercitus, quos Judas pari fortuna delevit. Tum pugnandum illi fuit cum Demetrio Sotere, Seleuci filio, qui Roma, ubi diu obses fuerat, elapsus, patrium regnum recuperaverat, occiso An-
3842.	162.	tiocho Eupatore, ac ejus tutore Lysia. Duces ejus exercitus a Juda Machabæo sæpenumero cæsi, & profligati sunt; sed tan-
3843.	161.	dem vir fortissimus, hostium multitudine obrutus, incredibi-
	1. *Mac.* 9. 23. 27.	li virtute prœliando cæsus est, luxitque eum universus Israel dies multos. Jonathas fratris sui, cui successit, famæ haud impar, octodecim annis circiter Judæis præfuit. Legati, quos Judas miserat ad ineundam cum Romanis societatem, reversi, mu-

mutuum pacis fœdus tabulis æreis inſcriptum retulerunt; & licet nullum adverſus hoſtes auxilium conſequuti fuerint Hebræi, tamen Romani nominis gloria magno fuit eis præſidio. Interim graves in regno Syriæ commotiones exortæ. Alexander Bala, extremæ ſortis homo, a Ptolomæo Philometore Ægypti Rege incitatus & adjutus, ſe Antiochi illuſtris filium eſſe fingens, in Demetrium arma commovit, eique poſt biennium Regnum, ac vitam eripuit, duobus adoleſcentibus filiis poſt ſe relictis. Sic Balas regno potitus, ac Cleopatra Ptolomæi filia ducta, in omnes ſe immergit libidines, quibus in ſubditorum contemptum & odium incidit. Sub idem tempus Alexandriæ Judæos inter, & Samaritas de ſacris ipſorum ſeditio exorta eſt, illis Hieroſolymitanum, his Garizitanum Templum juxta Moyſis præſcripta contendentibus eſſe legitimum. Ad regem Ptolomæum provocantes utrique, petierunt ab eo, ut cujus partis cauſidici ſuccumberent, morte mulctarentur, juraveruntque ſe probationes ex lege allaturos. Rex, multis amicis in conſilium adhibitis cauſam audivit, & Judæorum rationibus motus, victoriam iiſdem attribuit, adverſæque partis patronos morte mulctavit. Idem Rex Oniæ, generis Sacerdotalis, ædificandi in Ægypto templi Heliopoleos, ad inſtar Hieroſolymitani, poteſtatem fecit; quod a Judæis juxta legem ſentientibus valde fuit improbatum, ac Sacerdotes, qui huic miniſtrabant Templo, eodem habiti ſunt loco, ac Sacerdotes excelſorum.

Eadem tempeſtate duæ opulentiſſimæ urbes exciſæ, ac penitus ſublatæ ſunt; Carthago nempe a Scipione Æmiliano, & Corinthus, Acheorum Reipublicæ, ſeu confederationis caput, a Conſ. L. Mummio. Hæc Urbs totius Græciæ & voluptuoſiſſima, & ornatiſſima erat, cujus tabulas, ſtatuaſque mira arte elaboratas Conſul Romam aſportavit, ubi cum pretium earum adhuc ignoraretur, neglectæ ſunt. Ptolomæus Philometor maximis copiis coactis ex Ægypto in Syriam venit, per ſpe-

Anni Mun. 1. *Mac.* 8. 19. 32. — Ante Chriſt.

1. *Mac.* 10. 1. 2. 3854. — 150.

1. *Mac.* 10. 48. 49. 50. *Joſeph l.* 3. c. 5. *Juſtin. lib.* 35. c. 1.

Joſeph antiq. lib. 12. c. 6.

Joſeph lib. 7. *belli c.* 37. *& Antiquit. lib.* 13. *c.* 6. Carthago, & Corinthus everteruntur.

Vell Patere. lib. 1. *Pauſan. in Achaic.* 221.

Anni Mun. Ante Christ. speciem juvandi Alexandrum Balam generum suum adversus Demetrium Nicatorem Soteris filium, revera autem ut regnum Syriacum illi ereptum adjungeret suo. Repulsus, hostiles partes susceptit, & ablata ab Alexandro filia sua Cleopatra, Demetrio in matrimonium dedit, in regnum paternum restituere eum promittens. Commisso prœlio Alexander victus, suorum manibus interemptus est. Sed paucos post dies & ipse Philometor vulneribus in pugna acceptis confectus, interiit: Atque ita Demetrius tota Syria potitus, Jonatham honorifice tractavit, eique principem inter amicos locum dedit. Jonathas vicissim, audito Demetrii periculo, quod illi gravissimum ex Antiochensium seditione imminebat, cum suis quamprimum accurrens e rebellium manibus amicum eripuit. Sed uti Rex se firmum reputavit, more majorum in Judæos sæviit, majora etiam minatus, quæ, novis obortis seditionibus, perficere non valuit. Diodorus, cognomento Triphon, Balæ filium Antiochum extulit, infantisque tutorem se gessit. Ob Demetrii superbiam a populis rebellatum. Jonathas cum Romanis, & Spartanis fœdus restaurat. Omnia ei prospere eveniebant, cum a perfido Triphone ipse, & liberi ejus insidiis excepti, interempti sunt. Successit illi Simon frater ejus, qui a populo Dux, & Pontifex electus, suam electionem Romanis per legatos significavit, iique rescripserunt ad eum tabulis æreis, ad renovandam cum eodem amicitiam, & societatem, quam cum ejus prædecessoribus pacti fuerant. Tripho non minori erga pupillum Antiochum, quam in Jonatham perfidia fuit; nam eum opemedicorum necavit, & regni partem invasit. Simon a Demetrio Rege obtenta tributorum omnium remissione, ac tum ex arce Hierosolymitana, tum ex omnibus Judææ oppidis ejectis Syriis, Judæos suos a gentili jugo tandem exemit. Qui vicissim egregiis ejus in gentem meritis gratificari volentes, regalia jura, annuente Demetrio, ipsi, familiæque ejus concesserunt: Ipse tamen diademate, regioque nomine abstinuit.

1. Mac. II. De 1. 2. 3.

Joseph lib. 13 c.8. Livius, lib. 52.

1. Mac. xi. 20. 37. Diod. Sic. in excerptis delerit p. 346.

1. Mac. xi. 52.

Livius lib. 52. Joseph lib. 13. c. 9. Appian Syriac. p. 142. 1. Mac xiv. 22. 23. 1. Mac. xiii. 39. 52.

1. Mac. xiv. 16. 17. Liv lib. 55. Strab. lib 16. 752. Justin. lib. 36. c. 1.

3864. 140.

Hic

Hic incipit novum regnum populi Dei, & principatus Asmonæorum supremo Sacerdoti perenniter junctus. Demetrius Nicator in Mediam profectus ad Parthos oppugnandos, plures Victorias de iisdem retulit; at dum regressum adornaret, ut perfidum Triphonem opprimeret, a Parthis insidiis circumventus, eorum captivus remansit. Quo Triphon audito, se firmum reputavit, sed milites morum ejus pertæsi defecerunt ad Cleopatram Demetrii uxorem. Hæc indignata, quod maritus Demetrius Rhodogunam regis Parthorum filiam, apud quos captivus degebat, duxisset, misit ad Antiochum Sidetem, Demetrii fratrem, eique suum conjugium, & regnum obtulit. Novus Rex Triphonem adortus occidit; Simoni postea per Cendebæum ducem bellum intulit, qui superatus est a Joanne Hircano, Simonis patris sui in Pontificatu successore. Haud tamen quievit Antiochus, sed quarto regni sui anno, Hircani primo, Hierosolymam arctissima obsidione vallavit. Verum cum res diutius protraheretur, quam vellet Antiochus, qui Parthis ad fratrem suum liberandum bellum inferre meditabatur, æquis conditionibus, pacem Hircano concessit, obsidione soluta.

Dum ea geruntur, servile bellum atrox, & tumultuarium in Sicilia exortum est, quo Romani Prætores quatuor perierunt, sed demum rebelles, cum Euno eorum duce, a P. Rutilio Cons. profligati sunt. Paulo post ob hæreditatem Attali Pergami Regis, qui liberis carens, populum Romanum hæredem instituerat, gravis in Urbe seditio orta est. Ejus incensores Gracchi. Tiberius Gracchus Tribun. Pleb. gratiam populi pretio appetens, seditiosas quasdam leges tulit, quem Senatus Scipionis Nasicæ manu interfecit, quod paulo post & Cajo Tiberii fratri contigit, qui eamdem sectam prosequebatur. Scipio Æmilianus militarem disciplinam restituebat, & Carthaginis excidio clarus, Numantiam quoque, alteram in Hispania Romæ æmulam delevit. Antiochus Sidetes contra Phraatem Parthorum regem cum exercitu profectus est, fratrem suum

Anni Mun.	Ante Chr.
1. Mac. 14. 32. 41. Judæorum Regnum cum Sacerdotio junctum. Justin. Lib. 36. 32.	
Appian. Syriac. pag. 132. Joseph. lib. 13. c. 12.	
3865. Joseph. lib. 13. c. 12.	139.
3869. 1. Macab. XVI. 1. 20. 19. 24. Joseph. lib. 13. c. 16.	135.
3870.	135.
Joseph lib. 13. c. 16. cum Diodoro Sic. lib. 34. in Biblioth. Photii Cod. 241. Livius lib. 36. 59 Val. Max. lib. 2. c. 7. Plutarch. in Tib. Grac.	
3872. Appian. Bello Civ. lib. 1. pag. 358.	132.
3873.	132.

Anni Mun.	Ante Chr.	
		Demetrium Nicatorem repetere simulans. Tribus prœliis victor,
	Justin. lib. 38. cap. 10.	nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuit. Phraortes, ut
	39.	Antiochum a finibus suis arceret, Demetrium Nicatorem in
		Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præsidio mittit.
		Interim cum Sidetes, ut tanti belli molem sustineret, in sub-
	Joseph. lib. 13. c. 16. Fusebium in Chronic.	ditorum fortunas impetum faceret, exorta seditione a suis
		oppressus est, & cum copiis toties victricibus periit. Phraor-
3875.	129.	tes, hoc audito, Demetrium elapsum, ac regno jam restitu-
	Justin. lib. 38. c. 10.	tum frustra deturbare nititur: uxor ejus Cleopatra dominandi
	Joseph. Antiquit. lib. 13. c. 17.	libidine ad eum revertitur, & Rhodogunna spernitur. Hirca-
3876.	128.	nus, arrepta occasione, longe lateque ditionis suæ fines protu-
		lit. Nam Idumæos omnes bello subegit, eosque ritus Judaicos
		cum circumcisione coegit accipere, ac Sichem ex Samaritis re-
		cepta, Templum Garizim, ducentos annos postquam a Sana-
	Joseph. ibid.	ballato fuerat extructum, funditus evertit; tum etiam, Ro-
		manis opitulantibus, loca ab Syriis erepta recuperavit. Deme-
		trius Nicator iterum Regno Syriæ potitus pristinæ calamita-
	Justin. lib. 39. c. 1.	tis immemor, superbe ac violenter regnabat; quare paucos post
3880.	124.	annos invisus omnibus, & ab Alexandro Zebina victus, quem
	Liv. lib. 60. Appian. in Syriac. pag. 131.	Ptolomæus Syriis postulantibus miserat, ab uxore Cleopatra in-
		terfectus est. Seleucus filius ejus primogenitus, ex Cleopa-
		tra natus, quod injussu matris diadema sumpsisset sagitta ab ea-
3881.	123.	dem confossus interiit. Antiochus Griphus, alter ejus filius,
	Justin. lib. 39. c. 2. cum Appian. ibi.	natu minor, rebellibus profligatis, victor remeabat, cui Cleo-
3884.	120.	patra venenum propinavit; at ille, materna fraude intellecta,
		jussit eam haurire. Inter liberos, quos ex duobus fratribus De-
		metrio Nicatore, & Antiocho Sidete genuerat, moriendo æ-
	Joseph. lib. 13. c. 17.	terni dissidii semina reliquit. Sic agitata Syria Judæos ultra in-
3895.	109.	festare non valuit. Joan. Hircanus Samariam cepit; civibus ta-
	Joseph. ibid.	men ultro in idololatria permanentibus; quinquennio post obiit,
3900.	104.	quinque post se relictis filiis; quorum Aristobulus Patri succes-
		sit homo execrandus, & impius. Nam & matrem, & Anti-
		gonum minimum fratrem sustulit, reliquos tres in vinculis ha-
		buit.

buit. Hic primus omnium poſt reditum a captivitate Babylonica, diademate ſibi impoſito, principatum in Regni formam tranſtulit. Parum tamen vixit; ac poſt obitum, uxor ejus Salome Alexandrum Jannæum, unum ex tribus viri fratribus, regem conſtituit. Hic vero alterum fratrem inſidiantem ſibi interfecit, alterum privata, & otioſa vita contentum in honore habuit. Anni Mun. Ante Chr.

Joſeph. lib. 3. belli c. 3. Antiquitat. lib. 13 c. 19.

Joſeph. lib. 13 c. 20.

Circa hæc tempora Romanorum res maximum habuere incrementum. In Galliis cum Tranſalpinis populis primum dimicavere Romani an. U. c. 629. Flaccus Salyos, Fabius Allobroges, Marius Cimbros, Teutoneſque profligavit. Jugurtha Rex Numidiæ a Metello primum fractus, a Mario demum debellatus; ac in triumphum ductus, in carcere fame necatus eſt. Sic Romani fines ſuos proferebant, & ſenſim omnes terras, & omnia maria noti orbis invadebant. Sed quo ſplendidior Reſpubl. tot victoriis foris apparebat, eo magis inteſtinis diſcordiis, & effrænata civium ambitione diſcindebatur. Præter ea, quæ de Gracchis memoravimus, Saturninus agraria lege lata, ut quem agrum C. Marius, pulſis e Gallia Cimbris, adquiſiſſet, populo divideretur, Metellum Numidium reſiſtentem ſibi mulctavit exilio, ac tandem C. Mario ſextum Conſule peremptus eſt. Eodem pene tempore duo difficillima bella geſſerunt Romani; quorum alterum in Italia, alterum extra Italiam contigit. Illud *Sociale*, vel *Marſicum* appellatum eſt, quod a Latinis, ac Italia fere omni excitatum eſt, eique finem impoſuerunt Cn. Pompejus Strabo, Magni pater, & L. Sylla. Alterum contra Mithridatem in Aſia ſuſceptum eſt, cujus gerendi provincia cum a pluribus expetiretur, civile bellum inter Marium & Syllam exarſit, quorum furoribus Roma dilacerata. Immodica dominandi cupido unumquemque invaſit. Sertorius Marianarum partium fautor in Hiſpaniam aufugit, ibique cum Mithridate fœdus iniit. Contra hunc belli peritiſſimum ducem fruſtra vis adhibetur. Quatuor Romanorum

Romanorum, victoriæ.

3830. 122.

3905. 99.

Livius lib. 69. Plutar. in Mario Appian. Bell. Civ. lib. 1. p. 367. Oroſius lib. 5. c. 17.

Liv. lib. 27.

3913. 91.

Diod. Sic. in Bibliot. Photii Cod. 244.

Appian. lib. 1. Bell. Civ. p. 396 cum. Mithridatic. p. 206.

3930. 74.

Liv. lib. 97.

Anni Mun. Ante Chr.

rum duces contra se missos variis affecit cladibus. Rem confeciſſet Lucullus Conſ., qui ſecundiſſimis prœliis terra, mari-
Plutarch. in Luculio & Appian. Dio. lib. 35. 35. Liv. lib. 98. 100. que factis Mithridatem in Pontum primum, indeque in Armeniam ad Tigranem fugere compulerat; ſed a militibus ſuis poſtremo deſtitutus, tot laborum, victoriarumque fructus Cn. Pompejo cedere coactus eſt. Hic ob rerum geſtarum amplitudinem *Magni* cognomen adeptus, non ſolum fortiſſimum,
Velli Paterc. lib 2. c. 33. 3937. 67. hunc regem debellavit, ac Tigranem belli ſocium ſola Armenia contentum eſſe juſſit, ſed Iberos etiam, & Albanos, Syros quoque Romano adjecit imperio, maria omnia a Syria uſque ad columnas Herculis piratis infeſta liberavit, ac gladiatorium bellum Romanis formidoloſum confecit. Sed quod ad
Cic. Vell. Paterc. lib. 2. Liv lib. 101. Dio. lib. 35. Oroſius lib. 6. c. 4. Florus lib. 3. c. 6. Strab. lib. 16. p. 751. nos magis ſpectat, maxima per ipſum in rebus Judaicis mutatio contigit. Nam e Mithridatico bello redux Antiocho A-
3941. 63. ſiatico Regi Syriam ademit, ac in formam Provinciæ redactam,
Pompei geſta. Joſeph. lib. 1. Belli c. 5. & lib. 14. Antiquit. Euſeb. Demonſtrat. Evan. lib. 8. c. 2. Plutarch. in Pompei. Liv. lib. 103. Sex. Sulp. Hiſtor. Sac. lib. 2. Joſeph ut ſupra. Saluſt. in Conjurat. Catil. poſſeſſionem fecit Populi R; tum in Judæam veniens, capta Hieroſolyma, e duobus Alexandri Jannæi filiis, Ariſtobulum Romam captivum deduxit, Antigono autem Pontifici vanum potentiæ ſimulacrum reliquit. Ex eo vero tempore Hieroſolyma tributum Romanis cœpit pendere; ac pleriſque urbibus, quæ Judæis hactenus contributæ fuerant, proprio Præſidi permiſſis, gens ipſa intra veteres terminos redacta. Dum ita a Pompejo Romanorum amplificatur Imperium, Romæ neſaria Catilinæ conjuratio erupit, quæ Ciceronis eloquentia potius, quam Caii Antonii in Conſulatu Collegæ armis diſſipata eſt. Non inde tamen incorruptior Romana libertas. Primorum ambitio, ex eaque conflata diſcordia civilis extremam ei calamitatem attulit.
43. —
Plutarc. in Cæſ. & Pomp. Cæſar Comment. de bello Civ. lib. 1. Cicer. in Philippi. ſecund. Dio. lib. 41. 3955. Pompejus in Senatu dominari, magnoque nomine fultus, omnium arbitrum ſe gerere volebat. Galliarum victoriis a Cajo Cæſare partis nihil utilius Reipubl. acceſſit. Tam bene de patria merito potentia accrevit, qua eam oppreſſit. Primo Pompejum æmulari, poſtea eumdem ſuperare contendit. Immenſis cumulatus divitiis Craſſus, ut horum potentiæ, ita eorum glo-

Anni Mun. | Ante Chr.

gloriæ se parem ostendere voluit. Temere bellum adversus Parthos sibi, Patriæque exitiosum susceptum. Victores Arsacidæ Romanæ superbiæ insultarunt, atque in insatiabilem ducis avaritiam atrociter invecti sunt. *Cic. lib. 2. de Divinat. Dio. lib. 40. Plutarch. in Crasso Oros. lib 6. p. 13.*

Sed Romano nomini infamia inusta ob trucidatum Crassum non perinde nocuit; Eo sublato vinculum illud, quod Pompejum, ac Cæsarem, invitos licet, conjunctos tenebat, ruptum est, ac civile bellum exortum. Hi duo totius Reipubl. viribus firmati, apud Pharsaliam cruenta pugna veterem rixam, & odium dirimunt. Victor Cæsar, sui fama orbem implet: Continuo perlustratis omnibus terris, Ægypto, Asia, Mauritania, omnia victoriis emensus est: Romæ, totiusque Imperii dominus agnoscitur; quem tamen Brutus & Cassius, patriæ suæ liberandæ studio, velut tyrannum, nulla clementiæ ejus habita ratione, trucidarunt. Verum pro eo tres crudeliores insurrexerunt tyranni, M. Antonius, Lepidus, ac Octavius Cæsar, Julii Nepos, ac testamento in filium ab eo adoptatus, qui proscriptione, ac cædibus omnia replent. Hi tres inter se partiuntur Imperium. Morientis libertatis reliquiæ cum Bruto, & Cassio occidunt, ab Octavio, & Antonio bello profligatis. Antonius, & Cæsar amoto ab Imperio Lepido, ac Sex. Pompejo Cn. Filio in fugam acto, invicem arma movent. Cæsar navali prælio apud Actium cum eo congressus victor evadit. Antonius Ægypti, Orientisque viribus, quas secum adduxerat, amissis, & ab ipsa Cleopatra, cui repudiata Octavia Cæsaris sorore, totum se dederat, desertus, se ipsum interemit. Cæsaris victoriis nullibi resistitur; Alexandriæ recipitur, Ægyptus jam provincia Romana; Cleopatra Antonii nece comperta, suisque rebus diffidens, ne ad Victoris arbitrium viveret, mortem sibi consciscit: Roma ipsa Cæsarem unicum totius Imperii Moderatorem sub *Imperatoris* nomine agnoscit. Si qui supererant Romanæ potentiæ adhuc infensi, ab ipso Cæsare compressi. Versus Pirænæos montes Cantabros, & Astures rebellantes reprimit: Æthiopes pacem

3961. Civile bellum inter Cæsarem, & Pompejum. *Plutarch. ut supra.* — 43.

3966. *Sueton. in Jul. Cæs. c. 37. Dio. lib. 42. A Hirtius de Bell. Alexandrin Appian. pag. 1063. liv. lib. 106. Vict. lib. 4. Histor. Vell. Paterc. lib. 2. c. 56.* — 38.

3971. *Liv. lib. 120. Dio. lib. 46. Liv. lib. 124. Vell. Paterc. lib. 2. c. 70. Plutarch. in Bruto Appian. lib. 4. p. 665. Sueton. in Octavio. c. 16. & 54.* — 33.

3983. *Flor. lib. 4. c. 11.* — 21.

3984. *Dio. lib. 51. p. 446. Liv. lib. 133. Strabo lib. 17 pag. 795. Sueton. in Octavio 17.* — 20.

3987. *Flor. lib. 4. c. 12. Dio. lib. 52. p. 451.* — 17.

Anni Mun. Ante Chr. Æram. pacem orant: Perculsus Parthus captivos, & Romana insignia Crasso ablata, remittit: Fœdus & amicitiam ejus ambiunt Indi: Rethii, & Helvetii, licet montibus abditi, armis fulgurantem eum expavent: Pannonia agnoscit, Germania formidat, & Visurgis jura danti obtemperat. Terra, marique victor Templum Jani claudit. In conspectu ejus, totus quiescit orbis, & Jesus Christus nascitur.

Strabo & Dio. ut sup. Sueton. in Octav. c. 21.

4000. 5.

Liv. lib. 136.

In hoc autem eventu omnium maximo, & felicissimo, paululum immorari, non inutile erit, & antequam nostram de anno nativitatis Christi opinionem exponamus, de uno, aut altero ex divinis Sacrae scripturae oraculis, quæ in veteri testamento leguntur, quæque venturi Messiæ tempora designabant agendum est. Prima sit celeberrima illa Jacobi prophetia, quæ Genes. 49. legitur. Quum Sanctissimus hic Patriarcha mortem sibi instare intelligeret, vocatis ad se filiis suis, superno afflatus Spiritu, aperuit eis statum, quem ipsi, eorumque posteri habituri erant in terra promissionis. De Juda vero hæc vaticinatus est: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui: catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti, ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium: ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam: lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum: Pulchriores oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Postrema hæc Prophetiæ verba in sensu litterali spectant, ut quisque videt, fertilitatem regionis, quæ in divisione terræ Chanaan sorte obventura erat Tribui Judæ; sed quæ præcedunt, quoquo modo accipiantur, intelligi non possunt nisi de illo, qui Dei Nuncius esse debebat, voluntatum ejus Interpres, ac Minister, promissionum Adimplementum, novi populi Rex, uno verbo Messias, seu Christus Dominus. Unum est Verbum *Sceptrum*

Prophetia Jacobi de Christi adventu.

Anni Mun. 4000. Ante Chr. Æram 5.

ptrum hebraice שֵׁבֶט quod non ſine difficultate eſſe videtur, quum, juxta noſtri ſermonis proprietatem, nonniſi ad regiam dignitatem ſignificandam uſurpari ſoleat. Sed explorata res eſt, ipſorum quoque Rabbinorum confeſſione firmata, in lingua ſancta vocem iſtam deſignare Magiſtratum, Præfecturam, Poteſtatem in genere; ita ut Prophetæ ſenſus ſit, in diebus Meſſiæ totam in domo Judæ auctoritatem defecturam, quod univerſi ſtatus ruinam involvit. Duobus itaque characteribus, plane manifeſtis, Meſſiæ tempora in hac prophetia diſtinguuntur. Ammiſſa libertate, ac omni poteſtate, & auctoritate privati, ſubjiciendi erant Judæi alienæ gentis dominationi, & novus populus, novumque Regnum ex omnibus terræ populis conſtans, prodire debebat, cujus Meſſias eſſet caput, & ſpes. Hæc autem revera contigiſſe circum ea tempora, de quibus loquimur, certum omnino eſt. Sexaginta vix anni ad Chriſtum uſque ſupererant, quum Hircanus, & Ariſtobulus, Alexandri Jannei liberi, pro adipiſcendo Sacerdotio, cui regia dignitas adjungebatur, arma invicem moverunt: Pompejus a duobus fratribus ad eorum res componendas accitus, utroſque ſubegit, ac Romanis tributa pendere juſſit; Et licet, Ariſtobulo in triumphum abducto, Hircanum Judæis reliquerit, regio nomine, ac vana potentiæ ſpecie, quam etiam imbecillitate ſua brevi amiſit; tamen non multo poſt, 40. ſcilicet annis ante Chriſtum, Herodes Idumæus Antipatri filius, ſtudio Oct. Cæſaris, & M. Antonii, a Senatu R. Judææ Regnum obtinuit. Novus hic Rex qui exterius tantum Judaicam religionem profitebatur, ſuperbe atrociterque ſe gerit, ac priſcas regnandi rationes immutat: ad libitum Pontificum ſucceſſionem confundit: Pontificatum, quem arbitrarium reddit, enervat; & ita auctoritatem Concilii gentis, ſeu Sanhedrim imminuit, ut ab eo ipſam quoque vitæ neciſque poteſtatem abſtulerit, quæ illi ſemper, & ubique etiam in Babylonica Captivitate conſervata fuerat. Cum igitur Herodes & Romani, quibus ipſe mancipabatur, jus omne

Joſeph. Antiquit. l. 8. 8. 1. & 70. 8. 1. bell. Jud. l. 1. App. bell. Syriac. Mithrid. & Liv. l. 5. Vid. ſup. ad an. mundi 3940.

Anni Mun. 4000. Ante Chri. Æram 5.

ne publicum ad se transtulissent, Judaicæ Reip. fundamenta dissecta sunt, atque vastata. Miserrimam hanc rerum suarum conversionem videntes Hebræi, non potuit fieri, quin antiqui Jacobæi Oraculi non recordarentur, quo prædictum fuerat, in diebus Messiæ potestatem, auctoritatem, Magistratum penitus defecturum. Id annotat vetus eorum Auctor, ac ingenue fatetur, tunc temporis in Juda, & primoribus populi sceptrum desiisse, publico ab eis jure ablato, ac Judaico Concilio e gradu dejecto, cujus membra non amplius Judices, sed privati doctores erant. Sic ipso eorum sensu Christi adventus instabat. Id divulgatum est, atque Sacrarum litterarum auctoritate, quæ in Oriente plurima erat, universim creditum, ut Josephus testatur, brevi e Judæa novum Regem processurum, cujus imperio omnis terra subjiceretur: Docet nos etiam Joan. Evang. c. 4. 25. suo tempore mulierem Samaritanam credidisse Messiam mox esse venturum. Recte igitur Judæi de suo statu cogitantes, Messiæ tempora suis detrimentis, & occasu a Jacob designato, cognoverunt; neque vanis ambagibus se implicantes, eodem, quo advenit, tempore eum esse venturum rati sunt. Quod autem eum non agnoverint, id immodicæ eorum ambitioni, atque superbiæ referendum est, qua occupati, eam de Messia sibi efformarunt ideam, quæ pravis ipsorum animi cupiditatibus responderet. Quapropter eum sibi finxerunt Messiam, qui terrenis Regibus similis foret, quique summus Imperator esset, ac populorum domitor, & gentibus, quarum detrectabant imperium, formidolosus. Cum vero in statu prorsus diverso conspiciendum se Christus Dominus obtulerit, obstinato animo aversati sunt eum. Ceterum ea circa tempora Messiam venturum tam fortiter animo imbiberant, ut ea fides uno ferme sæculo inter ipsos permanserit. Et postquam præfinitum tempus omnino elapsum viderunt, ne fateri cogerentur Messiam quidem advenisse, ab ipsis tamen minime fuisse agnitum, quin potius rejectum, ac morte turpissima condemnatum, omnem moverunt

Tract. Voc. Magn. Gen. seu Comm. in Gen.

Joseph. de Jud. Rep. VII. 12.

runt lapidem, ut Sacra Vaticinia Christi prænuncia eluderent, majorum suorum traditione posthabita; ac eo usque progressi sunt, ut dicerent, Vaticinium Jacob ad Christum non pertinere, quod extremæ animi cœcitatis indicium est.

Anni Mun. 4000. Ante Christ. Æram. 5.

Huic Jacobi prophetiæ alteram non minus illustrem jungimus, quæ habetur Danielis 8. 9. v. 24. Dum populi sui vicem, Babylone captivi, Propheta commiseratur, ac Septuaginta annos, quibus servitus illa perdurare debebat, secum reputat, Deumque enixis precibus pro illorum liberatione obsecrat; continuo ad sublimiora elevatus alterum annorum numerum conspicit, liberationemque multo præstantiorem. Loco septuaginta annorum, qui fuerant a Jeremia designati, Septuaginta annorum hebdomadas videt, quæ incipiunt a sanctione Artaxersis Longimani de restaurandis mœnibus Jerosolymæ, hoc est anno Regni ejus vigesimo. Circa finem harum hebdomadum, *prævaricationis consumatio, peccati finis, justitia sempiterna adducenda, visionis, & Prophetiæ impletio, & Sancti Sanctorum unctio* ponitur, ac perspicuis verbis futura prædicitur. Præ ceteris hebdomas una, ultima & septuagesima a Propheta distinguitur. In ea immolandus est Christus. *Hæc multis confirmabit pactum*; & in *dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*, procul dubio ob mortem Christi; nam mortis ejus velut consequens quoddam hæc ingens designatur immutatio. Post occisum Christum, & hostiæ & sacrificii defectum, omnia turbantur, ac susdeque miscentur. Civitas, & Sanctuarium dissipatur, in Templo abominatio desolationis conspicitur, & usque ad consumationem, & finem perseveratura desolatio.

Danielis prophetia de Christi adventu.

Posito igitur, ut inter omnes ferme convenit, quod harum hebdomadum initium a 20. Artaxersis Longimani anno petendum sit, qui fuit mundi 3550, jam videre est, earum complementum haberi post quartum Mundi millenarium, circa quod tempus Christum in mundum advenisse constat. Atque hæc etiam erat pervetusta Judæorum traditio, Mes-

Vid. supr. ad hunc an.

Anni Mun. | Ante Christ. Æram.

4000. 5. fiam circa finem quarti millenarii, ac duobus millibus annorum circiter ab Abraham effluxis, appariturum. Elias quidam, cujus clarum est inter Judæos nomen, quamvis alius sit a Prophe-

Gem. Tr. San. C. XI. ta, id ante Christum natum docuerat; & hæc traditio extat in libro Doctrinali. Unum tantum obloqui posset: nempe quod, cum certum omnino non sit a prædicto Artaxersis anno has hebdomadas deducendas esse, neque firmum ex ea erui possit Messiæ adventus indicium. Verum præter quamquod paucorum annorum controversia exigui habenda esset momenti, omnis præterea difficultas, si qua subest, divinitus sublata est. Negari enim nullo modo potest ea revera contigisse, quæ Propheta eventura prædixerat post ultimam hebdomadam, in cujus medio Messiæ mors futura erat. Prænuntiarat Propheta post ultimæ hebdomadis exitum, Urbem, & Templum diruendum esse, sacrificia desitura, & usque ad consumationem, & finem perseveraturam desolationem. Hæc autem revera contigisse, quis unquam, qui sanæ mentis sit, negare audebit? A mille septingentis annis & amplius, Urbs, & Templum excisa sunt; diruto Templo, oportuit ut & sacrificia cessarent, quæ in eo tantum offerri poterant juxta Mosaicæ legis præscriptum; demum ad finem usque hanc eorum desolationem perseveraturam ex eventu præterito satis certo colligere licet: eo enim docemur, quod quoties Judæi aliud Hierosolymis Templum extruere tentarunt, toties eorum conatus in irritum cessere. Ea Templi instauratione prohibiti sunt primum ab Adriano, & a Constantino, cum se ad opus illud accinxissent. Deinde opus, imperante, ac impense favente Juliano Apostata, iterum inceptum terræ motus excussit, ac flammarum globi e terra erum-

lib. 32. c. ultim. pentes, opera pariter, & opifices hauserunt, ut præter Ecclesiæ Patres, & Scriptores, Ammianus Marcellinus testatur. Certissimum istud, & clarissimum factum, scilicet Judaicæ gentis subversio, quæ Christi mortem subsequuta est, nos ab omnibus Chronologorum argutiis abunde vindicat, & vaticinium fuisse

ad

adimpletum ipſis indoctis, & rudibus oſtendit. Merito igitur ab ipſis Judæis unanimi ore pronuntiatum eſt: *Adventus Chriſti omnia tempora abiiſſe*. Aliæ gentes Meſſiam toties promiſſum, ac tamdiu expectatum agnoſcunt: omnis terra benedictionis Abrahæ particeps fit; ac novum Regnum exurgit, cujus juxta Prophetas æterna erit duratio: Omnes hebdomades elapſæ ſunt: Sanctuarii, & populi deſolatio, mortis Chriſti æquiſſima pœna, contigit: Tandem Chriſtus tot ſignis ac prophetiis demonſtratus, prout in Judæorum traditione continebatur, advenit; unde inexcuſabiles omnino ſunt.

Anni Mun. 4000. *Geu. San. c. 10.* — Ante Chriſt. Æram. 5.

His de Meſſiæ adventu, ex prophetarum oraculis, quam breviter prænotatis, ad hiſtoriam nunc revocanda eſt oratio, ut Jeſu Chriſti nativitas enarretur; prius tamen adnotandum eſt, Æram vulgarem, ſeu Dionyſianam, ex eruditorum conſenſu, verum nativitatis Chriſti annum non indicare, nec primo ejuſdem æræ anno Chriſtum revera natum fuiſſe, ita, ut certo dici poſſit ab anno, quo Chriſtus natus eſt, uſque ad labentem 1770., quo hæc ſcribimus, tot tantum annos excurriſſe: quot vero ante eam æram annis natus ſit Chriſtus Dominus, in obſcuro eſt, & magna animorum diſſenſione ab eruditis adhuc certatur; cum alii biennio ante æram vulgarem J. Chriſtum natum eſſe tradant, alii triennio, quadriennio alii vel quinquennio etiam, aut ſexennio. Singulorum opiniones exponere, aut confutare ſuperfluum judicamus, quas poſt Seneſchallum in Triade Evangelica recenſet Natalis Alexander; Sed inter varias ea de re opiniones eam eligimus, quæ ceteris, & ratione, & auctoritate præſtat; atque cum eruditiſſimis viris Dekerio, Petavio, Uſſerio, Norifio, Nat. Alexandro, Tillemontio, Moneglia, Samuele Baſnagio, Clerico, aliiſque Chriſtum Dominum in lucem veniſſe dicimus anno a Mundi creatione circiter 4000. Olymp. 193. an. 4. Urbis conditæ 749. Æræ Julianæ 41. Auguſti Imperatoris an. 40. Herodis Regis an. 36. Coſſ. Auguſto Cæſare XII., & L. Cornelio Sulla, an-

De anno quo natus eſt Jeſus Chriſtus.

Nat. Alex. diſſert. 2. in ſeculi. Petav. lib. 12. 5. de doctr. temp. Uſſer. annal. antiq. Noris. epiſt. ad Pag. tom. 2. p. 664. tom. 3. de Cenotaph. Pit. diſſert. 2. et alibi paſſim. Tillem. t. 2. Nat. Alex. ut ſup. Moneglia Ord. Præd. diſſert. ſing. de annis nativitatis, baptismi et Paſſionis J. Chriſti Baſnag. Clericus in Annal. Eccleſiaſt. 5. ante æram vulgarem

Anni Mun. 4000. Ante Christ. Æram. 5.

te Dionysianam æram seu vulgarem an. 5., seu ut alii etiam numerant anno quarto, dum annos integros tantum computant, & paucos dies anni quinti, a die 25. Decembris, qua traditione scimus in Bethleem Christum ortum habuisse, prætereunt. Natus est itaque Dominus noster Jesus Christus ante æram vulgarem annis quatuor, diebus septem, & die octava, seu prima Januarii anni sequentis circumcisus. Hæc autem de Christi nativitate Epocha, quæ tum ex Herodis gestis, & obitu, tum ex alterius Herodis, seu Antipæ, nummo eruitur, tam certis jam argumentis nititur, *ut ceteris de natali Christi opinionibus antiquitatis unica prævalebit*, ajebat Norisius epistola ad Pagium de nummo Herodis; Pagius tamen uno adhuc anno Christi ortum anticipat, ut videre est in ejus appar. pag. 370. Hac Epocha firmata, nunc gesta prosequimur, suis annis singula distinguentes.

Anno proximo elapso, ante æram vulgarem sexto, mense Octobri cum Zachariæ Sacerdoti contigisset incensum offerre, Gabriel Angelus eidem apparens, filium ex eo mox nascitu-

Luc. cap. 1. 5. ad 29.

rum promittit; sed cum Zacharias ob suam, & Elisabeth uxoris ætatem, quæ gignendis filiis minus apta erat, de vaticinii veritate dubitasset, mutus repente evadit, postquam filii sui nomen, & officia ab Angelo didicisset: expleto deinde officio suo cum in domum rediisset, uxor ejus paulo post concepit, quæ & *occultabat se mensibus quinque &c.* ut narrat Lucas.

Transacto autem mense sexto a Joannis conceptione cum

Angelus Gabri. el Mariæ apparens, de Filio Dei Spiritus S. virtute concipiendo certiorem reddit. *Luc. 1. 26. ad 56.*

Mensis Martius ad finem vergeret, hoc anno Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, quæ Josepho ex eadem cum ipsa Davidica stirpe genito desponsata erat, a Deo missus est, qui, Virgine salutata, Filium Dei parituram, & sacratissimo Jesu nomine nuncupaturam eidem annunciavit: tunc Virgo ab Angelo de mirabili conceptione edocta cum assensum suum his verbis præbuisset: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, Dei mater repente efficitur, superveniente in eam Spiritu Sancto, & virtute Altissimi eam obumbrante; quo

quo etiam tempore ab Angelo monita Eliſabetham Cognatam ſuam a ſex menſibus uterum ferre, mox ad eam inviſendam properavit. Ut autem Eliſabeth domum ingreſſa eſt, & eam ſalutavit, intellexit illico Eliſabeth ex filii ſui, quem in utero gerebat, exultatione, Meſſiæ matrem ad ſe veniſſe, hinc *benedicta*, inquit, *tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, & unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me*; cui Virgo concinens hymnum divinum dixit: *Magnificat anima mea Dominum &c. manſitque cum illa*; *quaſi menſibus tribus*, ideſt uſque ad ejus partum, qui Junio labente contigit: quo tempore inter multa mirabilia, quæ facta ſunt, Zacharias Joannis Baptiſtæ Pater, loquendi uſu recepto, ac Spiritu Sancto repletus prophetavit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſrael quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ*. Maria autem domum reverſa cum in dies prægnans appareret, Joſeph occulte eam dimittere cogitabat; verum ab Angelo per quietem admonitus ipſam Spiritus Sancti virtute concepiſſe, & parituram filium Jeſum, qui ſervaturus erat populum ſuum a peccatis ſuis: *Exurgens a ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam*, ut ait Matthæus;

Anni Mun. 4000. Ante Chriſt Æram. 5.

Luc. cap. 1. 57. ad 68.

Matt. cap. 1. 18. 23.

Hoc interea labente anno *exiit edictum a Cæſare Auguſto*, ait Lucas, *ut deſcriberetur univerſus orbis*. *Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino*; cumque omnes nomina darent eo loco, unde originem duxerant, *aſcendit Joſeph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod eſſet de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*. Cumque ibi eſſent Maria & Joſeph, *impleti ſunt dies, ut pareret; & peperit filium ſuum primogenitum, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio*. Ejus nativitas ab Angelo Paſtoribus illico nunciatur, qui feſtinantes venerunt ad præſepe, ubi invenerunt cum Maria, & Joſepho infantem pannis involutum, *& reverſi ſunt glorificantes, & laudantes Deum*, ut pluribus narrat S. Lucas.

Orbis deſcriptio Auguſti Cæſaris juſſu facta. Jeſus Chriſtus die 25. Decembr. in Bethlehem naſcitur. *Lucas 2. 1. ad 21.*

Luc. 2. 8. ad 21.

Hæc

Anni Mun. 4000. Ante Christ. Æram. 5.

Hæc autem, quæ hactenus de Christi nativitate narravimus, desinente hoc anno, ideſt die 25. Decembris contigerunt. Tam felicis, fauſtique diei memoria, qui tantam Deo gloriam, hominibus vero tantam pacem, felicitatemque adtulit, continua annorum ſerie, maxima cum celebritate ab Eccleſia merito celebratur; Unde ſilente ſcriptura, ex traditione ſciſtus Chriſtum adveniente temporis plenitudine, ea die in terris apparuiſſe. De feſto Natali Jeſu Chriſti, ejuſque antiquitate Thomaſinus, Baillet, Lambertini, aliique videri poſſunt.

Thomaſſ. de feſtis. Baillet: die 25 decem Lambertini Annot: adjecta, ad eam. diem.

JESU CHRISTI ANNUS I. = ANTE ÆRAM VULGAREM. 4.
AUGUSTI CÆSARIS 41. = HERODIS REGIS 37.
AN. URBIS CONDITÆ 750. = OLYMP. 194. AN. I.
COSS. CALVISIO PABINO II. ET SASSIENO RUFO

Jeſus Chriſtus circumciditur, a Magis adoratur, et, cum in Templo præſentatus fuiſſet, in ægyptum transfertur. *Luc. 2. 21. Matt. 2, 1. ad 12.*

Die 25. Decembris anni præteriti cum natus eſſet Jeſus, kalendis Januarii hujus anni, *poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur*: paulo poſt Magi ab Oriente, Stella duce, Hieroſolymam venientes, & ab Herode edocti locum natalem Chriſti eſſe Bethleem Judæ, illuc feſtinato proficiſcuntur, *& intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham, & reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per alium viam reverſi ſunt in regionem ſuam*: cumque tranſiiſſent a partu Virginis dies quadraginta, Maria, & Ioſeph Hieroſolymam aſcenderunt, ut Puerum Jeſum in Templo ſiſterent, *ſicut ſcriptum eſt in lege Domini*; tunc Maria *obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum*, & *cum introducerent puerum Jeſum parentes ejus* venit & Simon *vir juſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael*, qui re-

Luc. 2. 22. et ſeq. Levit. 12. 21. ad 8. Exod. 13. 2. Num. 3. 16.

ſpon-

ſponſum acceperat a Spiritu S. non viſurum ſe mortem , niſi videret Chriſtum Domini , & accepit eum in ulnas ſuas , & benedixit Deum , & dixit : Nunc dimittis ſervum tuum Domine &c. & tum de Chriſto , tum de Maria vaticinia edidit. Eo tempore in Templo adfuit & *Anna Prophetiſſa filia Phanuel de Tribu Aſer , & ipſa confitebatur Domino , & loquebatur de illo* , ideſt de Jeſu Chriſto , *omnibus , qui expectabant redemptionem Iſrael* ; & ut parentes Jeſu *perfecerunt omnia ſecundum legem Domini , reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam* Nazareth , ait Lucas: Diu tamen ibidem non ſubſtiterunt , *nam Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph , dicens , ſurge & accipe Puerum & Matrem ejus , & fuge in Ægyptum , & eſto ibi uſque dum dicam tibi , futurum eſt enim , ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum , qui conſurgens , accepit Puerum , & Matrem ejus nocte , & receſſit in Ægyptum , & erat ibi uſque ad obitum Herodis &c.* ideſt uſque ad labentis anni finem , vel ad ſequentis initium , nam hoc anno Novembris die 25. Herodes obiit.

Jeſu Chr. an. 1. Ante Chr. Ær. an. 4.

Lucas 2. 25. ad 40.

Matt. 2. 15.

Interea Herodes Magorum reditu diu expectato , *videns quoniam illuſus eſſet a Magis , iratus eſt valde , & mittens occidit omnes pueros , qui erant in Bethlehem , & in omnibus finibus ejus a bimatu , & infra ſecundum tempus , quod exquiſierat a Magis* , ait Matthæus. Immanem hanc puerorum cædem in odium Chriſtianæ religionis diſſimulavit Joſephus , licet alia Herodis ſcelera , eaque atrociſſima non reticuerit , cui certe ea ignota eſſe non potuit , cum tanti ſceleris fama Romam uſque , & ad Auguſti Cæſaris notitiam pervenerit ; qui cum hæc audiſſet , ut & illud , quod Herodes filium ſuum Antipatrum eodem tempore occiderit , inhorruiſſe eum refert Macrobius : *Cum Auguſtus audiiſſet , inter eos , quos in Syria Herodes Rex Judæorum inter bimatum juſſit interfici , filium quoque ejus occiſum , ait , melius eſt Herodis porcum eſſe , quam filium ,*

Infantium cædes juſſu Herodis Bethleem facta.

Joſeph antiq. lib. 17. 8. Macrob. Saturn. lib. 2. 4.

quo

Jesu Christ. ann. 2. Ante Chr. Æt. an. 4.

quo Macrobii testimonio, apud incredulos etiam, Matthæi narratio confirmatur. Tres Herodis filii eo jubente occisi sunt, Alexander, & Aristobolus ex Mariamne susceptí, & Antipater, quem quinque ante obitum suum diebus interfecisse Josephus testatur; ii tamen natu majores erant: sed cum de infantium cæde nuncius Romam allatus sit eo tempore, quo & auditum est Herodem filiorum alterum, idest Antipatrum necavisse; Macrobius, & hunc Herodis filium inter bimulos, per errorem numeravit; cum ejusdem necis causa diversa omnino fuerit ab ea, ob quam Bethlemiticos infantes neci destinavit. Post Innocentium stragem superstes diu non fuit Herodes; nam Deo vindice diuturno morbo afflictus, intestinis & genitalibus putrescentibus, vermibusque consumptus, desinente Novembre, seu die 25. impuram efflavit animam æternis cruciatibus destinatam. Ultimum Herodis diem ut festum celebrant Judæi, uti ab Usserio adnotatum est ex Judæorum Talmudico Codice.

Joseph. Antiq. lib. 17. 8.

Joseph. lib. 17. 8. seq.

Usser. ad hunc an.

JESU CHRISTI ANNUS 2. = ANTE ÆRAM VULGAREM 3. AUGUSTI CÆSARIS 42. = URBIS CONDITÆ AN. 751. OLYMP. 194. AN. 2.

COSS. CORNELIO LENTULO, ET MARCO VALERIO MESSALINO.

Herodis Regnum inter filios dividitur.

Joseph. antiq. lib. 17. cap. 10. 11. 12. &c.

Puer Jesu ex Ægypto in Judæam a parentibus transportatur.

Matth. 2. 19. &c.

Herode defuncto, Augusti Cæsaris auctoritate, inter Archelaum, Herodem, & Philippum filios ejus divisum est regnum, ut pluribus narrat Josephus, quo tempore, ut ait Matthæus, *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens, surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israel, defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode Patre suo, timuit illo ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ, & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth*; quibus alia de Salvatoris infantia non

fantia non addimus; silentibus enim sacris Historicis & Evangelistis, dicendi quoque nobis materia deficit. Jesu Christ. an. 3. Ante Christ. Æræ an. 2.

JESU CHRISTI AN. 3. = ANTE ÆRAM VULG. 2. AUGUSTI CÆSARIS 43. = URBIS COND. 752. OLYMP 194. AN. 3, = COSS. AUGUSTO CÆS. XIII. ET PLAUTIO SILVANO.

Rebus ab Augusto toto orbe mira felicitate compositis, *fœda dictu, memoriaque horrenda, in ipsius domo tempestas erupit*, ait Vellejus; *Quippe Julia ejus filia per omnia tanti parentis, ac viri immemor, nihil quod facere, aut pati turpiter posset fœmina, luxuria, libidine infectum reliquit; magnitudinemque fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur, quidquid liberet, pro licito judicans*. Quamobrem ipsam Augustus in Pandatariam insulam, sub arcta custodia retinendam, relegavit. Julia Augusti filia in exilium relegatur. *Suet. in Aug. cap. 65. Vellej. lib. 2. Xiphilinus.*

JESU CHRISTI ANNUS 4. = ANTE ÆRAM VULG. 1. AUGUSTI CÆSARIS 44. = URBIS COND. 753. OLYMP. 194. AN. = COSS. CORNELIO LENTULO, ET L. CALPURNIO PISONE.

De rebus hoc anno tum ab Augusto Cæsare gestis, tum a Cajo ejusdem Augusti filio adoptivo (quem Imperii hæredem destinaverat, quemque hoc eodem anno cum Proconsulari Imperio Orientem misit, ut res in Armenia turbatas componeret) plura non addimus, utpote ab instituto nostro aliena. Fuse tamen apud Svetonium in Tiberio cap. 49. Tacitum lib. 3. annal. 22. Xiphilinum, aliosque videri poterunt. Cajus Cæsar in Orientem mittitur.

JESU CHRISTI AN. 5. JUXTA ÆRAM VULG. 1. AUGUSTI CÆSARIS 45. URBIS COND. 754. OLYMP. 195. AN. 1. COSS. CAJO CÆSARE. ET LUCIO ÆMILIO PAULLO.

Annus Æræ Vulg. 1. *Pagi appar. in annal. Baron. Usserius, Basnages, Muratorius, Clericus, Noris. aliique.*

Annum Æræ vulgaris primum, cujus nunc annum 1770. numeramus, tandem attingimus. Hanc Æram biennio antevertit Baronius, etsi ad eam annales suos componere curaverit, uti jampridem adnotarunt viri in Chronologia peritissimi, quorum animadversionibus jam certo constat Caii Cæsaris, & Lucii Æmilii Paulli consulatum cum æræ Dionysianæ, seu vulgaris anno primo concurrere. Consulatum in Oriente gessit Cajus Cæsar; ibique in Euphratis insula cum Tigrane Parthorum Rege colloquium habuit, cui Vellejus Paterculus, tunc temporis tribunus militum, adfuisse se memorat lib. 2. cap. 101.

JESU CHRISTI AN. 6. ÆRÆ VULG. 2. AUGUSTI CÆS. 46. URBIS COND. 755. OLYMP. 195. AN. 2. COSS. P. VINICIO, ET P. ALFINIO VARO.

Mors Lucii Cæs.

Mors Lucii Cæsaris, qui Massiliæ repentino morbo inglorius obiit, lugubrem hunc annum Augusto Cæsari reddidit, ut pluribus narrant Florus lib. 4. 12. Dio, Svetonius. De rebus porro gestis a Lucio, & Cajo Fratre, qui octodecim post menses obiit, consulendus potissimum Norisius in Dissertationibus, quibus Pisana horum Cæsarum Cenotaphia doctissime illustravit.

JESU

Jesu Christ. an. 7. Chr. Æræ an. 3.

JESU CHRISTI AN. 7. ÆRÆ VULG. 3.
AUGUSTI CÆS. 47. URBIS COND. 756.
OLYMP. 195. AN. 3. COSS. L. ÆLIO LAMIA,
ET M. SERVILIO GEMINO.

Cajus Cæsar Armeniam ingressus, Tigranem expulit, & Ariobarzanem Medum Armenis Regem dedit, ut narrat Tacitus; sed cum propius ad Artagerarum castellum accederet, vulnus accepit.

Cajus Cæsar in Armenia vulnus accipit. *Tacit. annal. lib. 2. cap. 4. Vellej. lib. 2. 102. Flor. lib. 4. 12.*

JESU CHRISTI ANNUS 8. ÆRÆ VULG. 4.
AUGUSTI CÆS. 48; URBIS COND. 757.
OLYMP. 195. AN. 4. COSS. SEX. ÆLIO CATO, ET
C. SENTIO SATURNINO.

Cum ex vulnere accepto regendæ Reipublicæ minus aptus evasisset Cajus, ideoque Augusti jussu Italiam versus navigaret; ubi in Lyciam appulit, Lymiræ obiit nono Kalendas Martias, ut ex Pisano cenotaphio demonstrat Norisius. Tulit id gravissime augustus; Tiberiumque adoptavit, Imperii posthea hæredem, & successorem; qui & ipse posthac Augusti jussu Agrippam primo, deinde Germanicum Drusi fratris filium adoptavit.

Caji Cæsaris obitus. *Vellej. lib. 2. 103. Suet in Aug. 65. Suet. cap 15. Tacit. annal. lib. 1. 7. Dio lib. 55.*

JESU CHRISTI ANNUS 9. ÆRÆ VULG. 5.
AUGUST. CÆS. 49. URBIS COND. 758.
OLYMP. 196. AN. 1. COSS. L. VALERIO MESSALA VOLUSO,
ET CN. CORNELIO CINNA MAGNO.

Quamvis Augustus insidias a Cn. Cornelio Cinna Magno ex M. Pompeii filia nato, sibi anno superiore structas cognovisset, ei tamen Consulatum detulit, & reliquos conjurationis socios blandis tantummodo verbis castigavit; quo sane eximio

Aug. Cæsaris clementia in Cinnam. *Dio lib. 55.*

Jesu Christ. an. 10. Chr. Æræ an. 6.

clementiæ exemplo omnium animos ita sibi devinxit, ut nemo deinceps in eum conjuraverit.

JESU CHRISTI ANNUS 10. ÆRÆ VULG. 6.
AUGUSTI CÆSARIS 50. URBIS COND. 759.
OLYMP. 196. AN. 2. COSS. M. ÆMILIO LEPIDO, ET L. ARRUNTIO.

Archelaus Regno ejicitur, atque Viennam in Galliis exulare cogitur. *Joseph. ant. lib. 17. cap. ult. Dio lib. 55. Strabo lib. 16.*

Judæi, & Samaritæ Archelai tyrannidem non ferentes, cum missis ad Cæsarem Legatis accusarunt. Quamobrem iratus Cæsar Romam adduci jussit: ubi postquam illum causam suam contra certos accusatores agentem audivit, Viennam Galliarum urbem exulem abire jussit, pecuniaque spoliavit. Deinde Archelai Ditione, ideſt Judæa Samaria, & Idumæa in provinciam redacta & Syriæ adtributa, Quirinum Syriæ præsidem misit, qui censum ageret, & Archelai domum addiceret.

Joseph. ibidem.

JESU CHRISTI ANNUS 11. ÆRÆ VULG. 7.
AUGUSTI CÆS. 51; URBIS COND. 760.
OLYMP. 196. AN. 3., COSS. A. LICINIO NERVA, ET Q. CÆCILIO METELLO CRETICO.

Judas Galilæus Judæos ad rebellionem excitat. *Luc. cap. 2, 2.*

Dum itaque Quirinus Syriæ Præses secundam descriptionem in Judæa ageret (nam altera facta est eo anno, quo Christus Dominus in Bethleem natus est, de qua Lucas: *Hæc descriptio prima facta est a Syriæ Præside Quirino*, ideſt hæc descriptio prima facta est a Quirino, qui postea, cum Syriæ præesset, alteram descriptionem fecit) Judas quidam Galilæus Judæorum plurimos ad rebellandum adversus Romanos, ne censum fieri paterentur, excitavit; Verum temeritatis suæ pœnas cito dedit.

Act. cap. 5. Joseph. lib. 18. cap. 1. & 2; lib. 20. 3.

JESU

Jesu Christi an. 12. Chr. Æræ an. 8.

JESU CHRISTI ANNUS 12. ÆRÆ VULGARIS 8.
AUGUSTI CÆSARIS 52. URBIS COND. 761.
OLYMP. 196. AN. 4. COSS. FURIO CAMILLO, ET SEX. NONIO QUINCTILIANO.

Jesus Christus in Templo a parentibus invenitur. Lucas cap. 2. 43.

Ascendentibus Maria & Joseph in Jerusalem ad festum Paschatis secundum consuetudinem diei festi, cum iis ascendit & Jesus; *consumatisque diebus, cum redirent, remansit Puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus; existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos, & non invenientes reversi sunt in Jerusalem, ubi post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus*; cui Mater cum dixisset: *fili, quid fecisti nobis sic, ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*; *ait ad illos, quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse*. Cum eis deinde ascendit & venit Nazareth, *& erat subditus illis, & proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & apud homines, & mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo*.

JESU CHRISTI ANNUS 13., ÆRÆ VULG. 9.
AUGUSTI CÆS. 53., URBIS COND. 762.
OLYMP. 197. AN. 1. COSS. Q. SULPICIO CAMERINO, ET C. POPPÆO SABINO.

Augustus Ovidium Tomis in Ponto relegat, legem Poppeam edit. *Dio, Suetonius*

Ovidius Poetarum celeberrimus hoc anno in Pontum exulare jussus; tulitque legem de maritandis ordinibus Augustus, qua in cœlibes pœna sancita fuit, maritis vero præmium constitutum.

JESU

Jesu Chris. an. 14. Chr. Æræ an. 10.

Usser. annal. p. 611. Dio lib. 56. Suet. in Aug. cap. 34.

JESU CHRISTI ANNUS 14. ÆRÆ VULG. 10.
AUGUSTI CÆS. 54., URBIS COND. 763.
OLYMP. 197. AN. 2. COSS. P. CORNELIO DOLABELLA
ET CAJO JUNIO SILANO.

Tiberius Concordiæ Templum dedicat.

Cum Romæ Tiberius ædem Concordiæ dedicasset, suum, & fratris Drusi, licet mortui, nomen inscripsit, teste Dione lib. 56.

JESU CHRISTI ANNUS 15. ÆRÆ VULG. 11.
AUGUSTI CÆS. 55., URBIS COND. 764.
OLYMP. 197. AN. 3; COSS. M. ÆMILIO LEPIDO,
ET T. STATILIO TAURO.

Proconsulare Imperium Tiberio collatum.

Velej. lib. 2. cap. 121. Tacit. annal. lib. 1. cap. 3. Luc cap. 3. 1. Usser. ad hunc an. Isac. Vossius chronol. sacra: Clericus an. 25. Pag. dissert. hypat. part. 1. c. 3. ad an. 29.

Proconsulare Imperium cum Tribunitia potestate hoc anno ab Augusto collatum fuisse Tiberio tradunt Scriptores historiæ Romanæ. Hæc autem epocha Imperii proconsularis Tiberio collati ob id etiam notatu digna est, quod viri eruditissimi ad eam respexisse Lucam censeant, cum scripsit anno Tiberii decimoquinto verbum Domini super Joannem Zachariæ filium factum fuisse; ita ut annus Tiberii 15. a labenti numerari debeat, non vero ab anno æræ vulgaris 14., quo post Augusti obitum imperare coepit. Ex hac sane Tiberii epocha, quam Pagius, aliique tuentur, mors Christi cum anno æræ vulgaris 29. sub consulatu Geminorum facile componitur, quibus consulibus Patrum plerique Christi passionem alligarunt; at in numerandis Tiberii annis, ad Proconsularem dignitatem potius, quam ad Augustalem, S. Lucam respexisse inverosimile est. Cum enim & ipsi Romanarum rerum Scriptores vix inter se conveniant de anno, quo Tiberius ab Augusto in societatem Imperii vocatus est, ut Proconsulare Imperium extra

tra urbem gereret ; vix credimus inusitatam numerandi rationem adhibuisse S. Lucam in computandis annis Tiberii ; atque annum decimum quintum Tiberii a Luca notatum, cum 28. æræ vulgaris concurrisse censemus, ita ut ejus anni initium ab anno æræ vulg. 14., quo Augustus obiit, repetendum sit. De hoc tamen Basnagium, aut Norisium consulat Lector.

Jesu Christi. ann. 15. Chr. æræ an. 14.

Basnag. ad hunc An. n. 3 ad finem. Norisi cænotaph. Pisan. dissert. 2.

JESU CHRISTI ANNUS 16., ÆRÆ VULG. 12.
AUGUSTI CÆS. 56; URBIS COND. 765.
OLYMP. 197. AN. 4.
COSS. TIBERIO GERMANICO CÆSARE, ET C. FONTEJO CAPITONE.

Hoc anno Tiberius cum Germanico Cæsare e Germania redux, de iisdem Germanis Romæ triumphavit, ut Vellejus Paterculus, Svetonius, & Dio testantur.

Tiberii triumphus de Germanis. *Velléj. lib. 2. cap. 121. Svet. cap. 20. Dio. lib 56.*

JESU CHRISTI ANNUS 17. ÆRÆ VULG. 13.
AUGUSTI CÆS. 57. URBIS COND. 766.
OLYMP. 198. AN. 1.
COSS. C. SILIO, ET L. MUNACIO PLANCO.

His consulibus, cum quartum Imperii Augusti decennium ad finem accederet, in alterum decennium Reipublicæ administrationem invitus accepit ; & tribunitiam potestatem Tiberio prorogavit. Quartum tamen decennium nequidem explevit Augustus, anno enim sequenti obiit.

Imperium Augusto in quintum decennium prorogatur.

JESU CHRISTI ANNUS 18. ÆRÆ VULG. 14.
TIBERII IMP. 1. URBIS COND. 767. OLYMP. 198. AN. 2.
COSS. SEX. POMPEJO, ET SEX APPULEJO.

Centum diebus antequam moreretur, censum tertio Romæ egit

Cæsar Augustus censum agit, deinde moritur.

Jesu Christ. Chr. Æræ an. 18. an. 14. egit Augustus, eoque descripta sunt civium Romanorum capita, quadragesies centummillia triginta, & septem millia, hoc est 4137000; ut ex rerum suarum breviario marmori Ancyrano inciso constat: Deinde Nolam in Campaniam valetudinis sublevandæ causa profectus, in domo, & cubiculo, quo Pater ejus Octavius vitam finierat, die 19. Augusti obiit; eique Tiberius successit.

Suet. in Aug. cap. 97. Grut. inscript. p. 230. Vellej. Pater. lib. 2. 123. Suet. in Octav. cap. 100. Tacit. Annal. lib. 1. 5. & 7. Dio lib. 56.

JESU CHRISTI ANNUS 19. ÆRÆ VULG. 15.
TIBERII IMP. 2., URBIS COND. 768., OLYMP. 198. AN. 3.
COSS, DRUSO CÆSARE, ET C. NORBANO FLACCO.

De moribus Drusi Cæsaris

Drusus Cæsar, hujus anni Consul, Tiberii Imp. filius impuriſſimis moribus, ac Tiberio perquam ſimilis erat; teſtibus hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus,

JESU CHRISTI ANNUS 20. ÆRÆ VULG. 16.
TIBERII IMP. 3; URBIS COND. 769; OLYMP. 198. ANN. 4.
COSS. STATILIO TAURO, ET SCRIBONIO LIBONE.

Ad rem noſtram nil notatu dignum occurrit.

Multa quidem notatu digna hoc anno exhibent Romanarum Rerum Hiſtoriæ, ſed cum ab inſtituto noſtro aliena ſint, omittimus, ac ad ſequentem properamus.

JESU CHRISTI AN. 21,, ÆRÆ VULG. 17.
TIBERII IMP. 4., URBIS COND. 770; OLYMP. 199. AN. 1.
COSS. T. C. CÆLIO RUFO, ET L. POMPONIO FLACCO.

Germanici triumphus de Germanis.

His Coſſ. Germanicus ob varias Germanorum nationes devictas Romæ triumphavit; eumque ſibi collegam in Conſulatu anni ſequentis Tiberius deſtinavit. Cum tamen illum occulte oderet, ſub honoris ſpecie in Orientem amandavit, uti tradunt Tacitus lib. 11. 41. Svetonius in Caligula cap. 1;

quo

quo etiam anno Ovidius poeta, anno exilii ſui nono, in Ponto obiit. Jeſu Chriſ. an. 22. Chri. Æræ an. 18.

JESU CHRISTI ANNUS 22; ÆRÆ VULG. 18.
TIBERII IMP. 5; URBIS COND. 771; OLYMP. 199. ANN. 2.
COSS. TIBERIO AUG. III. ET GERMANICO II.

Conſulatum Nicopoli in Epiro geſſit Germanicus, rebuſque Armeniæ compoſitis Patres decreviſſe, ut ovans urbem ingrederetur, refert Tacitus Annal. lib. 2. 54. & ſeq. Germanicus res Armeniæ componit.

JESU CHRISTI ANNUS 23.; ÆRÆ VULG. 19.
TIBERII IMP. 6., URBIS COND. 772; OLYMP. 199. AN. 3.
COSS. SILVANO, ET NORBANO BALBO.

Fatalis hic annus Germanico accidit: Cum enim toto Rom. Imperio & cariſſimus, & celeberrimus eſſet, ita Tiberii odium, & invidiam in ſe ipſum excitavit, ut miſſo in Orientem Piſone, qui eidem adverſaretur, ab eodem lento veneno interfectus fuerit. Præterea cum Iſidis Sacerdos pecunia corruptus Paulinam matronam per ſpeciem religionis Mundo amaſio illudendam tradidiſſet; & Judæus ſycophanta, tribus aliis per omnia ſui ſimilibus in ſocietatem adſcitis, Fulviam nobiliſſimam fœminam ac moſaicæ religioni addictam, purpura & auro fraude emunxiſſet: Ægyptia Sacra Senatuſconſulto repreſſa ſunt, & Judæi Italia pulſi: Quorum quatuor millia libertini generis in Sardiniam inſulam coercendis illic latrociniis vehi; ceteros niſi certam ante diem patrios ritus exuiſſent, Italia cedere juſſi ſunt. Germanici Cæſaris obitus. *Tacit. lib. 2. 59. ſeq. & lib. 3. Suet. in C. Calig. 1. 2.* *Tacitus annall. lib. 3. Joſeph. antiq. lib. 18. 2.*

Jesu Christ. an. 24. Chr. Æræ an. 20.

JESU CHRISTI ANNUS 24. ÆRÆ VULG. 20. TIBERII IMP. 7., URBIS COND. 773., OLYMP. 199. AN. 4. COSS. VALERIO MESSALA, ET AURELIO COTTA.

Germanici cineres Romam delati. *Suet. in Tib. 51. in Cajum Calig. 6. Tacit. annal. lib. 3. cap. 1. ad 15.*

Germanici cineres Romam delati magnifico funere in Augusti tumulum conditi sunt. Piso vero, qui venenum ipsi propinasse ferebatur, ubi ad urbem rediit, capite damnatus suo se gladio jugulavit.

JESU CHRISTI ANNUS 25. ÆRÆ VULG. 21. TIBERII IMP. 8; URBIS COND. 774. OLYMP. 200. AN. 1. COSS. TIBERIO CÆS. IV., ET DRUSO CÆS. II.

Quirinus obiit. *Tacit. annal. lib. 3. 48.*

Sulpicius Quirinus, qui teste Luca, nascente Domino Jesu Christo censum in Judæa egerat; cum per plures annos Syriæ Præfecturam gessisset, hoc anno e vivis excessit.

JESU CHRISTI ANNUS 26., ÆRÆ VULG. 22. TIBERII IMP. 9. URBIS COND. 775. OLYMP. 201, AN. 2. COSS. SULPICIO GALBA, ET HATERIO AGRIPPA.

Herodes Tiberiadem ædificat.

Herodem Antipam Judæorum Regem in Tiberii honorem Tiberiadem urbem ædificasse scimus, verum quo id præsertim tempore contigerit disputant Scriptores: Norisius tamen, de Epoch. Syro-Mac: hoc labente anno exstructam esse contendit.

JESU CHRISTI ANNUS 27. ÆRÆ VULG. 23. TIBERII IMP. 10., URBIS COND. 776., OLYMP. 201. AN. 3. COSS. ASINIO POLLIONE, ET ANTISTIO VETERE.

Ælius Sejanus Drusum veneno enecat.

Ælius Sejanus Tiberio carissimus, omniumque consiliorum ejus, & scelerum particeps, ad Imperium adspirans dato

per

per Lygdum Spadonem veneno Druſum Tiberii Filium ſuſtulit; cujus memoriæ multa a Patribus decreta ſunt, & funus imaginum præcipue pompa maxime inluſtre fuit. Plura de Judæis ab eodem Sejano ad Tiberium delata fuiſſe, ut gentem perderet, refert Philo; ceteris tamen ſilentibus penes ipſum ſit fides. Jeſu Chriſt. an. 27. Chr. Æræ an. 23. *Tacit. an. lib. 4. 8. 10.* *De Legat. ad Cajum.*

JESU CHRISTI ANNUS 28., ÆRÆ VULG. 24.
TIBERII IMP. II., URBIS COND. 777., OLYMP. 201. AN. 4.
COSS. CORNELIO CATHEGO, ET VISCELLIO VARONE.

Ad hunc annum referunt aliqui quod Euſebius in Chronico ad annum Abrahami 2041. ſcribit; de Paneade ſcilicet a Philippo Tetrarcha Herodis M. filio inſtaurata, quam *Cæſaream Philippi vocavit*, Philippus Tetrarcha Cæſaream, & Juliadem inſtaurat,

JESU CHRISTI ANNUS 29. ÆRÆ VULG. 25.
TIBERII IMP. 12. URBIS COND. 778., OLYMP. 202. AN. 1.
COSS. ASINIO AGRIPPA, ET COSSO CORNELIO LENTULO.

Per id tempus Valerius Gratus Judææ Procurator, Simoni exauctorato Joannem cognomento Cajapham, ſive Caipham, ſucceſſorem in Judæorum Pontificatu dedit: is Annæ, ſive Anani Pontificis, quem idem Gratus Sacerdotio dejecerat, gener idem eſt Caiphas, cujus in evangelio fit mentio, quique cum eſſet Pontifex de Chriſti paſſione prophetavit. Gratum tamen ſub fine Præfecturæ, quæ uſque ad ſequentem annum prorogata eſt, Caiphæ Pontificatum detuliſſe, innuit Joſephus hiſtoricus. Caiphas Sacerdotium obtinet. *Joann. 11. v. 49.* *Joſeph antiq. lib. 18. cap. 3.*

JESU CHRISTI ANNUS 30., ÆRÆ VULG. 26.
TIBERII IMP. 13; URBIS COND. 779., OLYMP. 202. AN. 2.
COSS. CORNELIO LENTULO GETULICO, ET CALVISIO SAVINO.

Valerio Grato, qui, exactis in Judæa annis undecim, Pontius Pilatus Judææ procurator Romanorum.

Jesu Christ. an. 30. Chr. Æræ an. 26.

Romam rediit, Pontius Pilatus succeſſor datur; quantum autem Pilati præfectura Judæis inviſa fuerit, apud eumdem Joſephum videri poteſt. Sed & Philo in libro de legatione ad Cajum Pilati crimina in gentem ſuam admiſſa pluribus deflet: *venditas*, ſcilicet, *ſententias*, *rapinas*, *injurias*, *clades*, *tormenta*, *crebras cædes indemnatorum*, *crudelitatem ſæviſſimam* &c.

Joſeph. antiq. lib. 18. 3. de bello Jud. lib. 2. 13.

JESU CHRISTI ANNUS 31. ÆRÆ VULG. 27. TIBERII IMP. 14. URBIS COND. 780., OLYMP. 202. AN. 3. COSS. LICINIO CRASSO, ET CALPURNIO PISONE.

Agrippa junior ultimus Judæorum Rex naſcitur. *Act. cap. 25. 13. 22. & 26. 1. 19. 27. 28.*

His Conſulibus Herodis Agrippæ filius natus eſt, qui & Herodes appellatus fuit, Judæorum Rex poſtremus. Hujus mentio in actis Apoſtolorum occurrit, dum coram eo Paulum Apoſtolum cauſam ſuam dixiſſe memorant.

JESU CHRISTI ANNUS 32. ÆRÆ VULG. 28. TIBERII IMP. 15. URBIS COND., 781., OLYMP. 202. AN. 4. COSS. AP. JUNIO SILANO, ET SILVIO NERVA.

Joannes in deſerto pœnitentiam prædicat. *Luc. 3. 1.*

Annum tandem attingimus quo, ut Lucas narrat, Joannes Baptiſta prædicationis ſuæ munus auſpicatur: *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Liſania Abilinæ Tetrarcha, ſub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto, & venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* &c. Prædicante autem Joanne, & baptizante, cùm turmatim ad eum cujuſcumque generis homines confluerent, ipſe accommodata ſingulis monita ſalutis dabat; Phariſæos verò, & Sadducæos, genus hominum peſſimum, vehemen-

Matth. 3. 7.

menter increpans, iramque Dei mox venturam prænuncians, eos de adventu Messiæ potissimum admonebat: *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere &c.* Ne autem verbis potius, quam exemplo pœnitentiam docere videretur, *habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erant locustæ, & mel sylvestre.* Ceterum tempus, quo Joannes prædicationis munus suscepit, tot characteribus Lucas expressit, ut Epocham Principatus Tiberii ubique notissimam designasse facile credamus; eam nempe quæ ab Augusti obitu ducebat initium, non alteram, quæ ab Imperio Proconsulari incipiebat; triennio scilicet ante Augusti obitum, quo tempore nec Augustus, nec Imperator dici poterat Tiberius, qui nulla Romæ, aut in suburbicariis regionibus jurisdictione utebatur. Verum de his plura apud Easnagium, aliosque.

Jesu Christi an. 33. Chr. Æræ an. 29.

Joann. 1. 26. seq. Matt. 3. 11.

Matt. 3. 4.

Basnag. Annal. An. Tiberii 12. n. 6. & 7. & an. 14. n. 5.

JESU CHRISTI ANNUS 33. ÆRÆ VULG. 29.
TIBERII IMP. 16. URBIS COND. 782. OLYMP. 203. AN. I. COSS. CAJO FUSIO GEMINO, ET RUBELLIO GEMINO.

Cum frequentissimi undique ad Joannem populi accurrerent, tantaque apud omnes in æstimatione esset, ut & Judæorum primores, & omnis populus suspicarentur ipsum esse Christum; miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes, & Levitas, ut interrogarent eum: *tu quis es?* Quibus respondens se neque Christum esse, neque Eliam, neque prophetam, *ego*, ait, *vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini*, sicut dixit *Isaias propheta. Cum autem baptizaretur omnis populus, tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo; Joannes autem prohibebat eum dicens, ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me. Respondens autem Jesus, dixit*

Jesus Christus a Joanne baptizatur, in desertum recedit.

Luc. 3. 15.

Joann. 1. 19. Luc. 3. 21. Matt. 3. 13. Joann. 1. 29.

Jesu Christ. an. 33. Chr. Æræ an. 29.

xit ei, sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. Jesu itaque Baptizato, aperti sunt Cæli, & vidit Joannes Spiritum Dei descendentem super eum, sicut columbam, & *ecce vox de Cælis dicens, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Exinde porro in desertum secessit Jesus, ubi quadraginta diebus permansit neque manducans, neque bibens; cumque esuriret, accessit ad eum Satanas tentans eum triplici tentatione, sed repulsam passus abiit, *& ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Interea cum Herodem Tetrarcham de Herodiade uxore fratris sui argueret Joannes, edicereque non ipsi licere *habere eam, utpote Philippi fratris uxorem*, in carcerem inclusus est. Hoc audito, *secessit Jesus in Galilæam, & relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit Capharnaum maritima in finibus Zabulon, & Nephtalim, & exinde cæpit prædicare, & dicere pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum. Ambulans vero juxta mare vocavit primo Petrum, & Andream fratrem ejus*, paulo post Jacobum, & Joannem fratrem ejus, deinde ceteros Apostolos. Sed & turbæ multæ eum postea secutæ sunt, quibus monita salutis dabat, signisque multis confirmabat. Instante vero Paschatis festo Jerosolymam ascendens, & Templum ingressus vendentes ibi, & ementes flagello abegit, edicens: *ne facerent domum Patris sui domum negotiationis.* Reliquo hujus anni tempore Judæam, Samariam, & Galilæam perambulans, perseveravit docendo, & sanando omnes.

Matt. 4. 1. ad 13. Luc. 4. 1. ad 14. Marc. 1.

Matt. 14. 4. Marc. 6. 17. Luc. 3. 19. 20.

Matt. 4. 12. & 17.

Jesus Christus celebrat primum Pascha. Joan. 2. 13.

Liviæ Tiberii matris obitus.

Liviam Matrem, Augusti Cæsaris olim uxorem, Tiberius amisit; in quam, & dum viveret, & post obitum, ingratissimus fuit, quamvis ei imperium omnino deberet. Ea porro e vivis erepta, Imperii res in deterius abierunt; Tiberius enim freno veluti excusso, & sua sponte, & Sejano impellente, in flagitiorum omnium gurgitem prolapsus est.

Suet. in Tiber. 51.

JESU

Jesu Christ. an. 34. | Chr. Æræ an. 30.

JESU CHRISTI ANNUS 34. ÆRÆ VULG. 30. TIBERII IMP. 17. URBIS COND. 783, OLYMP. 203. AN. 2. COSS. CASSIO LONGINO, ET M. VICINIO.

Secundo suæ prædicationis anno cum ad Paschatis festum iterum ascendisset Jesus, ægrum apud Probaticam piscinam, qui triginta octo annos in infirmitate transegerat, sabbato curavit; qua de caussa *persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in Sabbato*, quod & alias sæpe accidit. Deinde ex discipulis suis *duodecim elegit, quos Apostolos nominavit, Simonem quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Judam Jacobi, & Judam Iscariotem, qui fuit proditor*; & descendens cum illis, stetit in loco campestri *& turba discipulorum, & multitudo copiosa plebis, ab omni Judæa, & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, venerant, ut audirent eum, & sanarentur a languoribus suis*, quibus sermonem habuit, in monte dictum, quo evangelicam doctrinam complexus est. Capharnaum postea ingressus, servum Centurionis sanitati restituit; ac ad portas Civitatis Naim defunctum ad vitam revocavit. Joannes vero, qui in carcere adhuc detinebatur, discipulos suos ad Christum misit, ut interrogarent eum, & mirabilia, quæ ab eo fiebant, viderent. Præterea Apostolis ad prædicandum missis cum potestate curandi infirmitates, & ejiciendi Dæmonia, Evangelium ubique prædicatum ab ipsis fuit, tantisque miraculis confirmatum, ut & mirarentur, quod & ipsa dæmonia Christi nomine invocato sibi subjicerentur. Adveniente autem die suo Natali, cum Herodes cænam Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ fecisset, postulante Herodiadis filia, caput Joanni amputari jussit: Quo audito *secessit Jesus inde in Nazic-*

Secundum J. Christi Pascha.

Joann. 5. 1. ad 16.

J. Christus Apostolos eligit. *Luc. 6. 12. Marc. 3. 13. t 9.*

Joann. cap. 7.

Marc. 3. 15.

Luc 10. 17.

Jesu Christ. an. 34. Chr. Æræ an. 30.

vicula in locum desertum seorsim; adeoque miraculorum fama inclaruit, ut Joannem resurrexisse, vel ejus in Christum animam transmigrasse crederet Herodes. *In illo tempore*, ait Matthæus, *audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, & ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista, ipse resurrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo*, & iterum: *Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.*

Joannes Baptista ab Herode decollatur. *Marc. 6. 27. Matt. 14. 6. ad 13. Matt. 14. Marc. 6. 16.*

JESU CHRISTI ANNUS 35. ÆRÆ VULG. 31. TIBERII IMP. 18., URBIS COND. 784., OLYMP. 203. AN. 3. COSS. TIBERIO AUGUSTO V. ET L. ÆLIO SEJANO.

Jesu Christus tertium Paschа celebrat. *Joan. 6. 4. Matt. 14. 21. Luc. 9. Marc. 8. 9.*

Inter plurima, eaque mirabilia a Salvatore nostro gesta tertio hoc suæ prædicationis anno, hæc tantum recensere contenti erimus. Primum instante Paschatis Festo, quod ab ejus baptismate tertium erat, quinque hominum millia in deserto pavit, cum quinque tantum panes hordeacei, & duo pisces apud puerum quemdam inventi essent. Sed & iterum cum turba multa convenisset ad eum in solitudine, nec plus quam septem panes haberent discipuli, horum distributione non solum ad satietatem usque repletæ sunt turbæ, sed & septem fragmentorum sportas *quæ superaverant sustulerunt*, ut ait Marcus: erant autem qui manducaverant *quasi quatuor millia*. Bis itaque Christum Dominum in deserto turbas exsaturasse, & diversus turbæ numerus, & panis inventus indicat; sed & ipse utrumque miraculum discipulis suis in memoriam revocavit. Dum vero in partibus Cæsareæ Philippi esset Jesus, discipulos suos interrogavit, quem se esse homines dicerent; cumque alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis ipsum esse respondissent; ad discipulos suos, & maxime ad Apostolos, *vos autem quem me esse dicitis*, ait Jesus, *cui respondens Simon Petrus dixit, tu es Christus filius Dei vivi*; *respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia*

Marc. 8. 9.

Matt. cap. 16. 9.

Petro Primatus datur. *Matt. 16. 18.*

quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt; & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis &c. quibus verbis ordinis, & juriſdictionis Primatum Petro datum fuiſſe ob mirificam confeſſionem divinitatis ab eo tunc factam, Patrum plurimi tradiderunt.

Jeſu Chriſt. an. 35. Chr. Vulg. an. 31.

Poſt dies autem fere octo Jeſus aſſumpto Petro, Jacobo, & Joanne aſcendit in montem, & ante eos transfiguratus eſt, ita, ut facies eius tamquam ſol luceret, & veſtimenta ejus tamquam nix alba fierent; apparueruntque Moyſes, & Elias loquentes cum Jeſu: vox deinde de nube facta eſt dicens, *hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Deſcendentibus vero de monte, præcepit eis Jeſus, ne viſionem cuiquam dicerent, antequam a mortuis reſurgeret; & cum multa alia patraſſet miracula, Jeroſolymam occulte introivit, ob feſtum Scenopegiam, ſeu tabernaculorum, quo *mediante aſcendit Jeſus in Templum, & docebat. Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.* Labente autem anno cum adhuc Hieroſolymis eſſet Jeſus, *facta ſunt Encænia, & hyems erat, & ambulabat Jeſus in Templo in porticu Salomonis, & circumdederunt eum Judæi*, dicentes *quouſque animam noſtram tollis, ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam*; cumque ſe Deo æquaſſet, dicens: *Ego & Pater unum ſumus*, tulerunt Judæi lapides, ut lapidarent eum, quia Deum quoque ſe fecerat; *ſed exivit de manibus eorum*, & abiit trans Jordanem, nec in Judæam rediit, niſi inſtante jam Paſſionis ſuæ tempore, uti anno ſequenti videbimus.

Jeſus Chriſtus in monte ſe transfiguratur. *Luc. 9. 28, 36. Marc. 9. 1. ad 9. Matt. 17.*

Joan. 7. 2. 14. 30.

Cum Sejanus eum in Imperio locum teneret, ut Tiberio fere æquaretur, Tiberius timere cæpit, ne majora adgrederetur, Sejanus cum multis aliis a Tiberio occiditur.

Jesu Christ. an. 35. Chr. Æræ an. 31.

tur, atque Imperium invaderet; itaque ea, qua pollebat, fallendi arte usus, in consulatu socium habere voluit, ut eo honore contentus, sese in officio contineret: *Ut a se per speciem honoris dimitteret Sejanum, collegam sibi assumpsit in quinto consulatu*, ait Svetonius. Deinde tamen apud Senatum, oblato libello, accusavit; quo lecto in carcerem missum, & postea cum filiis capite damnatum scimus.

Svet. in Tiberium cap. 65.

Tacit. lib. 5. Dio lib. 58.

JESU CHRISTI ANNUS 36. ÆRÆ VULG. 32.
TIBERII IMP. 19; URB. COND. 785; OLYMP. 203. AN. 4.
COSS. CN. DOMITIO ENEOBARBO,
ET M. FURIO CAMILLO SCRIBONIANO.

Celebrato Jerosolymis Festo Encœniorum, seu dedicationis Templi, quod in nonas Decembris incidebat, relicta Judæa in Galilæam transierat Jesus, quem non latebant Judæorum consilia de eo occidendo; cumque ibidem esset, nunciatum est eidem Lazarum amicum suum periculose ægrotare, quem duos dies, jam obiisse Ipse Apostolis significavit. Hinc in Bethaniam continuo profectus, quæ a Hierosolyma quindecim tantum stadiis distabat, invenit Lazarum *jam quatuor dies in monumento habentem*; & jubens Lapidem a Sepulcri ostio amoveri *voce magna clamavit, Lazare veni foras, & statim prodiit, qui erat mortuus*. Itaque tanti miraculi fama pervulgata, *collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium*, inter quos Caiphas Pontifex prophetans dixit, expedire unum hominem mori pro populo, eo quod *Jesus moriturus erat pro gente*; *Et ab illo die cogitaverunt, ut interficerent eum, Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos*; Sed cum jam Paschatis festum appropinquaret, quo Christus ipse Pascha nostrum erat immolandus, ante sex dies Pa-

Joan. 10 22.

Quartum Jesu Christi Pascha, quo ipse immolatus est. *Joan. 11, 1. ad 45.*

Joan. 12

schæ

Jesu Christi an. 36. Chr. Aer. an. 32.

schæ venit Jesus Bethaniam, ubi Martha, & Maria fecerunt ei cœnam, atque ex discumbentibus unus erat Lazarus, quem a mortuis suscitaverat. Postero die Jerosolymam asino insidens, atque inter populi acclamationes ingressus est, ibique sub vesperam Pascha cum discipulis suis manducavit, atque inter cœnam, accepto pane, & calice, iisque benedicens, in Corpus suum, & Sanguinem transmutavit, deditque Apostolis discumbentibus, atque, ut idem facerent continua temporum successione, præcepit; In hortum postea Olivarum orationis causa secedens, cum advenisset hora ejus, ut pateretur, a Juda proditus, atque a Judæis captus coram Anna, & Caiphasso primum judicandus sistitur; a quibus reus mortis judicatur, & ad Pilatum Judææ Procuratorem morte plectendus mittitur. Herodi deinde oblatus, ab eoque illusus, a Pilato tandem crucifigendus Romanis militibus traditur; a quibus postquam flagella, irrisiones, & blasphemias sustinuisset, demum in Crucem actus, & ab hora sexta ad nonam immania perpessus, Spiritum tandem emisit, cum jam Sol in media luce defecisset. Terra contremuit; sepulchra aperta sunt, ac plurimi resurrexerunt; & velum Templi in duas partes scissum est: ejus autem corpus aromatibus conditum sepulturæ traditum. Sed tertia die, ut sæpius dixerat, a mortuis resurrexit, atque Apostolis suis, aliisque pluries apparuit; seque etiam palpandum exhibuit, ita ut Apostoli facti evidentia convicti, ejus Resurrectionem & agnoscerent, & confiterentur, præcones & testes mox futuri apud universas gentes. Promittens deinde se illis semper adfuturum, jubensque, ut Jerosolymam, Spiritum Paracletum ibidem expectaturi, redirent, ipsis videntibus in Cælum ascendit. Denique die Pentecostes, Spiritu Sancto in ipsos illabente, Christum Judæis libera voce prædicare cæperunt. Quæ porro sequuta exinde sunt ab hoc eventu, omnium maximo, annales nostros auspicantes, fusius deinceps persequemur.

Luc. 22. 14. 18. 23. 39. 46. *Marc.* 15. 38. *Joan.* 20. 1.

Joan. 20. 19. & 21. *Luc.* 24. 36. *Marc.* 16. 41. *Matt.* 28. 15.

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI an. 32. Petri apostoli an. I.
Tiberii Imp. an. 19.
Coss. Cneo Ahenobarbo, et
M. Furio Camillo Scriboniano
An. Urb. 785. Olymp. 202. an. 4.

1. Austum Annalium noſtrorum initium faciamus ex Lucæ verbis, quibus habetur: *Dum complerentur dies Penteco ſtes, erant omnes pariter in eodem loco cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu, & fratribus ejus; & factus eſt repente de Cœlo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Hoc ubi cognoverunt Judæi, qui magno tunc numero Hieroſolymis erant, *ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt*, obſtupuerunt; & cum unuſquiſque eorum audiret Apoſtolos lingua ſua loquentes, etſi ex iis eſſent *Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habi-*

Spiritus S. ſuper Apoſtolos deſcendit.

Act. cap. 1. & 2.

JESU CHR. AN. 32.

habitant Meſopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & advenæ Romani; Judæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes; mirabantur omnes, dicebantque: *Quidnam vult hoc eſſe? Alii autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti.* Quamobrem *ſtans Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam* præmonenſque non ebrios ſe eſſe, ea tantum in ipſis adimpleri declaravit, quæ Deus jamdiu per Joelem Prophetam edixerat iis verbis: *effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ &c.* Jeſum deinde paulo ante crucifixum, quem Deus a mortuis ſuſcitaverat, Judæis ea data opportunitate prædicavit; Quo: dicto audientes *compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos; quid faciemus viri fratres?* Petrus autem juſſit, eos pœnitentiam agere, & baptizari; atque *appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.*

Primorum Fidelium mores.

2. Cum itaque in dies augeretur Fidelium numerus, omniumque eſſet anima una, & cor unum, *erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, & habebant omnia communia, poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* *Hæc erat*, ait Chryſoſtomus *Angelica Reſpublica, nihil dicere proprium; hoc protulit primum germen naſcens Eccleſia. Petrus plantat verbo, rigat baptiſmate; ſed qui incrementa dat, Deus eſt.* Ac rurſus *Petrus piſcator hos ſuperavit, quaſi cum mutis piſcibus certamen fuiſſet; nec enim aliter, quam piſcator mutos piſces, ita hic illos ſuperavit*; & paullo poſt: *Ubi nunc Græciæ faſtus, ubi nomen Athenarum, ubi Philoſophorum deliramenta? Ille Galilæus, ille Bethſaidæ natus, ille ruſticanus, univerſos illos devicit &c.*

Chryſoſt. in act. homil. 5. & 7.

Apoſtolorum Miracula. Claudus ſanatur. *Act. cap. 2. 43. Act. cap. 3.*

3. Multa præterea ſigna, & prodigia ab Apoſtolis paſſim fiebant; inter quæ præſertim claudum a Petro & Joanne Templum introeuntibus ſanatum eſſe, Lucas commemorat: *Petrus autem, & Joannes aſcendebant in Templum, ad horam orationis nonam, & quidam Vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam Templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemoſinam ab introeuntibus in Templum. Is cum vidiſſet Petrum, & Joannem*

nem incipientes introire in Templum, rogabat, ut eleemoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit, Reſpice in nos At ille intendebat in eos, ſperans, ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu ejus dextera, allevavit eum; & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat: & intravit cum illis in Templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoſcebant autem illum, quod ipſe erat, qui ad eleemoſinam ſedebat ad Speciosam portam Templi, & impleti ſunt ſtupore, & extaſi in eo, quod contigerat illi.

Jesu Chr. an. 32.

4. Cur vero hora nona Apoſtoli ad Templum convenerint, difficile non eſt conjicere. Ea enim hora veſpertinum Sacrificium offerebatur, teſte Joſepho: *Facile eſt diſcere, quanta pietate Deum colamus, & quam obſervantes legum ſinus, quandoquidem oppugnationis terror nil obfuit, quominus ſolemnia peragerentur Sacrificia, bis per ſingulos dies, mane, & circa horam nonam.* Non tamen Sacrificii cauſa, ſed, ut ait S. Lucas, ad orationem Apoſtoli in Templo conveniebant; ſperanteſque docendi occaſionem, ob populi concurſum, ea hora ſe habituros. Statæ enim erant apud Judæos horæ, quibus in Templo preces peragebantur; Solemnioreſque præ ceteris habebantur tertia matutina, & nona veſpertina, ob Sacrificium matutinum, & veſpertinum.

Cur Apoſtoli hora nona Templum adierint.

Joſeph. lib. 14. c. 8. Antiquit. Judaic.

5. Atque ex Judæorum diſciplina manaſſe ritum certis horis (quas canonicas dicimus) in Eccleſia orandi, veterum docemur teſtimoniis; quorum agmen ducit Tertullianus, apud quem hæc occurrunt: *Porro cum in eodem Commentario Lucæ & tertia hora orationis demonſtretur, ſub qua, Spiritu Sancto initiati, pro ebriis habebantur, ſub qua, Petrus aſcendit in ſuperiora, & nona, qua Templum ſunt introgreſſi, cur non intelligamus, ſalva plane indifferentia ſemper, & ubique, & omni tempore orandum, tamen tres iſtas horas, utpote inſigniores in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publice reſonant, ita & ſolemniores fuiſſe in orationibus divinis; quod etiam ſuadet Danielis argumentum, ter in die orantis, utique per aliquarum horarum exceptionem, non aliarum autem, quam inſigniorum exinde Apoſtolicarum, tertiæ, ſextæ, nonæ;*

De horis Canonicis Apoſtolica traditione inductis.

Tertull. adverſus pſych. c. 10.

Con-

JESU CHR. AN. 32.

Consentit Tertulliano Cyprianus *In Orationibus celebrandis, invenimus, obſervaſſe cum Daniele, tres pueros in fide fortes, & in captivitate victores, horam tertiam, ſextam, nonam, ſacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in noviſſimis temporibus manifeſtari debebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, conſummatum numerum Trinitatis oſtendit. Itemque ad ſextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem: & quando ab ſeptima nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur. Quæ horarum ſpatia jampridem ſpiritualiter determinantes adoratores Dei, ſtatis, & legitimis ad precem temporibus ſervabant: & manifeſtata poſtmodum res eſt, Sacramenta olim fuiſſe, quod ante ſic juſſi precabantur. Nam ſuper Diſcipulos hora tertia deſcendit Spiritus Sanctus, qui gratiam Dominicæ Paſſionis implevit. Item Petrus hora ſexta in tectum ſuperius aſcendens, ſigno pariter & voce monentis inſtructus eſt, ut omnes ad gratiam ſalutis admitteret, cum de emundandis Gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora ſexta crucifixus, ad nonam peccata noſtra ſuo ſanguine ablut: & ut redimere, & vivificare nos poſſet, tunc victoriam ſuam Paſſione perfecit. Sed nobis, Fratres dilectiſſimi, præter horas antiquitus obſervatas orandi, nunc & ſpatia, & ſacramenta creverunt. Nam & mane orandum eſt, ut Reſurrectio Domini matutina oratione celebretur; quod olim Spiritus Sanctus deſignabat in Pſalmis, dicens:* Rex *meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane aſſiſtam tibi, & contemplabor te. Et iterum per Prophetam loquitur Dominus: Diluculo vigilabunt ad me, dicentes: Eamus, & revertamur ad Dominum Deum noſtrum. Recedente item Sole, ac die ceſſante, neceſſario rurſum orandum eſt. Nam quia Chriſtus Sol verus, & dies eſt verus: Sole a die Sæculi recedente, quando oramus, & petimus, ut ſuper nos lux denuo veniat, Chriſti precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum.* Quinque his horis aliæ duæ ſuperadditæ ſunt, ſuis etiam myſteriis conſecratæ, de quibus mentio ſæpe occurrit apud S. Baſilium, Chryſoſtomum, & Auctorem homiliæ de virginitate ſub Athanaſii nomine. Hieronymus etiam de his horis hæc habet: *Horam tertiam, ſextam, nonam, diluculum quoque, & veſperam, nemo eſt, qui neſciat*; & de horis in veteri lege ſervari ſolitis, atque ex Eccleſiaſtica traditione in Eccleſiam invectis, agit commentario in Danielem, ſicuti de aliis horis nocturnis, æque ac matutinis alibi ſæpius idem

Cyprian. de Orat. Domin. p. 198. Edit. Amſtelod.

Baſil. in regulis fuſius tract. interrog. 37.

Chryſoſt. hom. 40. ad Populum Antioch.

Hieron. Ep. ad Euth. 108. n. 19 in Daniel. c. 7. ad Demetriadem ep. 130. n. 15. ad Letam 107.

idem Hieronymus, & cum eo Caſſianus, Iſidorus, aliique de officiis Eccleſiaſticis agentes, inter quos ex recentioribus eminent Card. Tommaſius, & Bona. Hæc de horis canonicis dicta ſatis evincunt harum inſtitutionem & antiquiſſimam in Eccleſia fuiſſe, & ab Apoſtolis vel viris apoſtolicis eſſe repetendam; atque immerito Catholicam Eccleſiam ſuperſtitionis accuſari a Novatoribus, quod certas orationi publicæ horas conſecraverit; data interim cuilibet facultate omni loco, & quacumque hora velit, orandi, ſive privatim in domibus, ſive publice in Eccleſiis. Si enim apud Novatores Magiſtratui licet certa jejunia indicere, ac definire tempora, dies, & horas, quibus ipſorum conventicula celebranda ſunt, cur idem Eccleſiæ Chriſti non licebit? At ingerit Ottius, id a Magiſtratibus fieri, non ſuperſtitionis alicujus gratia, ſed in memoriam beneficiorum Dei, vel ob emergentes neceſſitates: Verum quis Ottio dixit in Eccleſia Catholica horas canonicas ſuperſtitioſe perſolvi, cum ex Tertulliano, Cypriano, aliiſque, uti jam vidimus, conſtet ob memoriam beneficiorum Dei, & ad obtinendam in quotidianis neceſſitatibus opem, a Catholica Eccleſia, per totum diffuſa orbem, illas frequentari. Quin immo, ut adnotat Baſnages ex Calviniſtarum grege, *Cum publicæ Deo feruntur preces, certam conſtitui horam, & in Eccleſia, & in Conventu quolibet neceſſarium eſt*. Sed hos dimittamus, cæci enim ſunt, ac duces cæcorum, & inceptam hiſtoriam proſequamur.

6. Ex ea claudi curatione factum eſt, ut turbæ ſtupentes undique magna frequentia ad Petrum, & Joannem accederent. Petrus autem hanc opportunitatem nactus, ad confluentem populum ſermonem habuit, & non ſua virtute, ſed in Chriſti nomine, ſanatum fuiſſe claudum teſtatus eſt. Supervenere Sacerdotes, & Magiſtratus Templi, & Sadducei, ægre ferentes Petrum, & Joannem populo Chriſtum, ejuſque a mortuis Reſurrectionem prædicare; injectaque in ipſos manu in carcerem incluſerunt: Ex iis tamen, qui Petri prædicationem audierant, crediderunt ad quinque millia hominum. Cumque hæc in veſpera facta eſſent, mane indicta ſunt Comitia, convenerintque una ſimul Sacerdotum Principes, Seniores, & Scribæ, ſeu, ut habet Lucas, *Annas*, (ſive *Annanus*) *Princeps Sacerdotum*, & *Caiphas*, & *Joannes*, & *Ale-*

JESU CHR. AN. 32.

Caſſian. col.7. Iſid.de offic. Eccleſ. cap.19. Tommaſ.tom.4., & alibi. Martene.de antiq. Eccleſ. diſcip. cap.1. Bona de divin. pſalm. cap.2. Caſſian. lib.3. cap.3.

Joann. Ottius critica in Baron. ad an.34.

Baſnag. ann. 34. n. 6.

Judæorum quinque millia Chriſto credunt; Apoſtoli in carcerem conjiciuntur.

Act.14.

JESU CHR. AN. 32.

Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali. Cur autem Annas Princeps sacerdotum dicatur, cum non ipsum, sed Caipham, qui Christum interrogavit, & mortis reum dixit, summum Pontificem fuisse constet, difficile est explicare: alii Pontificem fuisse Caipham asserunt, Sacerdotum vero Principem Annam; qui cum Pontificatum antea gessisset, (a quo dejectus a Valerio Grato Romanorum in Judæa Præside) maxima adhuc inter Judæos auctoritate pollebat, & Synedrii Princeps habebatur: alii contra per vices Pontificatum gessisse Annam, & Caipham opinantur, de quibus plura apud eruditos viros videre est.

Bar. ann. 34. n. 260. Pearf. præfat. in Act. Apostol. cap. 2. Basnag. an. 34. n. 10. Tillem. pag. 14. tom. 1. not. 13. in J. Christ.

7. Judæis itaque in concilio congregatis, Petrus, & Joannes adducuntur, & causam dicere jussi, præsertim qua virtute, vel nomine tantum miraculum edidissent; Petrus libera voce, repletus Spiritu Sancto, inquit Lucas, ita exorsus est: *Principes populi, & Seniores audite. Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus: Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quamobrem: *Videntes Petri constantiam, & Joannis, comperto, quod homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant; hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Jusserunt autem, eos foras extra Concilium secedere; & conferebant ad invicem, dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Hierusalem. manifestum est, & non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum, Et vocantes eos denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu. Petrus vero, & Joannes respondentes, dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui. At illi comminantes, dimis-*

Petri concio ad Judæos in Concilio congregatos.

Apostolorum digna sententia.

miſerunt eos, non invenientes quomodo punirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat.

JESU CHR. AN. 32.

8. Igitur Petrus & Joannes ad ſuos reverſi, & ea, quæ coram Senioribus geſta fuerant, narrantes, univerſa, quæ tum congregata in unum erat, multitudo fidelium Deum laudavit, oravitque, ut Evangelii prædicatio magis magiſque ſignis, atque prodigiis illuſtraretur. Quorum votis annuiſſe ſubito terræ motu Deus oſtendit, omneſque Spiritu Sancto deſuper venientes repleti ſunt: ſicuti porro una erat omnium voluntas idemque animus; ita temporalium bonorum uſus communis: *Quotquot enim* (inquit Lucas) *poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.* Hujus rei duo maximè inſignia exempla Lucas memoriæ prodidit: Primum *Joſeph, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, (ideſt filius conſolationis) Levites genere, qui cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.* Joſeph itaque, qui & Barnabas ab Apoſtolis nominatus, ex Judæis ortus, & ex Levitica Tribu, ſed in inſula Cypri natus, vendito agro pretium ad pedes Apoſtolorum attulit. Hunc porro Barnabam, unum ex 70. diſcipulis Chriſti fuiſſe, plerique traduut: *Non mihi pluribus verbis opus eſt, ſi adduxero teſtem Barnabam Apoſtolicum: erat autem is ex ſeptuaginta*, ait Clemens; nec diverſa Euſebius: *Quod vero ad ſeptuaginta diſcipulos attinet, eorum ſeries nullibi præſcripta reperitur; fertur tamen ex eorum numero unum fuiſſe Barnabam.* Beda tamen e 70. diſcipulorum numero Barnabam expunxit, ea ductus ratione, quod Chriſti diſcipuli omnibus rebus renunciaverant, monente Chriſto: *Si quis non renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Nil tamen obſtat, quominus ad id uſque temporis agri venditionem diſtulerit, cum omnibus, ſi non re, affectu ſaltem jam renunciaſſet; ideoque a veterum ſententia non abſcedimus, quam Hugo Menardus, & Joannes Cotelerius tuentur.

Primi Fideles bonis renunciant.

Act. cap 4.

Hieronym. de nom. Hebr.

Clem. Alex. lib 2. Strom. Euſeb. lib. 1. cap. 12., & lib. 2. cap. 1. Beda retract. in Act. Apoſt. 4.

Apud Cotel. Apoſt. PP. p. 5. 7.

9. Præclaro huic Barnabæ exemplo alterum ſatis triſte ſubjicit Lucas: *Vir quidam nomine Ananias, cum Zaphira uxore ſua, vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri, conſcia uxore ſua.* Qua fraude divinitus a Petro cognita, cum Ana-

De Ananiæ, & Zaphiræ interitu.

Act. cap. 5.

JESU CHR. AN. 32.

niam interrogaſſet : *Anania , cur tentavit Satanas cor tuum , mentiri te Spiritui Sancto , & fraudare de pretio agri ? Nonne manens tibi manebat , & venundatum in tua erat poteſtate . . . . non es mentitus hominibus , ſed Deo : Hæc audiens Ananias cecidit , & expiravit .* Dein tribus poſt horis cum adveniſſet Zaphira ignorans quid marito accidiſſet , dixit ei Petrus : *Dic mihi mulier , ſi tanti agrum vendidiſtis ; at illa dixit etiam tanti ; Petrus autem ad eam : quid utique convenit vobis tentare ſpiritum Domini . Ecce pedes eorum , qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium , & efferent te : confeſtim cecidit ad pedes ejus , & expiravit , appoſitaque eſt ad virum ſuum ; factuſque eſt timor magnus in univerſa Eccleſia , & in omnes , qui hæc audierunt .*

De crimine Ananiæ , & Zaphiræ eorumque pœna .

10. Ananiæ , Zaphiræque crimen graviſſimum fuiſſe , irrogataque pœna dignum , negari non poteſt ; ibi enim hypocriſis , dum ceteris fidelibus , qui ſua omnia vendebant , æquari volebant ; ibi ſacrilegium , ob violatam Deo fidem ; ibi mendacium , & avaritia . Illud tamen temporali pœna , repentina ſcilicet morte , expiaſſe , atque ita æternam evaſiſſe , veterum plurimi exiſtimarunt . Hinc ab Origene traditum ex mortis communis pœna miſeros , mundiores ex hac vita migraſſe : *Petrus , qui verbo Ananium , & Zaphiram , quod peccaſſent , interfecit , non id modo curans , ut ædificarentur , qui in Chriſti fidem , eo viſo , religioſiores , & magis pii erant futuri , ſed & morientes , volens eos per repentinum mortem expiatos , nec opinantes corpore liberare , quia & aliquid unde juſtificarentur , habebant , quia vel dimidium bonorum ſuorum in uſus egentium dederant :* & Auctor ſermonum de diverſis : *Correpti ſunt* , inquit , *mortis flagello , ne ſupplicio puniverntur æterno* . Eadem Auguſtinus , dum agit de Corinthio Satanæ tradito : *Quid ergo agebat Apoſtolus* , inquit , *niſi ut per interitum carnis ſaluti ſpirituali conſuleret ? ut ſive aliqua pœna , vel morte corporali , ſicut Ananias , & uxor ejus ante pedes Apoſtoli ceciderunt , ſive per pœnitentiam , quoniam Satanæ traditus erat , interimeret in ſe ſceleratam carnis concupiſcentiam* . Id & innuit Caſſianus : *Invenimus ſane etiam pro levioribus culpis nonnullos eamdem mortis ad præſens exceſſiſſe ſententium ; qua ſunt & illi puniti , quos prædiximus extitiſſe ſacrilegæ prævaricationis auctores ; ut factum eſt in illo , qui ſabbato ligna collegerat .*

Origen. commentar. Matth. tract. 8. , & in Exodum .

Apud Auguſt. ſerm. de diverſ. num. 10.

Aug. contra Parm. lib. 3. c. 1.

Caſſian. col. 6. cap. 11.

rat, vel in Anania, & Zaphira, qui parum quid de ſubſtantia ſua clam infidelitatis errore ſervaverant &c. Neque prætereunda quæ Iſidorus Peluſiota ad Orionem monachum in hæc verba referipſit: *Non crudelitatis, atque amentiæ fuit, vir ſtudioſiſſime, quod ſapientiſſimus Petrus eos, qui peccaverant, morte affecit; verum præſcientis doctrinæ multa hominum peccata præſanantis. Nam cum tunc Evangelii ſementem facere incepiſſent, ac ſtatim enata zizania conſpexiſſent; ſapienti conſilio ea confeſtim evulſerunt, ne una cum tritico uncta, futuro igni ad exuſtionem ſervarentur. Ad eumdem enim modum divinus quoque Moyſes legem ab initio ſtatim violatam perſpiciens, etſi ob exiguum peccatum, ſaxis tamen eum obrui juſſit, qui die Sabbati ligna collegerat; Deum videlicet hanc ſententiam tuliſſe, ſcribens.* Quæ tamen non eo dicta volumus proinde ac fide Ananiæ ac Zaphiræ pœnitentia certo conſtaret; neque conſultius putaremus, id imperſcrutabili juſtoque Dei judicio relinquere.

JESU CHR. AN. 32. *Iſid.lib.1. epiſt. 161.*

11. Unum adhuc addimus, ipſos a Petro interfectos non fuiſſe, ita ut ipſe ſubitaneæ mortis auctor dici poſſit; nil enim imprecationis Petri verba exhibent, quibus ſacrilegorum interitum a Deo expetierit. Oraculum hoc fuit, quo futurus nunciabatur eventus, ut adverſus Porphirium adnotavit Hieronymus: *præſentem meruere vindictam, non crudelitati ſententiæ, ſed correctionis exemplo. Denique & Apoſtolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, ut ſtultus Porphirius calumniatur, ſed Dei judicium prophetico ſpiritu annunciat, ut pœna duorum hominum ſit doctrina multorum:* Eadem docuerat Origenes: *Nec Petrum hic debemus exiſtimare, interfeciſſe Ananiam, ſed illum non ſuſtinuiſſe acrimoniam verborum Petri.* Itaque non niſi improprie dicitur Ananiam, Zaphiramque a S. Petro morte mulctatos fuiſſe; in quem ſenſum intelligenda ſunt verba Chryſoſtomi, Caſſiani, & Gregorii Magni, qui Ananiam a Petro morte affectum tradunt: *Petrus*, ait Gregorius, *peccantes verbo occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat.* Beneficia quidem plurima fidelibus oratione ſua ſæpe Petrus promeruit; ſemel peccantibus pœnam non tam intulit, quam prædixit, ut ad rem notavit Aſterius: *Illud quidem puniendo, ac necem inferendo ſemel dumtaxat ab Apoſtolo uſu ſuadente ſignum uſurpatum eſſe, quo iis, qui mala eſſent voluntate, caſti-*

Ananiæ, & Zaphiræ interitus S. Petro adſcribi non debet.

Hieron. ad Demetr. epiſt. 130.

Orig. tract. in Matth. 8.

Chryſoſt. hom. 12. in Act. Ap. Caſſian. inſtit. lib. 7. cap. 25. S. Gregor. lib 9. ep. 39.

Aſter. orat. 8. Bibliothec. PP. tom. 5.

JESU CHR. AN. 32.

caſtigandi poteſtatis ſpecimen exhiberet, beneficia autem, ac ſanitatis quotidie, ac jugiter præſtitiſſe.

De renunciatione bonorum; an fuerit præſcripta.

12. Ad eam autem bonorum communionem, quæ Hieroſolymis inter primos fideles religioſe eſt obſervata, nulla lege tenebantur, ſed ſolo Spiritus Sancti impulſu in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio multis de cauſſis id factum eſt. Et primum quidem ut excultioris diſciplinæ imitandum exemplum ſtabiliretur; Inde enim quotquot religioſiorem vivendi normam amplexi ſunt, eamque aliis tradiderunt, formam ſuſcepiſſe noſcuntur: Deinde etiam, ut inſtante ſæviſſima perſecutione, expeditiores ad certamina eſſent, proprium nihil in hoc mundo habentes; cum

Ad Timot. 6. atteſtante S. Paulo, divitiarum cupidi in diaboli laqueos facile incidant. Ceterum Fideles alibi poſſeſſiones ſuas, ac bona retinuiſſe, idque unicuique licitum ſemper fuiſſe ex eodem Apoſtolo Paulo ſcimus, dum Corinthios monet, ut indigentibus

Ad Corinth. 2. & 8. eleemoſinas impertirent; ita tamen ne ipſi paterentur anguſtiam: *Non enim*, ait, *ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat.* Bonis itaque temporalibus, etiam ſuſcepta fide, abundabant alicubi fideles Apoſtolicis Eccleſiæ temporibus; ex quo recte colligitur affectu magis, quam effectu Chriſtianis renunciationem bonorum omnium præceptam fuiſſe.

Petri in patrandis miraculis prærogativa. *Act. cap. 5. v. 15.*

13. *Per manus autem Apoſtolorum*, ſubdit S. Lucas, *fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe, & augebatur multitudo credentium in Domino virorum, ac mulierum. Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Cum vero non Petrus tantum, ſed & ceteri Apoſtoli Hieroſolymis eſſent, quidnam eſt, quod oculi omnium convertuntur in Petrum? Quid iſta in plateis ægrotantium exhibitio, ut veniente Petro, umbra ſaltem illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes, non ab uno, vel altero, ſed ab omnibus, quibus tenebantur morbis? Certe quidem non per Petrum tantum, ſed per ceteros etiam Apoſtolos patrata ſigna, & prodigia, idem, ut nuper vidimus, teſtatur Lucas. Verum ſicuti Petro inter omnes Apoſtolos Chriſtus primatum detulit; ita etiam præclariora quædam, & inſigniora ab eo miracula edi voluit. Hinc unius Petri fuiſſe curare languentes ſola corporis ſui umbra, ſatis Evangeliſta declarat. Nam

ſi id

si id ceteris quoque Apostolis commune fuisset, ut quid tanta compressio in exponendis infirmis, quos Petri transeuntis umbra curaret? Quare Arator Subdiaconus ita Petrum adloquitur. JESU CHR. AN. 32.

Excute Petre gradus: tecum medicina salutis
Ambulat: adde viam: pes is est ad gaudia velox,
In pedibus non esse moram: tua semita visa est.
Si properas, jam nemo jacet: tu motibus umbræ
Corpora cuncta levas, atque hoc simul inscia voti
Sumit turba tacens: quod, cum rogat, accipit unus.
Quærite, quos agitat tanti reverentia facti,
Quid typicum res ista ferat: libriſque volutis
Noscite, quod soli concessa est gloria Petro:
Quæve sub hac specie lateant documenta videte &c.

Hæc Arator, quibus impletum est Christi oraculum, dicentis: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora istis faciet.* Christus enim fimbriæ contactu unam mulierem à morbo liberavit. Petrus vero sola sui corporis umbra plurimos sanitati restituit. In his autem Petri miraculis, non Petri potentia, sed Jesu Christi Dei veri majestas elucet, cujus virtute tam mira Petrus perpetrabat. *Joan. 14. 22.*

14. Non desunt tamen ex antiquioribus, qui quod de uno Petro S. Lucas prædicat, ad alios etiam Apostolos extendant: ita Cyrillus Alex: objicienti Juliano multos vilesque homines, idest Apostolos, a christianis coli, respondet, Deum ex benevolentia sua eos mortalibus destinasse tam animarum, quam corporum medicos, ut Eliam Thesbitem, & eos, qui apud Christum fuere: *Petrum inquam & Joannem, & alios, quorum solæ corporum umbræ ægrotantibus ad curandum morbum sufficiebant*: De umbra corporis Pauli clara est S. Joannis Chrysostomi sententia: *quin & tanta erat in illo fidei abundantia, ut vel ejus vestes magna pollerent potestate. Quo igitur pacto nos ipsi excusabimus? si illius quidem umbræ, & vestes mortem exegere, ipsos autem affectus ne nostræ quidem preces compescunt.* Necue dissentit a Chrysostomo Augustinus, dum ait, *numquid nox erat, quando transeuntibus discipulis, ægri cum lectulis ponebantur; ut vel umbra transeuntium tangerentur.* Hæc Augustinus, qui alibi tradit, Petri umbra & mortuum suscitatum fuisse. Verum si ipsa tantum Lucæ verba perpendan- An alii Apostoli præter Petrum umbra infirmos sanaverint. *Cyrill. Alex: adversus Julian. lib 6. pag. 202. tom.6.* *Joan.Chrysost. hom.8. in epist. ad Rom.* *Aug.in Joan. tract.44.* *In psal. 130.*

JESU CHR. AN. 32.

pendantur, Apostolos prodigia plurima patrasse constabit; at umbra corporis sanitatem aegris restituere, soli Petro datum fuisse patebit. Virtutes quidem non vulgares a S. Paulo editas S. Lucas recenset, cum ipsius etiam *sudaria*, & *semicintia* pellendis dæmonibus, & morbis curandis mirabiliter inservirent; at de sanatis ex ejus umbra altum ubique silentium.

Apostoli in carcerem conjiciuntur.

15. Miraculorum fama, quæ a S. Petro, ceterisque Apostolis peragebantur, ubique personante fiebat, ut ex proximis Civitatibus concurrerent Jerusalem, *afferentes ægros, & vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes: exorgens autem Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo, & injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.* At adstans Angelus e carcere nocte eadem eos liberavit, jubens, ut bono essent animo, ac intrepide evangelium prædicarent. Mane itaque facto Apostoli Templum ingressi, confluentem populum iterum docebant: Coactoque a Pontifice concilio, cum in carcere Apostoli frustra quæsiti essent, demum in Templo docentes inventi sunt; eosque Magistratus cum Ministris ad Concilium sine vi adduxit (timebat enim, ne a populo lapidaretur): Cumque spreti mandati arguerentur, Petrus ad facti excusationem magna animi libertate hæc in primis dixit: *Obedire Deo oportet, magis quam hominibus*: His auditis Sacerdotum Princeps ceterique Judæi *dissecabantur, & cogitabant interficere illos*; tum exurgens Gamaliel, legis doctor honorabilis universæ plebi, jussit Apostolos ad breve tempus foras duci, & ad Judæos conversus, in hunc modum locutus est: *Viri Israelitæ attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens, se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, & avertit populum post se, & ipse periit: & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & finite illos: quoniam si ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi, Et convocantes Apostolos, cæsis denunciaverunt, ne omnino loquerentur in nomine*

Act cap. 5. 16.

Gamalielis ad Judæos consilium.

minе

mine Jesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in Templo, & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum. Hæc Lucas, ex quibus variæ quæstiones exoriuntur. JESU CHR. AN. 32.

16. Ac primo dubitatur, an tunc Gamaliel Christianus fuerit; ipsum enim Apostolis favisse, modo ex Luca audivimus. Christianis quidem ex auctore Recognitionum adjungit Baronius, sed a primorum fidelium simplicitate & fervore alienum nobis videtur christianæ fidei asseclam in Judæorum Synagoga adfuisse; atque absonum judicamus ea dissimulatione, hypocrysim verius dixerim, ex Apostolorum consilio fuisse usum. Enim deinceps Christi ridem amplexum fuisse, constat quidem ex relatione Luciani presbyteri de inventione corporis Sancti Stephani; Verum hoc tempore Judæus adhuc erat, & ex Pharisæorum secta, ad cujus pedes Saulus erudiebatur, ut ipse tradit. Ejus autem consilium, quo Apostoli tanto periculo erepti sunt, non tam Christiani, quam Pharisæi fuit; magna enim erat Pharisæos inter, & Sadducæos de mortuorum resurrectione dissentio quam cum aperte Apostolos prædicare audivisset, hac unica de causa ipsorum patrocinium suscepit, uti alias accidit, cum Pharisæorum opera Paulus absolutus est, dicens: *Ego Pharisæus sum, filius Pharisæi, de spe, & resurrectione mortuorum ego judicor.* An Gamaliel Christianus fuerit. *Tillem. tom. 2. p. 465. not. 1. in Gamal. Aucl. recognit. lib. 1. 65. Pearf. in act. Apost. p. 48. Basnag. an. 34. n. 19. Apud August. tom. 7. Martyr. die 3. Aug. Act. 22. 3.*

17. De Theoda insuper, *quem ante hos dies insurrexisse*, dixit Gamaliel, vehementer disputatur; Refert namque Josephus, Theodam nonnisi imperante Claudio prodiisse, quem Fadus Judææ procurator, quarto Claudii anno illuc missus, comprehensum capite multavit. Viri quidam doctissimi, ut Lucæ auctoritatem tueantur, existimant Josephum vel hallucinatum, vel mentitum fuisse, dum ad Claudii tempora Theodæ Rebellionem refert; atque huic opinioni Eusebius, aliique inter veteres favere videntur. Nil tamen obstat, quominus duos Theodas hisce temporibus fuisse dicamus inter se diversos, de quorum primo loquutus sit Gamaliel, cui quadringenti circiter viri adhæserunt; de altero Josephus, quem major vulgi multitudo secuta est: Quod ubi admittatur, sua stabit De Theoda Judæo, & Seductore. *Euseb. hist. lib. 2. c. 2. Baron. an. 34. n. 272. Grot. in Math. Pearson in act. Apost. pag. 49. Basnag. an. 34. n. 20.*

JESU CHR. AN. 32.

bit & Lucæ, & Josepho auctoritas. Aliam utrumque conciliandi rationem excogitavit Valesius, putavitque S. Lucam eam narrationem sub Gamalielis persona inseruisse, utpote argumento suo aptissimam. At pace tanti viri dixerim, hoc modo difficultas non tollitur, sed augetur. Quî fieri enim potest, ut Sanctus Lucas Gamalielis nomine historiam referat, de qua nequidem cogitare poterat? numquid erat Propheta Gamaliel, ut quæ post duodecim annos eventura erant, tamquam facta narraret? Absit ergo; ut minus vera S. Lucam narrasse dicamus. Qui de Theoda, vel Juda Galilæo plura cupit, præter citatos Auctores, adeat Ludovicum Capellum Spicilegio in Acta Apostol. cap. 5., & Richardum Simonium.

Valef. not. in Euseb. lib. 2. c. 11.

De actis, & epistol. Pilati Præsidis ad Tiberium.

18. Romanos rerum memorabilium, quæ in Urbe, vel in Provinciis gerebantur, documenta servasse, & in acta Senatus, sive Diurna populi retulisse, est jamdiu a viris doctis diligenter observatum. Quidquid enim in Provinciis relatu dignum accidisset, Præsides, vel Cæsarum Procuratores ipsis per epistolas nunciabant; Quinimmo ex Plinii junioris Epistola ad Trajanum apparet, acta rerum gestarum confecta fuisse, ut Romam transmitterentur. Cum itaque Christi fama longe lateque percrebuisset, & tot ac tanta in ejus morte mirabilia contigissent; certo credimus hoc anno Pilatum omnia Tiberio nunciasse, & Acta gestorum Christi ad Urbem misisse. Inficiantur equidem nonnulli; Verum adeo in hoc consentiunt veteres, gravissimique Christianorum Scriptores, ut iis fidem omnino adhibendam ultro fateantur etiam viri inter Acatholicos eruditissimi. Et profecto Justinus in prima pro Christianis Apologia semel, atque iterum ad Christi acta a Pilato confecta provocavit: *Atque*, inquit S. Martyr, *hæc ita gesta esse ex actis sub Pontio Pilato confectis, discere potestis*: & infra: *Quæ quidem ab eo facta esse, ex confectis sub Pontio Pilato actis discere potestis*. Justino congruit Tertullianus: *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in sæculum introivit, annuntiata sibi ex Syria Palæstinæ, quæ veritatem ipsius Divinitatis revelaverant, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Quis vero illa Tiberio prodigia nunciaverit, ita docet: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia*

V. Casaub. exercit 16. p. 599. Pearf. lect. in Act. Apost. pag. 50. & 64. Valef. not. in Euseb. l. 2. 2. Just. Apol. 1. pag. 65. Idem pag. 72.

Tertul. Apol. cap. 5. et cap 21.

JESU CHR. AN. 32.

tia Chriſtianos, Cæſari tum Tiberio nunciavit. Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares. Tertullianum ſequitur Euſebius & in Hiſtoria, & in Chronico (licet tardius hæc referat, ad annum ſcilicet Chriſti trigeſimum ſextum, Pilati ultimum) ita ſcribens: *Cum admiranda Servatoris noſtri reſurrectio, ejuſdemque in Cœlum Aſcenſio omnium pene ſermonibus jam pervulgata eſſet, quoniam vetus hæc erat conſuetudo Provinciarum Rectoribus, ut quidquid novi apud ipſos contigiſſet, Imperatori nuntiarent, ne quid ipſum lateret: Pilatus de Reſurrectione Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus per univerſam Palæſtinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque alia ejuſdem miracula ſe auditu accepiſſe ſignificans, & qualiter ad vitam denuo revocatus, a pleriſque jam Deus haberetur. Ac Tiberium quidem rem ad Senatum detuliſſe perhibent, ſed Senatum hujuſmodi Relationem aſpernatum eſſe: ſpecie quidem eo quod Senatus auctoritas ad id non expectata videbatur, cum tamen vetus lex apud Romanos, ne quis abſque decreto Senatus pro Deo haberetur; re autem ipſa eo quod ſalutaris divinæ doctrinæ prædicatio auctoritate, & auxilio hominum minime indigeret. Cum igitur Senatus Relationem de Servatore noſtro ita, ut dictum eſt, repudiaſſet, Tiberius tamen in priſtina ſententia perſeverans, nihil adverſus doctrinam Chriſti durius molitus eſſe dicitur. Hæc Tertullianus, vir legum Romanarum peritiſſimus, & inter Latinos Scriptores celeberrimus in Apologia ab ipſo quidem latine conſcripta, poſtea vero in græcum ſermonem translata prodit his verbis: Ut, inquit, de origine aliquid retractemus ejuſmodi legum: vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi a Senatu probatus. Scit M. Æmilius de Deo ſuo Alburno. Facit & hoc ad cauſam noſtram, quod apud vos de humano arbitratu Divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in Sæculum introivit, annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtinæ, quæ veritatem illius divinitatis revelarat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non ipſe probaverat, reſpuit: Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Hactenus Tertullianus. Quam quidem ſententiam cæleſtis pro-*

Euſeb. lib. 2. c. 2.

Euſeb. chron.

JESU CHR. AN. 32. *Oros. lib. 7. cap. 4. Hieron. in chron. Gregor. Tur. hist. lib. 1. cap. 22. Basnag. annal. an. 33. n. 191.*

videntia Tiberii Cæsaris menti idcirco infuderat, ut Evangelii semina, qui tunc primum nasci cœperat, absque ullo impedimento per universum Orbem spargerentur. Hactenus Eusebius, quem ceteri Ecclesiasticæ historiæ scriptores sequuti sunt. Rem tamen, quod vix credibile alicui fortasse videbitur, a tot, tantæque antiquitatis, fidei, doctrinæ scriptoribus confirmatam, pernegant nonnulli, ac potissimum Basnagius; & levissimis quidem, uti nostra fert opinio, de caussis. Ajunt enim primo, Tertullianum ex actis apocryphis, quæ circumferebantur, historiam derivasse; verum ex ipsis Tertulliani verbis apparet, ex Senatus Rom. actis diurnis hausisse; ea enim præcipue narrat, quæ a Tiberio, & Senatu Romæ sunt gesta. Addunt præterea improbabile esse, Tiberium de Christo adeo fuisse sollicitum, ut eum in Deorum numerum referendum curaret; absurdius vero adhuc, Senatum adversus Tiberii sententiam aliquid decrevisse. Levissima tamen hæc esse facile quisque intelligit; cum ex Suetonio sciamus, de rebus etiam minimis ad Patres conscriptos retulisse Tiberium, *& quædam adversus sententiam suam decerni, ne quæstum quidem fuisse.* Quod enim impossibile hisce criticis videtur, absque periculo a Senatu factum est, teste Svetonio. Rei gestæ rationem reddit Tertullianus. *Senatus*, inquit, *quia non in se probaverat, respuit*; hoc est, cum divinitatem sibi a Senatu Rom. oblatam Tiberius recusasset, tutissimum deinceps putabat, alium neminem in Deos referre, ne eum Tiberio præferre videretur. Ingerunt adhuc, ea ætate incognitum fuisse Christianorum nomen, quod nonnisi post annos aliquot Antiochiæ a Fidelibus est usurpatum; ideoque vel a Tiberio, vel a Senatu de Christianis nil decerni potuisse: At de re gesta nunc inquirimus, de nomine non litigamus. Alia quoque argumenta, ut hanc historiam elevet, congerit Basnagius, quæ levitate sua corruunt; quorum primum petit ex Justini silentio, qui de Tiberii ad Senatum postulatione, deque gestis a Senatu omnino silet. Sed quid obstat Justini silentium, cum id tam expresse a Tertulliano, & Eusebio tradatur? numquid omnia, quæ Christianorum erant, in ea apologia Justinus congerere debuit? Ceterum ad acta Pilati bis provocat Justinus; reliqua si vel ignoravit, vel silentio præteriit, numquid Tertulliano, ac Eusebio fides neganda est?

19. Cc-

19 Ceterum Pilati acta, & Epistolam ad Tiberium, Eusebii tempore jam deperdita fuisse, negari non potest; nam si ea præ manibus habuisset accuratissimus Scriptor, procul dubio historiæ suæ inseruisset. Quapropter Pilati epistola, quæ nunc sub Egesippi nomine in Bibliotheca Patrum, & apud Baronium, Sixtum Senensem, aut Florentinium occurrit, uti apocrypha rejicienda omnino est, cum plura, eaque perspicua falsitatis indicia præseferat. Porro Pilati epistolam, & Acta impietatis ac mendaciorum plena, in odium christianæ religionis effinxere Gentiles, quæ jussu Maximini tyranni publice tum in agris, tum in civitatibus legebantur, ac pueris etiam a ludimagistris tradebantur: Hisque sub Diocletiano, & Maximiano usos fuisse Ethnicos, ut Christianos a martyrio revocarent, ex passione Sanctorum Tarachi, Probi, & Andronici constat. *Iniquissime, non scis, ait Maximus, quem invocas Christum, hominem quemdam fictum, sub custodia Pontii Pilati punitum, cujus acta reposita sunt.* Fuerunt & alia Pilati acta ab Hæreticis vulgata, scilicet a Quartadecimanis, teste Epiphanio, & auctore incerto homiliæ apud Chrysostomum. Sed & Gregorius Turonensis acta de morte, & resurrectione Jesu Christi a Pilato conscripta citat; *quæ gesta*, ait, *apud nos hodie retinentur scripta*: eaque pro genuinis habuit; sed immerito.

JESU CHR. AN. 32.

Pilati epist. & acta quæ extant apocrypha. Baron. an. 34. n. 223. Pearf. pag. 50. Bibl. PP. tom. 7. p. 573. Tillem. n. t. 19. in Pet. p. 516. Florent. p. 12. Euseb. l. 9. c. 5.

Ruinart. pag. 485. edit. Paris. Epiph. hæres. 50. n. 1. Apud Chrysost. tom. 5. hom. 156. in Append. Gregor. Turon. lib. 1. hist. c. 24.

20. Quamquam Tiberius plurimos anno superiore vario mortis genere sustulisset; haud tamen tot cædibus exsatiatus in alios, cosque clarissimos, hoc quoque desevit. Plerique enim, qui vel amicitia, vel beneficiis Sejano obstricti fuerant, interempti sunt, ne fœminis quidem exceptis; inter quas Vitiæ provectæ ætatis mulieri mors subeunda fuit, non aliud ob crimen, nisi quod Fusium Geminum filium carissimum a Tiberio sublatum desevisset. Inter Sejani amicos vix solus M. Terentius evasit: Is non abnegans se Sejano amicum fuisse, quin immo coram Senatu profitens se maximo studio eum coluisse, quem Imperatori carissimum esse sciebat; tanta libertate suam causam dixit, ut Senatorum suffragiis absolutus fuerit, pœna in delatores dicta. Cognita etiam per Sejani uxorem Livillæ in Drusum Cæsarem perfidia, Tiberius in ipsum, ceterosque sceleris participes, vel suspectos sine discrimine animadvertit, ita ut ex Senatoribus, aliisque clarissimis viris quotidie aliqui vel in judicium, vel ad supplicium traherentur.

Tiberii gesta.

Dio l. 59. Tacit. annal. lib 6. cap. 1. & seqq.

Tacit. Suet. ut supra.

21. In-

JESU CHR. AN. 32. Romani Senatus in Tiberium adulatio,

21. Interea Senatus licet extremis odiis Tiberium prosequeretur, ut insano tamen Principi adularetur, suo cavit consulto, ut singuli Senatores Kal. Jan. Tiberii leges se servaturos jurarent. Decrevit etiam, ut quoties Imperator Curiam intraret, viginti e Senatoribus nudato gladio, stipatorum more, Principem tuerentur; quod ille utpote sibi timens, recusavit. Immanem Tiberii crudelitatem æquabat fœdissima libido, cui se totum dederat, ut apud Suetonium videre est; prohibet enim verecundia tam lubrica, tamque fœda annalibus inferere. Cumque hoc anno relicta insula Caprea, Campaniam percurrisset, Romam advenit, incertus, an Urbem ingrederetur; sed aliquandiu in hortis juxta Tiberim commoratus, saxa rursum, & solitudinem insulæ Capreæ repetiit; unde epistolam ad Senatum scripsit, cujus initium memoria dignum est: *Quid scribam vobis P. C., aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dii me, Deæque pejus perdant, quam perire quotidie sentio, si scio.* Sic facinora in supplicium sibi Tiberius verterat, ut quid ageret, vel non ageret omnino nesciret; vindice enim conscientia exagitatus quiescere non poterat. Cetera, quæ hoc anno Romæ, vel in Provinciis gesta sunt, consulto omittimus, memores, nos Ecclesiasticam, non Romanam historiam ennarrare.

Tacit. ut supra. Suet. in Liber. c. 43. Suet. l. 3. c. 67.

JESU CHRISTI an. 33. PETRI APOST. an. 2.
TIBERII IMP. an. 20.
COSS. SER. SULPICIO GALBA, ET L. SULLA FELICE
AN. URBIS 786. OLYMP. 203. an. 1.

JESU CHR. AN. 33.

1. CReſcente in dies Hieroſolymis fidelium numero, *factum eſt murmur Græcorum*, ait Lucas, *adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum*. Conſtat Gentiles a vera religione extorres, Græcorum nomine hic non intelligi, nam hi a S. Luca memorati fidelibus accenſentur. Sed neque Judæi, qui græca utebantur lingua, eo nomine deſignantur, quorum plurimi per orbem erant; non enim hi Græci dicebantur, ſed Hebræi, ut de Paulo conſtat, qui Tarſo natus, græcaque lingua inſtructus, hebræum tamen non græcum ſe eſſe gloriabatur; quod ceteris etiam commune erat, qui ex genere Abraham originem ducebant. Græcorum itaque nomine intelligendi ſunt legis proſelyti; ſive *portæ*, ut dicebantur, eſſent, qui Deum Hebræorum colebant, non tamen Judæorum legibus vivebant, neque circumcidebantur; ſive proſelyti *juſtitiæ*, de quibus verius hoc loco ſermo habetur, qui & circumciſioni ſe ſubjiciebant, & ceteras legis cæremonias obſervabant, Græci tamen a Judæis, ob Abrahæ genus ſuperbientibus, dicebantur.

Qui inter Hebræos Græci dicerentur.

Act. 6.

2. Miniſterii autem quotidiani nomine, ex quo orta eſt contentio, eleemoſinarum diſtributio venit, quæ Hebræorum viduis copioſiores, quam Heleniſtarum erogabantur. Quam interpretationem & Lucas confirmat, dum narrat Apoſtolos, convocata Fidelium multitudine, hæc locutos fuiſſe: *Non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum; & orantes impoſuerunt eis manus.* Hæc Lucas de ſeptem Diaconorum electione, quorum aliquos Heleniſtas

Miniſterii nomine quid intelligatur.

Act. 6.

De Septem Diaconorum electione.

JESU CHR. AN. 33.

nistas fuisse, eorum nomina satis indicant. Ex 70. Christi discipulis electos tradit Auctor Constitutionum Apostolicarum: Sed hoc incertum. De S. Stephano sane ignorare se fatetur Augustinus, an ex Christi discipulis fuerit, vel an Apostolorum prædicatione ad fidem Christi accesserit.

Const. lib. 2. cap. 55.

August. psalm. 216.

Septem Diaconos Romana Ecclesia habuit.

3. Septenarium Diaconorum numerum Apostolica auctoritate consecratum præcipuæ Christiani Orbis Ecclesiæ diu retinuerunt. Romanam Ecclesiam omnium primam septem tantum Diaconos antiquitus habuisse, testatur Cornelius Pontifex in Epistola ad Fabium Antiochenum: *in qua*, inquit, *Ecclesia sciebat Novatianus, presbyteros quidem esse quadraginta sex, septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos*; quem numerum in magnis etiam Ecclesiis servandum esse statuit Neocesariense Concilium: *Diaconi septem esse debent juxta Regulam, etiamsi magna sit Civitas, ejus autem fidem facit liber actuum*. Non ubique tamen, nec semper ea disciplina viguit; quinimmo crescente Fidelium multitudine, cum Septenarius Diaconorum numerus non sufficeret, alii additi sunt, ut in Constantinopolitana Ecclesia, quam centum Diaconos habuisse constat Justiniani Imperatoris tempore.

Euseb. hist. lib. 6. cap. 43.

Constan. Ep. Rom. Pont. pag. 250.

Hardu'n. t. 1. Concil. p. 255. can. 14.

Novell. Just. 3.

De Diaconorum Officio.

4. Diaconos autem non tam communi mensæ, quam sacro ministerio, seu sacræ mensæ fuisse præpositos, satis evincitur ex eo, quod temporibus Apostolorum, Christi Domini exemplo, qui in ultima cœna communem mensam cum sacra conjunxerat, Fideles quoque utramque simul conjungerent; unde Apostolus Corinthios admonens, ut temperantiam, & charitatem in eorum mensis servarent, hæc habet: *Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est*, quæ de mensa communi intelliguntur; Deinde de eucharistica hæc subdit: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, quæ certe sacram mensam designare nemo negabit. Diaconorum ergo præcipuum officium erat sacris inservire mensis; Quare Lucas: *erant*, inquit, *perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: & paulo post: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis*. Frangere namque panem idem est ac Corpori Dominico communicare, juxta illud Pauli: *Panis, quem frangimus nonne participatio Corporis*

Bar. an. 34. n. 280.

Pearf. pag 53.

Ad Corinth. 1. cap. 11.

Act. 2.

poris Domini eſt. Præterea ſi communibus ſolum menſis præficiendi fuiſſent, tanta quidem ſollicitudine opus non erat, ut eligerentur viri boni teſtimonii, Spiritu Sancto, & ſapientia pleni. Nonne quicumque etiam communis ſortis homo, ad id aptus erat? quid ipſos adhibitis orationibus, ac impoſitione manuum ordinare oportebat? Immerito itaque Sacræ Hierarchiæ hoſtes contendunt Diaconos ab Apoſtolis communibus tantum menſis eſſe præpoſitos; contra enim altaris miniſterio præcipue addictos fuiſſe, & ex eorum ordinatione, & ex perpetua traditione conſtat. Hujus rei teſtes ſunt Sanctus Ignatius, qui ad Trallianos ſcribens, de Diaconorum officio hæc habet: *Oportet & Diaconos myſteriorum Jeſu Chriſti miniſtros omni modo omnibus placere, non enim ciborum, & potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei Miniſtri*. Juſtinus Martyr qui Diaconos myſteriorum, ſeu Euchariſtiæ diſpenſatores fuiſſe aſſerit *Poſtquam vero is, qui præeſt preces abſolvit, & populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur Diaconi, panem, & vinum, & aquam, in quibus gratiæ actæ ſunt, unicuique præſentium participanda diſtribuunt, & ad abſentes perferunt*. Denique Cyprianus, Synodus Ancirana, & Nicæna, atque Arator, cujus elegantes verſus hic damus:

JESU CHR. AN. 33.

Baſnag. an. 35. n. 11. Ottius an. 34.

Ignat. Ep. ad Trall. pag. 63.

Juſt. Apolog. 1. pag. 83.

Cyprianus de lapſis p. 94. Synod. Ancir. can. 2. Nic. can. 14. Arat. verſ. in Act. Apoſt.

Jura miniſterii ſacris altaribus apti
In ſeptem ſtravere viris, quos undique lectos
Levitas vocitare placet, quam ſplendida cœpit
Eccleſia fulgere manus, quæ poculo vitæ
Miſceat, & laticis cum ſanguine miſceat agni.

Præter Euchariſtiæ diſtributionem, Diaconorum quoque munus erat, oblationes ad altare offerre, menſam componere, calicem Sacerdoti porrigere, ac velare, ut Iſidorus tradit: *Ipſis etiam Sacerdotibus*, ait, *propter præſumptionem non licet de menſa Domini tradere calicem, niſi ei traditus ſit a Diacono, Levitæ inferunt oblationes in alturia, Levitæ componunt menſam Domini, Levitæ operiunt Arcam teſtamenti*. Hæc de Diaconorum officio Iſidorus; quibus addenda eſt bonorum Eccleſiaſticorum cura, quam iiſdem commiſſam fuiſſe certo ſcimus, ut de S. Laurentio Romanæ Eccleſiæ Diacono habent S. Leo, & Prudentius: *Non ſolum miniſterio Sacramentorum, ſed etiam*

Alia Diaconorum officia.

Iſid. de off. Eccl. lib. 2. cap. 8.

S. Leo Serm. 85. Ed Baller. Prudent. de Cor. Mart. carm. 2.


image
not
available

mentio in antiquissimis Ecclesiæ monumentis, tertio præcipue ineunte sæculo, habetur. Horum enim meminit Cornelius Romanus Pontifex in celeberrima ad Fabium Epistola : *Septem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos, & quadraginta Exorcistas, & Lectores, cum Ostiariis quadraginta duos.* De Subdiaconis audiantur & Laodiceni Patres. *Non oportet, Subdiaconos locum habere in Diaconio, & Dominica vasa contingere.* Tertio itaque sæculo in Ecclesia erant Subdiaconi, ceteriique minorum ordinum Clerici; quin secundo sæculo desinente, vel tertii initio, Lectorum mentio fit a Tertulliano, dum libro de præscriptionibus habet : *Alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui erat Lector, hodie Presbyter, qui erat Laicus.* An autem ex Apostolica institutione, vel potius (quod crediderim) Ecclesiastica, minores Ordines originem ducant, a Theologis disputatur; de quibus consulendi sunt Morinus, Hallier, Juvenin, Turnely &c. Quoniam vero non defuerunt, qui Ecclesiasticæ Hierarchiæ Diaconissas, quarum in Sacris litteris mentio occurrit, accensendas esse arbitrati sunt, abs re non erit, de iis quoque hic pauca delibare.

JESU CHR. AN. 33.

Apud Eusebiib. 6. cap. 43.

Conc. Laodicen. 21.

Tertull. de præscript. cap. 41.

6. Diaconissarum ministerium ab Apostolis institutum fuisse, satis indicant veterum testimonia; ac primo id suadent Pauli verba ad Timotheum, dum de Viduis, quæ ad ministerium eligendæ erant, edicit ut : *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.* Hæc de eligendis in Diaconissas accipienda esse luce clarius patet; Cur enim maturam ætatem, probatosque mores requireret in hisce Viduis Apostolus, nisi quod Ecclesiæ Ministerio mancipandæ erant? Quare Phœben Cenchrensis Ecclesiæ Diaconissam fuisse dicendum est, de qua Paulus : *Commendo vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris.* Diaconissa quoque fuit Olympias nobilissima, ac ditissima Vidua S. Joannis Chrysostomi tempore, aliæque plurimæ, quarum in historia Ecclesiastica mentio occurrit. De iisdem etiam intelligenda sunt S. Ignatii verba ad Smyrneos : *saluto virgines, quæ Viduæ vocantur*, idest Viduas, quæ in continentia vivunt. Diaconissas quoque a Plinio significari in sua Epistola, vix in dubium cadit, dum ait : *Necessarium credidi ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, &*

De Diaconissis.

Ad Timot. 1. 5.

Ad Rom. 16. 1.

Plin. l. 10. ep. 97. ad Trajan. Imp.

JESU CHR. AN. 33. *Tertull. de velland, Virg. cap. 9.*

per tormenta quærere; & eodem Sæculo Tertullianus de Diaconissarum qualitate, & officio hæc habet: *Ad quam Sedem præter annos sexaginta, non tantum univiræ, ideſt nuptæ aliquando eliguntur, ſed & matres, & quidem educatrices filiorum, ſcilicet ut experimentis omnium affectuum ſtructæ facile norint ceteras & conſilio, & ſolatio juvare.* Labentibus deinde ſæculis Diaconiſſarum ætati aliquid ſubtractum eſt, ita ut quadrageſimo etiam anno ad id muneris eligerentur: excommunicationis etiam indicta pœna in eas, quæ in propoſito non perſeverarent, prout a Chalcedonenſibus Patribus ſancitum eſt: *Diaconiſſam non eſſe ordinandam ante quadrageſimum annum, & eam cum accurato examine: Si autem poſtquam ordinatione ſuſcepta in miniſterio aliquo tempore permanſit, ſe ipſam matrimonio tradiderit, Dei gratiæ injuriam faciens, ea una cum illo, qui ei conjunctus eſt, anathematizetur.* Eamdem viduis junioribus, quæ religioſa prius veſte ſuſcepta, ad nuptias poſtea convolarent, pœnam irrogat Synodus Carthaginenſis quarta. De Diaconiſſis & leges Imperatorum, & Scriptores hiſtoriæ ſæpiſſime agunt.

Harduin Concil. tom. 1. can. 104. pag. 983. Cod. Theod. l. 1. 27. Cod. Juſtin. l. 9. de Epiſc. & Cler. Sozom. lib. 7. cap. 16.

7. Sed reliqua videamus. Diaconiſſarum officium erat mulieribus, dum baptizarentur, immergendis miniſtrare; Cathecumenas in fide inſtruere, ægrotos, pauperesque ſui ſexus juvare. In Carthaginenſi quarta Synodo, quæ munera Viduarum eſſent, ſic exponuntur: *Viduæ, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto, & ſano ſermone docere imperitas, & ruſticas mulieres, tempore quo baptizatæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant.* Eadem mente, & animo Clementinarum Conſtitutionum Auctor hæc præcipit: *Elige quoque Diaconiſſam fidelem, & ſanctam ad mulierum miniſteria. Fit enim nonnumquam, ut in quibuſdam domibus virum Diaconum ad mulieres non poſſis mittere propter infideles, deſtinabis igitur Diaconiſſam propter improborum cogitationes: Diaconiſſa ſiquidem fœmina ad multos uſus indigemus. Ac primum cum baptizantur mulieres, Diaconus tantum earum frontem unget oleo ſancto; deinde Diaconiſſa eas illinet; non eſt enim neceſſe, mulieres aſpici a viris.* Similia Diaconiſſis munia adſcribit Epiphanius, *Quamquam vero Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt, ſed ut muliebris ſexus bone-*

De officiis Diaconiſſarum.

Concil. Carth. 4. Can. 12. Hard. ut ſup. pag. 960.

Cotel. Conſtit. Apoſt. lib. 3. cap. 15. pag. 250. edit. Amſtelod.

Epiph. h. 79. n. 3.

honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit, sive ut insticiat, si quid molestiæ pertulerit, sive ut cum nudandum est mulieris corpus, interveniat, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita; sed a sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur. Ægrotorum quoque curam Diaconissas suscepisse, indicio est Hieronymi ad Nepotianum Epistola: *Si hujusce modi non fuerint consanguinitatis, castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosinæ.* Aliud officium Diaconissis adscribit Auctor Epistolæ ad Antiochenos Ignatio tributæ: *Saluto custodes sanctarum portarum, quæ sunt in Christo Jesu Diaconissas*; & Auctor Clementinarum: *Maneant Ostiarii ad introitus virorum illos custodientes; Diaconissæ ad introitus fœminarum.*

Hieron. ep. 52

Clement. lib. 2. cap. 61.

8. Diaconissas autem manuum impositione fuisse ordinatas, dubitari vix potest; id saltem certum est, Episcopali benedictione fuisse consecratas, quæ benedictio, ordinatio quædam a Patribus sæpe dicitur; etsi a clericali ordinatione toto cælo distaret. Cum enim fidelium ministerio addicerentur, atque Deo consecrarentur voto virginitatis, vel continentiæ in perpetuum servandæ, speciali quadam consecratione initiabantur; de quibus Auctor Clementinarum hæc habet: *De Diaconissa ego Bartholomæus disposuo, O Episcope impone ei manus, præsentibus Presbyteris, Diaconis, & Diaconissis.* Sequitur deinde oratio: *Respice super hanc famulam tuam, quæ ad Diaconatum promovetur, da ei Spiritum Sanctum, & munda eam ab omni inquinamento carnis, & spiritus, ut digne exequatur commissum sibi officium in gloriam tuam.* Hujusce ordinationis, seu consecrationis meminit Tertullianus, ad Uxorem scribens: *Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplinæ Ecclesiæ, & Apostoli præscriptio declarat, cum bigamos non sinit præsidere, cum Viduam adlegi in ordinationem, nisi univirum non concedit*: & in fine exhortationis ad castitatem, de eisdem viduis verba faciens eodem ordinandi verbo utitur: *Quantæ igitur, & quæ ordinari in Ecclesia solent, quæ Deo nubere maluerunt.* Neque his adversantur, quæ in Concilio Nicæno, *canone* 19. de Paulianistarum Diaconissis statuta sunt, quo in canone, postquam dixerunt Patres: *Paulianistas in Ecclesiam revertentes rebaptizandos esse; eorum vero Cleri-*

An Diaconissis manus imponerentur.

Auct. Clement. lib. 8. c. 26.

Tertull. ad Uxorem lib. 1. c. 7.

Concil. Nic. can. 19.

JESU CHR. AN. 33.

Clericos, rebaptizatos ab Episcopo Catholico, iterum posse ordinari, si prævio examine digni inveniantur; deinde addunt: *Similiter autem de Diaconissis, & de omnibus omnino, qui inter Clericos annumerantur, eadem forma servabitur*; ideſt etiam Diaconiſſæ, ſi facto examine dignæ deprehendantur, ad eumdem gradum ordinari a Catholico Epiſcopo poſſunt; ſequentia denique ſubnectunt, quæ difficultatem afferre videntur: *Diaconissarum autem meminimus, quæ in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habent manuum impositionem, & omnino inter laicos numerentur & ipsæ*. Hinc namque Diaconiſſis manus imponi a Concilio Nicæno vetitum fuiſſe cenſuit Annalium Parens. At non ea Nicænæ Synodi mens fuit; Ultima enim verba exceptionem quamdam ad regulam eodem decimo nono Canone firmatam continent, ita ut de Paulianiſtarum tantum Diaconiſſis intelligenda ſint; quæ cum nullam conſecrationem accepiſſent, ſeu, ut eadem Synodus habet, in habitu tantum Diaconiſſarum fuiſſent, nec ullam adhuc manuum impoſitionem accepiſſent, inter laicos omnino recenſendas præcipit. In ordine autem Romano Miſſa legitur ſpecialis pro Diaconiſſæ ordinatione. De Olympiade hæc tradit Sozomenus: *Hanc, cum nobilissimo genere esset orta, quamvis juvenili ætate viduam, tamen quia juxta leges Ecclesiasticas egregie philosophabatur, Nectarius Diaconissam ordinaverat*. Theodoritus etiam meminit filii cujuſdam Sacerdotis Idolorum, quem imperante Juliano Diaconiſſa ad fidem converterat. Epiphanius ordinationis Diaconiſſarum mentionem facit in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum: *Nunquam autem ordinavi Diaconissas, & ad alienas missi provincias*. In Gallia quoque Diaconiſſæ ordinabantur ad uſque ſaltem annum 441., quo labente earum conſecratio ab Arauſicanis Patribus prohibetur cap. 26. *Diaconissæ non ordinandæ: Si quæ jam sunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita submittant*. Epaonenſi etiam Concilio canone 21. Diaconiſſarum ordinatio eſt abrogata anno circiter 517. *Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione nostra penitus abrogamus*; idemque confirmat canon 16. Concilii Aurelianenſis ſecundi his verbis: *Fœminæ, quæ benedictionem Diaconatus habitenus contra interdicta Canonum acceperint, si ad Conjugium probantur iterum devolutæ, communione pellantur*. Sed non tantum continentes, ſed & ab omni ſplendore, cultuque alienas Diaconiſſas eſſe Eccleſia jubebat, ut Concilio quarto Carthaginenſi decernitur: *Sicut bonum eſt*

Baron. an. 34. n. 283.

Vide Morin. de Sacris ordinat. exercit. 10. 2. Apud Mabil. ord. Rom.

Sozom. lib. 8. c. 9.

Theodor. l. 3. c. 9.

Can. 104. Hard. concil. tom. 1. ut sup.

eſt caſtitatis pretium, ita & majori obſervantia, & præceptione cuſtodiendum eſt, ut ſi quæ Viduæ matura ætate a viro derelictæ ſe devoverunt Domino, & veſte laicali abjecta ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint, poſtea vero ad nuptias ſæculares tranſierint, ſecundum Apoſtolum damnationem habebunt. Videatur Toletanum quartum Concilium *canone* 54., & 55.

9. Jam vero ad hiſtoriam nos revocant Protomartyris Stephani glorioſa certamina, quæ quo anno & die contigerint incertum. Aliqui, Uſuardi fortaſſe auctoritate fulti, eodem anno S. Stephanum martyrio coronatum tradunt, quo paſſus eſt Dominus Jeſus Chriſtus; alii contra ejus martyrium uſque ad annum ſeptimum poſt ejuſdem in Diaconum electionem differunt; aut uſque ad annum Claudii Imperatoris primum, Aeræ vulgaris 41. Aſt nobis cum Pearſonio probabilius videtur, ſecundo poſt paſſionem Chriſti anno, S. Stephanum martyrio coronatum fuiſſe; hoc enim temporis intervallo ea geri commode potuiſſe arbitramur, quæ a capite primo ad ſextum Lucas breviſſime commemorat. De die vero, etſi ex S. Luca, & Luciano in actis inventionis corporis ejus non conſtet; una tamen fere omnium ſententia eſt, die 26. Decembris S. Martyrem coronatum fuiſſe, qua die ejus memoria celebrata eſt quarto, & quinto ſæculo, antequam etiam ejus corpus quinto ineunte Sæculo inveniretur, ut fidem faciunt Aſterius, & Gregorius Nyſſenus, qui ante annum 415., quo Reliquiæ S. Stephani repertæ ſunt, obierunt. Eadem quoque teſtantur Auguſtinus, Fulgentius, & Kalendarium Africanæ Eccleſiæ.

De anno, & die, quo S. Stephanus martyrium ſubiit.

Bar., Labb., Uſſer., Petav. Cyprianus annal. par. 3. Niceph. hiſt. l. 2. cap. 3. Chron. Alex. p. 546. Pearſ. in Acta Apoſt. pag 59.

Aſter. orat. 12. Greg. Niſſ. de S. Stephano pag. 354. & de Baſil. p. 479. tom. 3. Aug. Serm. 314. Fulg. Serm. de S. Stephano. Mabill. Analect. t. 3. p. 41. Bar. Not. in Martyr. die 3. Aug.

10. Cum itaque, Luca auctore, Verbum Domini creſceret, & multiplicaretur numerus diſcipulorum in Hieruſalem, „ *ita ut multa turba Sacerdotum obediret fidei*; *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo: Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant a Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere Sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. Tunc ſummiſerunt Viros, qui dicerent, ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum. Commoverunt itaque plebem, & Seniores, & Scri-*

Judæorum inſidiæ in S. Stephanum.

Act. cap. 6. 9.

JESU CHR. AN. 33. *Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium, & ſtatuerunt falſos Teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba adverſus locum Sanctum, & legem; audivimus enim eum dicentem: quoniam Jeſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes: Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in Concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.*

11. Inter Hebræos variarum gentium, qui Hieroſolymis aderant, & qui adverſus S. Stephanum inſurrexerunt, primo loco Libertini recenſentur, quod nomen non nationis eſt, (ut aliquibus placet) ſed conditionis. Libertini apud Romanos appellabantur Libertorum filii, hic vero latiori ſignificatione Libertini vocantur Judæi libertate donati, cujuſcumque nationis eſſent, & quocumque tandem tempore eam obtinuiſſent: *Libertini autem*, ait Chryſoſtomus, *qui a Romanis libertate donati erant, ſic appellabantur.* Eadem a Philone confirmantur, dum ait: *Auguſtus alioquin non paſſus fuiſſet trans Tyberim, bonam Urbis partem a Judæis teneri, quorum plerique erant Libertini, quippe qui belli jure in poteſtatem redacti ab Heris ſuis manumiſſi fuerant, permiſſi jure majorum vivere. Hos ſciebat habere ſuas Proſeuchas, in quibus cœtus facerent, præſertim Sabbatis, juxta Religionem patriam.* Ad hos ipſos digitum intendit Tacitus: *Actum & de ſacris Ægyptiis pellendis, ſtatumque Patrum conſultum, ut quatuor millia Libertini generis, ea ſuperſtitione infecta, queis idonea ætas, in inſulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis, etſi ob gravitatem Cœli interiiſſent, vile damnum.* Hos alio etiam nomine deſignavit Lucas, *Advenas Romanos* appellans.

Qui dicantur Libertini.

Seldenus de jure nat. lib. 2. 5.

Chryſ. ſt. hom. 15. in Act. Ap. Phil. legat. ad Cai.

12. Romani, igitur Cyrenenſes, Alexandrini, & qui ex Cilicia, & Aſia erant, cum diſcipulis, ac præſertim cum Stephano diſputantes, cum ejus Sapientiæ reſiſtere non poſſent; in furorem acti, S. Diaconum de violata lege, & templo, ac de blaſphemia coram Synedrio accuſarunt. Quamobrem facta ei a Principe Sacerdotum dicendi facultate, poſtquam præcipua in Hebræos divinitus collata beneficia, eorumque viciſſim in Deum perfidiam oratione commemoravit, atque ne Templo Hieroſolymitano deinceps fiderent, Deum excelſum in templis non manufactis habitare palam edixit, intelligens nullam horum a conventu rationem habere, ea liber-

Act. 2.

S. Stephani oratio coram Synedrio.

libertate ; quæ Christi discipulum decebat , ipsorum pertinaciam vehementer aggressus : *Dura* , inquit *cervice* , *& incircumcisis cordibus* , *& auribus* , *vos semper Spiritui Sancto resistitis* ; *sicut Patres vestri* , *ita & vos* . *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres Vestri ? & occiderunt eos* , *qui prænunciabant de adventu Justi* , *cujus vos nunc proditores* , *& homicidæ fuistis* . Hæc S. Stephanus in Judæos , non vindictæ , sed veritatis , ac justitiæ zelo : *In ipsos quidem irascebatur* , *sed diligebat* , *& pro ipsis* , ut habet Augustinus , *intus orabat* .

JESU CHR. AN. 33.

Aug. in psal. 70. & Serm. 315. & 317.

13. Hac Stephani oratione inflammati Sacerdotes , & Scribæ stridebant dentibus in eum ; cumque dixisset : *Ecce video Cælos apertos* , *& Filium hominis stantem a Dextris Dei* , ferarum instar irruentes in eum , extra civitatem ejectum lapidarunt , orantem , & dicentem : *Domine Jesu accipe Spiritum meum* ; *& positis genibus* , *clamavit voce magna* , *dicens* : *Domine* , *ne statuas illis hoc peccatum* , *& cum hæc dixisset* , *obdormivit in Domino* . Saulus autem , ad cujus pedes falsi testes deposuerant vestimenta sua , *erat consentiens neci ejus* . Lapidavetus est S. Stephanus extra portam , quæ erat contra Aquilonem , vocabaturque *porta Ephraim* , *& porta S. Stephani* , uti cognoscimus ex Revelatione facta Luciano Presbytero , de qua ita Marcellinus Comes : *Lucianus Presbyter Vir Sanctus* , *cui revelavit Deus* , *his Coss. Honorio X.* , *& Theodosio VI.* , *idest anno* 415. *locum Sepulcri* , *& Reliquiarum Corporis S. Stephani primi Martyris* , *scripsit ipsa Revelationem græco sermone ad omnium Ecclesiarum personas* . Nec silentio prætereundum ex lapidibus , quibus S. Stephanus percussus est , unum a fideli quodam collectum fuisse , & Anconam delatum , ibique ea de causa Ecclesiam in honorem S. Martyris extructam fuisse : Cujus translationis die 3. Augusti in tabulis Ecclesiasticis memoria recolitur .

S. Stephani martyrium .

Marcell. Chron. Luciani Epist. apud Aug. tom. 10.

Baron. Martyrol. die 3. Aug.

14. Sed & Augustinus de eo lapide , Anconam a pio viro translato , & de miraculis ibidem ob eam S. Stephani memoriam patratis , testis est locupletissimus , dum ad populum sermonem habens , hæc inter plurima narrat : *Ut de ceteris celeberrimis Sanctorum locis taceam* , *etiam ad Anconam Italiæ Civitatem* , *ubi per gloriosissimum martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur* , *eadem circuitione perveni* . *Sed adeo alibi curari non potui* , *quia huic loco divina prædestinatione*

De miraculis S. Stephani .

Augustl. Tom. 5. p. 2. Serm. 322. & 323.

JESU CHR. AN. 33.

servabar. Sequenti vero Sermone hæc habet. *Ut audiat charitas vestra: multum miror, & gaudeo vobis esse concessum, quoniam iste homo nec Anconæ curari potuit; nemo potuit, sed propter nos factum non est, quia facillime fieri potuit. Sciunt multi, quanta miracula per beatissimum Martyrem Stephanum in ista civitate fiant. Et audite, quod miremini. Memoria ejus antiqua ibi erat, & ipsa est ibi; sed fortasse dicis: Corpus ejus nondum apparuerat. Memoria ibi unde erat? latet quidem causa. Sed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo charitati vestræ. Quando lapidabatur S. Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maxime de iis, qui jam in Christo crediderant, circumstabant; dicitur lapis venisse in cubito, & excussus inde venisse ante quemdam Religiosum. Tulit illum, & servavit. Homo erat de navigantibus: fors navigationis attulit ad littus Anconæ, & revelatum est illi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit Revelationi & fecit quod jussum est. Ex illo cæpit esse memoria S. Stephani, ubi est, nescientibus hominibus quid contigisset. Verum autem intelligitur, propterea ibi fuisse revelatum, ut ibi poneret lapidem, qui de cubito Martyris excussus est*. Hæc Augustinus de lapide, quo percussus est Protomartyr. De Sepultura autem ejus hoc unum habet S. Lucas.

De Sepultura S. Stephani.

15. *Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum*. Pluribus tamen hæc narrantur in Luciani presbyteri relatione, cujus Augustinus meminit: *Quod certe modo*, ait, *in revelatione corporis beatissimi Stephani fere omnibus gentibus declaratur*: & alibi de corporis inventione: *Hujus corpus ex illo usque ad ista tempora latuit, nuper autem apparuit.... Revelatione Dei.....præcedentibus enim signis locus demonstratus est, & quomodo fuerat revelatum, sic & inventum est*. Eamdem Luciani Epistolam hisce characteribus designat Gennadius ejus Sæculi Scriptor: *Lucianus presbyter vir sanctus, cui revelavit Deus, temporibus Honorii, & Theodosii Aug. anno 415. locum Sepulchri, & Reliquiarum Corporis S. Stephani, scripsit ipsam Revelationem ad omnium Ecclesiarum personas*. Ex Gennadio deinde ceteri Historici eamdem exscripserunt historiam, quam cum omnibus cujuscumque ætatis Scriptoribus ut genuinam amplectimur, quidquid his demum temporibus dicant ex protestantibus aliqui. Sic autem rem exponit Lucianus. *Lapidatus est a Judæis, & Prin-*

Apud Aug. tom. 7. in append. Aug. in Joan. tract. 120. Serm. 318. 319.

Gennad de Viris illustr.

Bojnag. an. 17. Pearf. pag. 60. ut supra.

& Principibus Sacerdotum in Hierusalem pro Christi fide, extra portam, quæ est ad aquilonem, quæ ducit ad Cedar, ibi die, ac nocte jacuit projectus, ut Sepulturæ non daretur, secundum mandatum impiorum Principum, ut a feris consumeretur Corpus ejus. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum unum ex his, non fera, non avis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem a Domino, & partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram Religiosis Christianos, & in Christo Jesu fideliter credentes, habitantes Hierusalem in medio Judæorum; & hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministravi, ac persuasi illis ire occulte, ut portarent corpus eius meo in vehiculo ad villam meam, hoc est, in Caphargamalam, (quod interpretatur villa Gamalielis) viginti millia habens a civitate. Et ibi feci planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in meo monumento novo in orientali theca; & præcepi meis, ut quæcumque necessaria erant pro ejus planctu, de meo darent. Et quidem S. Hieronymus in Epistola ad Paullam Planctum magnum, quem in funere Stephani factum fuisse Lucas memoriæ prodidit, de magnifico funere interpretatur: *Quod Stephano fecerint Hierosolymæ fratres planctum magnum: & utique planctus magnus, non in plangentium exanimatione, ut tu putas, sed in pompa funeris & exequiarum frequentia intelligendus sit.* Idemque alibi adversus Vigilantium ad Riparium scribens: *Ergo*, inquit, *Martyrum immundæ sunt Reliquiæ? & quidquid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani Corpus tanta funeris ambitione præcederent, ut facerent ei planctum magnum, ut eorum luctus in nostrum gaudium verteretur?* Hæc Hieronymus Luciano congruens; qui etiam ex pluribus divinæ Scripturæ locis egregie docet planctum magnum funeris pompam significare.

Jesu Chr. an. 33.

Hier. ad Paul. Epist. 59. n. 3.

Hieron. ad Rip. Epist. 109.

16. Constat itaque ritum mortuorum corpora curandi, eaque cum honore, ac funeris pompa sepeliendi ab ipsis Ecclesiæ incunabulis esse repetendum, quem successivis temporibus religiose semper fuisse servatum, plurimis veterum testimoniis demonstratur. *Si Arabiæ quæruntur*, inquit Tertullianus in apologetico, *Sciant Sabæi pluris, & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* De funere vero Meletii Antiocheni Episcopi hæc habet

De corporum cura, Sepultura, ac funeris pompa.

JESU CHR. AN. 33.

Gregorius Nyſſenus: *Sindones mundæ, & panni ſerici, unguentorum, & aromatum largitas, & abundantia, liberalitas mulieris & ornatæ, & honeſtæ.* Prudentius quoque.

Nyſſenus tom. 3. orat. in funere Meletii. Prudent. hymn. de defunctis.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt;
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat
Et infra
Nos tuta fovebimus oſſa
Violis ac fronde frequenti
Titulumque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

De funerum chriſt. pompa.

17 Conſtat præterea pſalmos ac preces adhibitas fuiſſe, & Cereos accenſos in funeribus Chriſtianorum. *Exequiæ mortuorum*, inquit auctor Conſtitutionum, *fiant tertio die, adhibitis pſalmis, precibus, & lectionibus.* De Cereorum vero uſu inſigne exemplum exſtat in Conſtantini Magni funere, quod ita deſcribit Euſebius: *Dehinc aurea ſuper candelabra luminibus undique accenſis, admirabile ſpectaculum intuentibus præbebatur, & quale in nullo unquam mortalium; ab ipſo Orbis conditu viſum in terris fuerat.* Porro de Paullæ tumere hæc ab Hieronymo tradita habemus: *Translata eſt, Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, cum alii Pontifices lampadas, cereoſque præferrent, alii choros ducerent, in media Eccleſia Speluncæ Servatoris poſita.* His congruunt quæ de ſplendidis Macrinæ exequiis Gregorius Nyſſenus retulit: *Ex utraque autem parte præcedebat non exiguus Diaconorum, miniſtrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes accenſos cereos manibus geſtabant.*

Auctor Conſtit. Apoſt. Catel. tom. 1. lib. 8. 40.

Hieron. epiſt. 108.

Greg. Nyſſ. in funere Macrinæ.

Repetitæ memoriæ pro defunctis.

18. Ceterum cum Stephani funus ad ſeptuageſimum uſque diem prorogatum fuerit; hinc quoque in Eccleſiam conſuetudo manavit, ut non una die tantum, ſed pluribus piacula Chriſtianorum officia, ac religioſa Defunctis perſolverentur. Unguentis enim primum delibuta cadavera remanere duorum, vel trium dierum ſpatio inſepulta conſueverant. Quo tempore apud ipſa excubantes fideles, hymnorum cantu Deum laudabant, ſacram hoſtiam immolabant, in Sepulchrum denique inferebant Pſalmorum cantica etiam poſtea repetentes.

Plura

Jesu Chr. an. 33.

Plura sane horum omnium exempla possemus ex antiquitatis monumentis enumerare ; verum in re jam satis explorata unum tantum de Paullæ funere ex Hieronymo proferemus : *Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone psalmos in ordine personabant, non solum triduo, donec subter Ecclesiam, & juxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam, cunctis qui venerunt, suum fonus, & proprias credentibus lacrymas &c.* Præterea octava, vigesima, trigesima, quadragesima, & sexagesima die agi consuevisse memoriam defunctorum, antiqui libri Rituales testantur. Et de annuis erga defunctos pietatis officiis multa sunt certissima testimonia. *Pro defunctis annua die facimus* : ait Tertullianus ; idemque alibi : *Pro anima ejus*, inquit, *oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium* : Gregorius vero Nazianzenus in eamdem sententiam : *Alia quidem persolvimus, alia vero daturi sumus ; anniversarios enim honores, & commemorationes offerentes ii quidem, qui superstites relinquentur.*

Hier. ep. 108. n. 29.

Tertull. de coron. milit. Lib. de Monog.

Greg. Nazianz. orat. in fun. Cæsar.

19. Quorsum autem hæc tam religiosa funerum cura ? cur tot preces, tot anniversariæ commemorationes ? nisi ad ostendendam Ecclesiæ fidem, ex Apostolica traditione manantem, qua creditur hisce precibus, & suffragiis defunctorum animas sublevari. Quod enim, ait Augustinus : *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis instítutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Hujus autem traditionis testimonia tot, tantaque sunt, ut vix majora desiderari possint. Quid tradat Tertullianus, jam diximus ; iis tamen hæc ipsius ad uxorem adjicienda sunt : *Repete apud Deum, pro cujus spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot uxoribus, quot illa ratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis eas duas per Sacerdotem.* Hujusmodi vero oblationes pro defunctis fiebant, ut per eas defuncti anima refrigerium a Deo acciperet. Hinc & alio loco idem Tertullianus : *Pro anima ejus*, mariti videlicet, *oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis ejus*. Hæc quidem ille, non utique ex Schola Montani, tum primum aperta ; nam quo pacto agens cum Catholicis provocaret eos ad totius Ecclesiæ traditionem inveteratam,

Preces, & sacrificia pro defunctis oblata.

Aug. de baptismo cont. donat. lib. 4. 24.

Tertull. de coron. Milit. cap. 3., & ad Uxorem.

Tertull. de Monog.

JESU CHR. AN. 33.

tam, quam consuetudo jam firmasset, ac fides obsignasset, si ex his essent, quæ in Orbis angulo, nempe in Phrygia, eo tempore Montanus docuisset. Neque Montani sectarii erant sanctissimi Episcopi Africani, qui ante Cyprianum vixerunt, qui adeo probasse leguntur pro defuncti anima sacrificium offerri, ut eo pietatis officio quempiam privasse, idem illis esset, ac supplicium intulisse. Sed & Origenes, qui eodem fere vixit tempore defunctorum suffragiis adstipulatur: *Memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis fiam consummationem in fide postulantes*: & paulo post: *Celebramus, nimirum religiosos cum Sacerdotibus convocantes Fideles una cum Clero, invitantes adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus. nobis autem efficiantur in odorem suavitatis in conspectu æterni Dei.*

Cypr. ep. 1. edit. Amestel.

Orig. in Jeh. hom. 3.

Patrum de ea re consensio.

19. Epiphanius agens contra Aerium isthæc impugnantem, eadem ex majorum traditione fuisse defendit: *Prosunt autem & preces pro illis factæ, etiamsi totam culpam non abscindant, nempe mortalem. Verum enim vero, eo quod nos sæpe, dum in Mundo sumus, fallimur, & erramus, tum inviti tum voluntarie, quo id quod perfectius est, significetur; & pro justis, & peccatoribus memoriam facimus; pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorantes*: & infra: *Ecclesia nec. cessario hoc perfecit, traditione a Patribus accepta. Quis autem poterit statutum matris dissolvere, aut legem Patris? Velut Salamon dicit*: Audi, fili, sermones patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ; *ostendens per hæc, quod & in scriptis, & sine scripto docuit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; Mater autem nostra Ecclesia habet statuta in se posita, indissolubilia, quæ dissolvi non possunt.* Sed quam insigniter Joannes Chrysostomus, eadem hæc ab Apostolis esse instituta, testetur, audiamus: Populum enim Antiochenum alloquens ubi Petrus, & Paulus præcipue Ecclesiæ vertices docuerunt, nonnisi quæ ab ipsis ea accepisset Ecclesia repetens, ait: *Non temere ab Apostolis hæc fancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cum totus consliterit po-*

Epiph. hær. 75.

pu-

pulus, extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, ac tremendum proponitur Sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Sed hoc quidem de his, qui in fide migrarunt. Et alibi tradit ex Spiritus Sancti institutione factum, ut in sacro, & tremendo Sacrificio Diaconus clamet: *Pro his, qui defuncti sunt in Christo.* Cyrillus quoque Hierosolymitanus idem confirmat his verbis *Cum hoc sacrificium offerimus, nempe Missæ, postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras; deinde pro defunctis Patribus, & Episcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt; maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, & tremendi, quod in Altari positum est, sacrificii. Quod exemplo monstrare volumus; Scio enim multos dicere: Quid juvat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc Sacrificio mentio illius fiat? An enim si Rex aliquis, eos, a quibus offensus est, in exilium pepulerit; postea vero illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his, qui sunt in supplicio exulibus, eidem offerrent; nonne condonationem aliquam supplicium ipsis dederit? Ad eumdem modum & nos pro Defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores: non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis, & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Hæc Cyrillus non aliunde, quam ex perpetua traditione, cujus innumeri testes adsunt, ut apud Augustinum etiam capite ultimo Confessionum videri potest. Hunc pium pro mortuis orandi morem apud Judæos quoque in usu fuisse constat ex eo, quod fortissimus Judas, ut Libro Machabæorum legitur: *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene, & religiose de resurrectione cogitans ..... Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Quam piam pro animabus defunctorum precandi consuetudinem, tum ex perpetua Ecclesiarum omnium traditione, tum ex Judæorum etiam, & synagogæ consensu vindicavit, asseruitque Henricus a Porta O P, & in Ticinensi Gymnasio linguarum Orientalium professor in opere de linguarum Orientalium præstantia, Mediolani edito 1758. ubi Hackspanium, Bingamum, & Beausobrium strenue aggressus est.

JESU CHR. AN. 33.

Chrys. ad Phil. hom. 3. Idem in Act. hom. 21.

Cyril. Catech. mystag. quinta.

Machab. 2. cap. 12.

21. Cum

JESU CHR. AN. 33. De Purgatorio Ecclesiæ traditio.

21. Cum itaque tam ex Synagogæ exemplo, quam Ecclesiæ traditione, tum apud Latinos, tum apud Græcos, unanimi consensione constet, animas solutas corpore, peccatis aliquibus adhuc obnoxias, pœnis sic subjici, ut orationibus Fidelium adjuventur, usquedum ab omni labe purgatæ, æternæ tandem Beatitudinis participes fiant; hinc necessario sequitur, locum esse quemdam, in quo purgentur, quem locum Purgatorium nostri dicunt; & licet de loco, vel modo, quo purgentur, diversæ sint opiniones, de re tamen una omnium sententia est, ut apud Theologos videre est. Nos pauca ex traditione tantum exscribimus. Tertullianus eam Matthæi sententiam exponens, *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem, Judex*, ait, *te tradet Angelo exequutionis, & ille te in carcerem mandet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora Resurrectionis expenso*: & infra *In summa, cum carcerem illum, quod Evangelium demonstrat, inferos intelligimus: & novissimum quadrantem, modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretamur, nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos, salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque.* Hæc ille; neque præjudicium Catholicæ affert veritati, si etiam, quod ait, id Montanus senserit: Non enim veritati obest, si quis hæreticus eamdem interdum profiteatur. Id ipsum Cyprianus docet scribens ad Antonianum, *Aliud est, missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem: aliud statim fidei, & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse.* Est etiam ejusdem veritatis testis Origenes, qui eodem Sæculo cum Tertulliano, & Cypriano vixit, dum ait: *Cum illuc venitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit; illud parum tanquam plumbum igni resolvitur, ac purgatur, & totum remanet aurum purum: & si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur; ut etsi parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quod si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc, quod scriptum est: Demergetur in profundum, tanquam plumbum in aqua validissima.* Hæc Origenes. Id ipsum Gregorius Nyssenus in magna illa oratione catechetica, quam sæpius citat Theodoretus: *Quoniam*, inquit, *opus est, ut illius quoque, quæ ex peccato ingenerata*

Hericus a Porta differt. de præsbyteris Orig. Orientalium exercit. de purgatorio. Bellarm de Purgat. Tertull. de Anima cap. 55. & alii.

Cypr. epist. 55.

Orig. in Exod. homil. 6.

ratæ insederunt maculæ per medicinam aliquam auferantur; propterea in præsenti quidem vita adhibitum est medicamentum virtutis ad hæc curanda vulnera; quod si curari non possint, in futura vita reservatur curatio. Sed quo modo in corpore sunt affectionum quædam differentiæ, quarum aliæ quidem facilius, aliæ vero difficilius admittunt curationem; in quibus & sectiones & cauteria, & acerba medicamenta adhibentur ad tollendam affectionem, quæ insedit corpori; tale quid etiam in posterum denunciat futurum judicium, ad curandos morbos animæ, quod pigris quidem, & lentis minatur. Hieronymus quoque in hæc verba idem testatur: *sicut diabolus, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta; sic peccatorum, atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam Judicis;* ut scilicet non puniantur in æternum, nam de his instituta est disputatio. Et in Oseam: *Infernus*, inquit, *est locus, in quo animæ recluduntur, sive in refrigerio, sive in pœnis pro qualitate meritorum.* Et alibi: *Peccatores, qui confitentur rectam fidem, sed propter vitiorum sordes purgantibus se indigent flammis; idcirco nunc Dominus ad ignem judicium vocare se monstrat, ut uniuscujusque opus, quale sit, probet.* Appellat alibi purgatoriam pœnam baptismum ignis, quo inquit *baptizabimur in futuro sæculo.* Ambrosius etiam de eodem baptismate, & purgatorio scilicet igne, hæc ait: *Est etiam baptismum in Paradisi vestibulo, quod ante non erat; sed posquam peccator exclusus est, cœpit esse Romphea ignea, quam posuit Deus, quæ ante non erat, quando peccatum non erat: culpa cœpit, & baptismum cœpit, quo purificentur, qui in Paradisum redire cupiebant, ut regressi dicerent: Transivimus per ignem, & aquam; hic per aquam, illic per ignem; per aquam, ut abluantur peccata, per ignem, ut exurantur.* Idem alibi: *Cave, ne ligna, cave, ne stipulam ad judicium Dei tecum deferas, quæ ignis exurat: cave, ne cum in uno aut duobus habeas, quod probetur, in pluribus operibus deferas, quod offendit. Si cujus opus arserit, detrimentum patitur; potest tamen & ipse per ignem salvari. Unde colligitur, quia idem homo & salvatur ex parte, & condemnatur ex parte.* Ubi autem agit de ultimo exsolvendo quadrante, illum de eisdem pœnis interpretatur. Augustinus vero

JESU CHR. AN. 33.

Hieron. in Isa. cap. ult. in fine.

Idem in Oseam cap. 14.

Idem in Amos cap. 4.

Hieron. in Matt. cap. 7. Ambros. in Psal. 118. Serm. 3. tom. 2. p. 365.

Ambros. in Luc. c. 12. Aug. in Ench. c. 67. 68. 69.

JESU CHR. AN. 33.

de his uberius loquitur in Enchiridio ad Laurentium, & libro de Civitate Dei, ubi falsas de his aliorum sententias refutat; atque in aliis pleriscue locis est ejusdem veritatis fidelis assertor, cujus singulas de his sententias hic recitare prætermittimus, ne nimia prolixitate legentibus molestiam afferamus. Unum tantum addimus christianum Poetam, qui cum se indignum prorsus existimaret, cui statim a morte cælesti beatitudine frui contingeret, Dominum rogat ne æternis suppliciis addiceret; deprecaturque ut temporali igne purgari posset. Is est Prudentius qui in Hamartig. vers. 951. hæc habet.

Idem de Civit. Dei lib. 21. c. 13. & seq.
Idem de Genes. contra Manich. lib. 2. c. 20. lib. de 8. quæst. q. 1. hom. 16., & aliis in locis.

Multa in thesauris Patris est habitatio, Christe,
Disparibus discreta locis: non posco beata
In regione domum: sint illic casta virorum
Agmina . . . . . .
At mihi tartarei satis est si nulla miristri
Occurrat facies, avida nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.
Esto cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis Averno,
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æstuque calor languente tepescat.
Lux immensa alios, & tempora vincta coronis
Glorificent; me pœna levis clementer adurat.

Ceterum tantum abest, ut penes quempiam antiquorum Orthodoxorum fuerit de ea re aliqua dubitatio, ut potius laborandum fuerit Patribus adversus nonnullos, qui crederent omnia peccata quantumvis capitalia, excepto tamen infidelitatis errore, eodem igne purgari posse; quos non tantum Augustinus citato loco, sed & Cæsarius Arelatensis Episcopus refellit his verbis: *Multi lectionem istam male intelligentes, falsa securitate decipiuntur, dum credunt, quod supra fundamentum Christi crimina capitalia ædificata, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad vitam æternam pervenire. Intellectus iste, fratres carissimi corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui sibi blandiuntur; Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus:* Ipse tamen salvus erit, si tamen quasi per ignem; *non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Sed dicet aliquis. Non ad me pertinet quandiu moras ha-*

Cæsarii homil. tom 8. Bibliot. PP.

JESU CHR. AN. 33.

habeam, tantum ut vitam æternam perexeam. Nemo hoc dicat, fratres carissimi, quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quam quod potest pœnarum in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri. Hæc Cæsarius. Plura his, ac fere innumera addenda essent aliorum, qui postea claruerunt, testimonia Ecclesiasticorum Scriptorum; sed non patitur instituti ratio in his diutius immorari. Hoc tamen pro certo habeatur, omnium, qui post dicta tempora usque in præsens vixere Orthodoxorum Scriptorum, nullum reperiri, qui Apostolicæ traditioni, majorumque assertioni, ac denique a tot sæculis præscriptæ Ecclesiasticæ consuetudini ausus sit contradicere; quin potius eamdem Catholicam veritatem non tantum ex Patribus ratam, atque firmatam, sed miraculis sæpius comprobatam, ad unum omnes pie & sancte fuisse veneratos. Quare nihil prorsus movere nos debet diversa Novatorum sententia.

Cur Apostoli sæviente persecutione Hierosolyma non excesserint.

22. Die illa, qua lapidatus est Stephanus, facta est, ait Lucas, *persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apostolos.* Quod vero sæviente persecutione, ac fidelibus Hierosolyma excedentibus, remanserint ibidem Apostoli, non alia ratione factum credimus, nisi Dei voluntate, ac potentia; nam, ut tradit Apollonius secundi sæculi Scriptor in libro adversus Cataphrygas, ipse Dominus Apostolis jusserat, ne Hierosolyma discederent, nisi elapsis duodecim annis. Qui ergo ipsis præceperat, ut inter infensissimos hostes tamdiu versarentur; dedit etiam illis implere, quod jusserat. Eadem traditio continebatur in libro prædicationis Petri, apocripho quidem, sed antiquo; ex quo Clemens Alexandrinus refert Dominum Apostolis dixisse: *Si quis ex Israele pœnitentia ductus per nomen meum in Deum velit credere, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in Mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Non tamen adeo Hierosolymis alligati erant, ut ad tempus excedere non possent; quinimmo constat ante id tempus Apostolos plures peragrasse provincias, ex quibus tamen sæpe cito Hierosolymam reciperent.

Act. 8.

Euseb. lib. 5. c. 18.

Clem. Alexan. Strom. 6.

Jacobus ordinatur Episcopus Hierosolym.

23. Exorta itaque, post Stephani mortem, magna persecutione, cum deteriora adhuc ex Judæorum furore pertimescerent Apostoli, ne Hierosolymitana Ecclesia Pastore viduata quidquam detrimenti caperet, Jacobum *Alphæi*, qui *justus* dicebatur, idemque frater Domini, ejus Ecclesiæ Episcopum consti-

JESU CHR. AN. 33. *Euseb. lib. 2. c. 1.*

tuerunt ; quem anno proximo a Domini passione ordinatum, tradit Eusebius in Chronico : *Ecclesiæ Hierosolymitanæ primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Jacobus Frater Domini*. In Historia vero hæc fusius memoriæ prodidit : *Tunc etiam Jacobum, qui frater Domini dicebatur ..., qui, ob eximium virtutem, justus ab antiquis cognominatus est, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum primum accepisse perhibent. Clemens certe in sexto Institutionum Libro ita tradit : Ait enim post Servatoris ascensum, Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis Dominus ipsos cæteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum, cognomine Justum, Hierosolymorum Episcopum elegisse. Idem in septimo ejusdem operis libro hæc de illo etiam dicit : Jacobo justo, & Joanni, & Petro Dominus post Resurrectionem scientiæ donum impertiit. Quod illi cæteris Apostolis, hi vero septuaginta Discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt. Cæterum duo fuere Jacobi, alter cognomento Justus, qui ex Templi fastigio præcipitatus, & a Fullone fuste percussus interiit ; alter, qui capite truncatus est. Porro Jacobi illius Justi meminit etiam Paulus, ita scribens : Alium autem ex Apostolis vidi neminem, præter Jacobum Fratrem Domini*. Hunc Jacobum Apostolum, Hierosolymitanæ Ecclesiæ præpositum *Recognit. lib. 1.* fuisse ab ipso Christo, tradit Recognitionum Auctor : *Et Ecclesia Domini in Hierusalem constituta crescebat per Jacobum, qui a Domino ordinatus est in Episcopum*. Similia docet Epi- *Epiph. hæres. 78. 7.* phanius : *Idem ille primus Episcopus cathedram cæpit, cum ei ante cæteros omnes suum in Terris thronum Dominus tradidisset*. Et Auctor Constitutionum : *Episcopus Hierosolymitanus ab ipso Christo, & Apostolis ordinatus*. Alii tamen a Petro, Joanne, & altero Jacobo ordinatum fuisse tradunt, uti ex Clemente *Hier. de Script. Eccl. cap. 2.* Eusebius narrat ; cui & Hieronymus adsentitur : De Jacobo enim loquens, ait : *qui post passionem Domini ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatur*. Denique a solo Petro Apostolorum Principe, antequam Romam proficisceretur, id constitutum esse scribit Auctor Chronici Alexandrini. Verum quocum- *Chron. Alexan. p. 580.* que modo id evenerit, Apostolorum certe suffragio, qui egregias ejus animi dotes perspectas habebant, Hierosolymitanam Ecclesiam, ad quam undique Judæi confluebant, Jacobus obtinuit. At enim cum apostolus a Christo jam fuisset renuntiatus, nova dignitas Jacobo ex Hier. Episcopatu non accessit, sed tantum certæ, destinataque Ecclesiæ curam suscepit, quod apo-

apostolico ministerio nihil omnino obesset. Hinc Orbis doctor a Chrysostomo appellatur; & quemadmodum Baronius observat, sicuti cum Petrum Antiochiæ sedisse dicimus, neminem adeo rudem putamus, ut eum nunquam velit per illud temporis spatium ab ea recessisse; sic quoque Jacobus Hierosolymitanam ita rexit Ecclesiam, ut, urgente necessitate, alibi etiam Apostolico munere fungeretur. JESU CHR. AN. 33. *Chrysost. hom. 88. in Joann.*

24. Disputant eruditi, utrum Jacobus primus Hierosolymorum Episcopus idem sit, ac Jacobus Alphæi, qui & Frater Domini appellatur, atque inter Apostolos recensetur. Græcorum plerique Jacobum Alphæi, & Hierosolymorum Episcopum ab Apostolo distinguunt; atque hanc opinionem ex operibus Clementi falso tributis, ubi sæpe de industria Jacobus Alphæi ab Apostolis distinguitur, derivasse plane cognoscimus. Latini tamen existimant, Jacobum Hierosolymorum Episcopum illum ipsum fuisse, qui Frater Domini in Evangelio dicitur, & inter Apostolos recensetur. Duo tantum Jacobi ab Eusebio memorantur, scilicet Joannis Frater, & Alphæi filius, utrique Apostoli. Præterea S. Paulus testatur, se fratrem Domini vidisse, qui certe inter Apostolos recensetur, nec est dubitandum eumdem cum Episcopo Hierosolymitano fuisse, affirmante potissimum Josepho, Jacobum Jesu Christi Fratrem ab Anano Pontifice interfectum. Constat itaque manifeste, Fratrem Domini eumdem fuisse, ac Alphæi filium, qui Justus etiam appellabatur, & Hierosolymitanæ Ecclesiæ curam susceperat. Quis fuerit Jacobus Hierosol. Episcopus. *Chrysost. in Mat. hom. 5. & in Act. Ap. hom. 33. Theodoret. in psalm. 67. Const. Ap. lib. 2. 55.*

Aug. cont. Cresc. l. 2. Bolland. die 1. Maii. Basil. et ibid. Cotel. in notis ad Const., & in l. recogn. Fearsg. pag. 58. Ad Galat. 1, 19. Joseph. antiqu. l. 20. 3.

25. Cur vero frater Domini Jacobus diceretur, nunc supereſt inquirendum. Atque ut Helvidium prætereamus, cujus blasphemia fuit, eos, qui fratres Domini appellantur in Evangelio, a Beatissima Virgine, & Filii Dei Genitrice in lucem editos fuisse; non defuere qui opinarentur, Fratres Domini ex Josepho quidem genitos, sed ex altera ejus uxore, quam *Escam* vocant. Verum nihil hac opinione absurdius excogitari vel dici posse & pluribus ostendunt Hieronymus, & Augustinus; & facile cuique Historiam Evangelicam paullo attentius perpendenti apparebit. Quis enim unquam in animum inducat ex Josepho genitos, qui Fratres Domini dicebantur, ubi animadverterit a Matthæo, & Marco memoriæ proditum eorum matrem passionis Christi tempore adhuc vitam vixisse? Oporteret sane Josephum vel bigamum fuisse; vel priore uxore dimis- Cur Jacobus Frater Domini dicatur.

Hieron. in Helvid. August. in Joan. homil. 10. Euseb. lib. 2. 1. Epiph. in Matt. 12, & Epist. 23. Hilar. in Matth. 1. Orig. in Matth. Matth 25. Marc. 15.

JESU CHR. AN. 33.

dimissa, alteram superinduxisse, Mariam scilicet Christi matrem: Quod quam absonum, facile quisque intelligit. Quamobrem cum Tillemontio, aliisque credendum omnino arbitramur ob generis cum Deipara Virgine & Joseph conjunctionem, filios Mariæ Jacobi, seu Mariæ Cleophæ fratres Domini in Evangelio appellatos fuisse.

Tillem. 2. in Jacob. 1. 2. 3. 4.

Tiberii crudelitas.

26. Multa hoc anno a Tiberio crudelissime gesta sunt. Sextum enim Marium intima sibi hactenus familiaritate conjunctum, quod filiam forma præstantem alio ablegaverat, incesti falso accusatum, Tarpejo una cum filia dejici jussit, & facultates universas publicari. Asinium quoque Gallum, & Drusum Germanici filium, & Agrippinam matrem, carcere inclusos fustulit. *Drusus se miserandis alimentis*, auctore Tacito, *mandendo e cubili tomento nonum ad diem vitam detinuit*. Gallum vero, & Agrippinam cibi egestate peremptos haud dubium; sponte, vel necessitate, incertum habebatur. Denique omnes, iique sane plurimi, qui accusati societatis cum Sejano vinculis detinebantur, vario suppliciorum genere interfecti sunt.

Dion. lib. 58. Tacit. an. l. 6. 5.

Mors Galli, Drusi, & Agrippinæ.

Suet. Dio, ut supra.

De Drusillæ, & Juliæ nuptiis, et Caligulæ. *Tacit lib. 6. c. 4. Murat. Bajnag. hoc anno.*

27. Neptes duas Drusillam, & Juliam Germanici filias, L. Cassio, & M. Vicinio Tiberius collocavit. Cajus vero Caligula Galli frater, ex Agrippina & eodem Germanico natus, Claudiam Silani filiam uxorem duxit. Hic immanem animum subdola modestia, ac simulatione obtegebat; atque adeo, imperii spe, Tiberio avo in omnibus obsequebatur, ut ob illatam matri, ac fratri necem, ne gemitum, aut vocem emiserit: Quinimmo ei Capreas redeunti obviam factus, se comitem junxit. Unde Passieni Oratoris de Cajo dictum percrebuit: *neque meliorem unquam servum, neque deteriorem unquam Dominum*.

Tacit. lib. 6. 5.

JESU CHRISTI AN. 34. PETRI APOST. AN. 3.
TIBERII IMPERATORIS AN. 21.
Coss. PAULO FABIO PERSICO, ET LUCIO VITELLIO
AN. URB. 787. OLYMP. 203. AN. 2.

Judæorum in Christianos persecutio.

1. Stephani sanguine irritati adeo in reliquos fideles sævierunt Judæi, ut eorum plurimos extremo supplicio affecerint. Et sane coram Festo Romanorum Præside testatus est Paulus, se potestate a Principibus Sacerdotum accepta multos sanctorum carceribus inclusisse; & ut occiderentur sententiam tulisse. Ad hoc tempus referendum nonnullis visum est, quod de Nicodemo legis doctore, & Christi discipulo, refert Lucianus ex Ga-

Act. cap. 26. 10.

Gamalielis relatione: *Cognoscentes Judæi illum esse Christianum, amoverunt eum e principatu suo, & anathematizaverunt eum, & de civitate expulerunt. Tum ego Gamaliel, quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, & alui, & vestivi usque ad finem vitæ ejus, & defunctum honorifice sepelivi juxta Stephanum.* Hæc ille: *Saulus autem*, sequitur Lucas, *devastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, & tradebat in custodiam. Qua persecutione dispersi sunt fideles per regiones Judææ, & Samariæ*, ut paullo infra narrat idem Lucas; qui & addit illos, *qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta est sub Stephano, perambulavisse usque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.* Judæis hac persecutione dispersis scripsisse epistolas suas Petrum, & Jacobum, tradit Baronius. Harum enim in titulo hæc leguntur: *Petrus Apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti &c. & Jacobus Dei & Domini Nostri Jesu Christi servus duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.* Nil tamen obstat, quominus dicamus, Petrum, & Jacobum Judæis scripsisse, qui jam ante sub Salmanasaro Syriæ Rege, sub Nabuccodonosore Rege Babylonis, sub Antiocho, ac Romanis Imperatoribus, & Ducibus, in captivitatem ducti, ita per totum orbem dispersi fuerant, ut vix pars aliqua Mundi esset, quæ Judæos non aleret, testibus Philone in Flaccum, & Josepho: *Duæ tantum tribus*, ait Josephus, *per Asiam, & Europam sub Romano degunt Imperio; Decem autem tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, infinita hominum millia.* Maris quoque insulas Judæi replevérant; Namque Cretensem sibi uxorem conjunxisse Josephus narrat. Quidquid tamen de hoc sit, patet interim cur Judæi, advenæ, & dispersi passim dicerentur.

JESU CHR. AN. 34. *Apud Aug. to. 7.*

Act. 8. 3. 11. 19.

Philo ad div. Flaccum Joseph. antiq. l. 11. 5.

2. Magno autem numero fuisse fideles, qui huc illucque ob persecutionem abierunt, vel exinde certissime constat, quod duobus tantum Petri concionibus ad octo millia hominum evangelio crediderunt; oportet enim & aliis Petri, ceterorumque Apostolorum sermonibus, & prodigiis, credentium numerum valde excrevisse; qui omnes, præter Apostolos, in varias regiones abire coacti sunt. Ex hac porro fidelium per orbem dispersione contigit, ut toto orbe Christi Evangelium prædicaretur, ita ut Judæorum in fideles furor, Deo sic disponente, in evangelicæ doctrinæ propagationem mirabiliter cederet: Quocumque enim accederent fide-

De Fidelium dispersione.

Chrysost. hom. 18. in act.

JESU CHR. AN. 34.

fideles una secum Evangelium, non in tabulis, neque membranis conscriptum, sed in corde ferebant. Vere quidem Augustinus fideles ea persecutione dispersos lignis comparat, quibus accendendus erat Mundus: *Occidatur Stephanus, perturbetur Ecclesia Hierosolymitana, discedant inde ligna ardentia, accedant, & incendant. Ligna enim quodammodo in Ecclesia Hierosolymitana ardebant Spiritu Sancto, quando erat illis in Deum anima una, & cor unum, lapidato Stephano passu est illa congeries persecutionum, sparsa sunt ligna, & accensus est Mundus.* Tertullianus vero jam diu *Martyrum sanguinem, a tyrannis effusum, Christianorum semen fuisse dixerat.* Quamobrem nihil sane utilius Ecclesiæ contingere potuit, quam talia perpeti.

Aug. Serm. de div. 116. tom. 5.

An Maria Magdalena cum Lazaro, aliisque Marsiliam appulerit.

3. Plurium Ecclesiarum originem hinc esse deducendam plane adsentimur; sed non omnium certe, quæ ad antiquitatis gloriam sibi comparandam, sua inde initia repetunt: constat namque privatas hasce quarumdam civitatum traditiones aut dubias esse omnino, aut ne quid dicam gravius, minus veras. Unam Massilienſium de primordiis Christianismi apud ipsos opinionem exempli caussa proferemus, ne plures enumerando fatigemus lectores. Putant itaque Lazarum, Mariam, & Martham ejus sorores, atque Maximinum, & Josephum ab Arimathea, Hierosolyma pulsos, divina ope in Provinciam perveniisse, & Massilienſis, proximarumque Ecclesiarum fundamenta jecisse; atque ubi ex vita migrarunt, nactos fuisse pios sanctosque homines, qui eorum corpora magnificis sepulcris condi curarent. Massilienſibus præsidio sunt Baronius, Natalis Alexander, Guesnayus, Boucheus, Saussayus, aliique prope innumerabiles. Verum si traditionis hujusmodi veteres probatosque testes expostules, nullum proferunt præter auctorem, qui jussu Desiderii Episcopi (an sexto labente, vel duodecimo demum seculo, incertum) gesta Sanctorum Ecclesiæ Tulonensis memoriæ prodidit. Contra tamen septimo adhuc seculo in Galliis pervulgatum fuisse Mariam Magdalenam Ephesi defunctam conditamque testatur aperte Gregorius Turonensis. *In Epheso autem habetur locus, in quo Apostolus Evangelium, quod ex ejus nomine in Ecclesia legitur, scripsit, in ea urbe Magdalena quiescit.* Gregorio autem congruit S. Modestus Hierosolymorum Episcopus apud Photium: *Post dormitionem Sanctissimæ nostræ Deiparæ, Magdalena profecta est Ephesum ad divinum discipulum .... nolens, ad extremum usque spiritum, a Joanne Evangelista, & virgine separari.*

Phot. Cod. 257.

4. In-

JESU CHR. AN. 34.

4. Interea Philippus Diaconus Hieroſolyma in Samariam diverſus, eo Evangelium intulit, variiſque ſignis confirmavit : *multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici, & claudi ſanati ſunt. Ex quo factum eſt gaudium magnum in illa civitate.* Plurimum apud magnam partem civitatis auctoritate & gratia valebat Simon, qui gentem adeo præſtigiis dementaverat, ut ei *omnes auſcultarent, dicentes, eſſe virtutem Dei magnam*; verum tot tantiſque ſignis valde commotus credidit & ipſe, ac Baptiſmum a Philippo ſuſcepit. Cumque Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, audiſſent Samariam verbum Dei recepiſſe, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem : *Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Apoſtoli igitur, quibus Eccleſiarum cura a Chriſto Domino concredita erat, duos elegerunt, Petrum Apoſtolorum Principem, & Joannem, quos ad Samaritanos miſerunt, ut manuum impoſitione Spiritum Sanctum Samaritanis conferrent, confirmationis ſcilicet Sacramentum; quo potiſsimum exemplo docemur, hanc manuum impoſitionem Epiſcopis, utpotè Apoſtolorum Succeſſoribus, præcipue conceſſam fuiſſe, quos ideo Tridentini Patres hujuſce ſacramenti miniſtros ordinarios eſſe declaraverunt : Ordinarios inquam, ne videlicet presbyteros ab hujuſce ſacramenti collatione omnino excludere viderentur, quibus tum ex Orientalis Eccleſiæ uſu, tum ex Romani Pontificis diſpenſatione, hujuſce ſacramenti adminiſtrandi, ſeu conferendi jus eſſe ſcimus, uti a celeberrimis Theologis adnotatum, & plurimis exemplis confirmatum, præſertim vero Gregorii Magni auctoritate, qui ad Januarium Calaritanum in Sardinia Epiſcopum hæc habet : *Si de hac re aliqui contriſtantur* (quod ſcilicet, epiſtola altera prohibuiſſet presbyteris, ne ſacro chriſmate infantes inungerent) *ubi Epiſcopi deſunt*, ſubdit, *ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos tangere debeant, concedimus &c.*

Samaritani ſuſcipiunt Evangelium, intercedente Simone.

Act. 8. 7.

Act. ubi ſupra.

Hoſtienſis, Nat. Alexander Iuvenin. Turnelly, Greg. epiſt. 26. lib. 4.

5. Quare immerito quidem Novatores, ideſt Calviniani, Lutherani, & Presbyteriani, aliique reformatæ Eccleſiæ Sectarii hanc manuum impoſitionem Epiſcoporum propriam eſſe pernegant, eamque a Sacramentorum numero excludunt, contendentes Spiritum Sanctum ab Apoſtolis tunc datum,

Epiſcopi ordinarii miniſtri ſacramenti confirmationis.

JESU CHR. AN. 34.

non ad augmentum gratiæ, ſed tantum ad ſigna, quibus Eccleſia tunc fulgebat, patranda. Audiant vel ſaltem Reformatæ Eccleſiæ Antiſtitem ſic loquentem: *Hinc certe præfectus eſt ritus confirmationis in Eccleſia retentus, & invitis presbyterianis ſoli Epiſcoporum functioni reſervatus, qui ſemper & ubique Epiſcopis tantum antiquo jure competebat.* Hæc Pearſonius Ceſtrienſis in Anglia Antiſtes; eadem Beveregius *in præf. ad Canones Apoſtolicos*, & Bingamius *tom. 4. Orig. Eccleſ.*, Quibus autem teſtibus hæc traditio nitatur, paucis videamus. S. Cyprianus de Apoſtolica manuum impoſitione ſuper Samaritanos, hæc habet: *Et idcirco quia legitimum, & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; ſed tantummodo quod deerat, id a Petro, & Joanne factum eſt, ut, oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Et iterum. *Non per manus impoſitionem quis naſcitur, quando accipit Spiritum Sanctum, ſed in baptiſmo, ut Spiritum natus accipiat.* Urſinus, five quis alius Scriptor Africanus poſt Cypriani tempora, libro de Baptiſmo hæreticorum: *Nam cum per manus impoſitionem Epiſcopi datur unicuique credenti Spiritus Sanctus, ſicut Apoſtoli Samaritanis poſt Philippi baptiſma manum eis imponendo fecerunt, & hac ratione Spiritum Sanctum in eos contulerunt. Quod, ut fieri poſſet, ipſi pro eis oraverunt.* S. Auguſtinus: *Orabant*, inquit, *quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* S. vero Hieronymus pluribus in locis, ſed præſertim contra Luciferianos: *an neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus: Exigis, ubi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum. Etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius Orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt.* Et paulo poſt ex parte Orthodoxi: *Non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus Urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus*

Baſnag. an. 57. n. 30.

Pearſ. pag 69.

Cypr. Ep. ad Jubaj. 73.

Idem Epiſt. 74.

Auguſt. de Trinit. lib. 15. 26.

ad

ad invocationem Spiritus Sancti manum impositurus excurrat.

JESU CHR. AN. 34.

6. Manuum porro impositione, & chrismatis præterea unctione, hoc Sacramentum administratum fuisse ex Tertulliano cognoscimus: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione obumbratur, ut anima spiritu illuminetur*: Tertulliano congruit Cyprianus: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto chrismate, hoc est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur oleum, in Altari sanctificatur.* De illo chrismate, quod in Ecclesia servabatur, hæc Optatus, nefaria Donatistarum scelera recensens: *Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt; & cum casum adjuvaret abjectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam spirituali subvectione deduceret: projecta casum sentire non potuit; Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.* Ejusdem meminit Prudentius in hymno nocturno.

De unctione Chrismatis. *Tertull. de carnis resurrect.* *Cypr. epist. 70.*

Cultor Dei memento
Te Fontis, & lavacri
Rorem subisse sanctum;
Te chrismate innovatum.

Et in Apotheosi ex persona Sacerdotis Idolorum ad Julianum Imperatorem:

Lotus procul absit, & unctus &c. *Prud. in Sym. lib. 1.*

Denique contra Symmachum de populo Romano loquens:

Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad Aedes,
Unde sacrum referat regali chrismate signum.

Præterea Cyrillus Hierosolymorum Episcopus de eodem sacro chrismate orationem habuit, in qua hæc inter reliqua occurrunt: *Et vobis quoque similiter, postquam ex sacrorum laticum piscina ascendistis, datum est Chrisma, illius antitypum, quo unctus est Christus*: & post alia multa: *Sanctum istud unguentum non amplius nudum, neque si quis appellare malit commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium, & Spiritus Sancti præsentia divinitatis ejus efficiens factum. Quod quidem symbolice fronte, aliisque sensibus tuis illinitur; ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto, & vivifico Spiritu anima sanctificatur.* Multo plura adferre possemus ex decretis Romanorum Pontificum, ac Sacris Conciliorum Canonibus; nisi hæc

Cyrill. catech. mistag. 3 p. 316.

JESU CHR. AN. 34.

satis esse putaremus ad antiquas sacrarum rerum traditiones ex instituto insinuandas.

Confirmatio per manuum impositionem, & Chrismatis unctionem inter Sacramenta numeratur.

7. Hæc autem manuum impositio, & chrismatis unctio, Sacramentum ab antiquis non secus, ac baptismus, vel Eucharistia appellata est: Quare in Concilio Carthaginensi, S. Cypriani tempore celebrato, hæc leguntur dicta a Nemesiano Episcopo: *Male ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant, & sic recipiantur: cum manifestum sit utroque sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica.* Sic & Cyprianus ad Stephanum Papam scribens, Sacramentum appellat a Baptismo distinctum; S. Augustinus etiam contra litteras Petiliani, ac iterum de Baptismo contra Donatistas, Sacramentum aperte dicit: *Unctio spiritualis, ipse Spiritus Sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili: Continuo tulit illum ad Presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus; completis omnibus Sacramentis assumptus est.* Cum vero, qui baptizati essent, eamdem manus impositionem accipientes, signo Crucis etiam signarentur, constat idem Sacramentum, & signaculum a veteribus fuisse appellatum, quod Paulus Apostolus innuisse videtur, dum ad Ephesios scribens, ait: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die Redemptionis.* Eadem quoque ratione Cyprianus (ut nuper vidimus) Signaculum Dominicum ipsum dicit. Sed & Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum illud eodem sensu sigillum nominat, dum de Novatiano Schismatico agens, inquit: *In lecto, in quo decumbebat, aqua circumfusa, baptismum accepit, si modo talem hominem baptismum accepisse dicendum sit: verum morbo tandem elapsus, neque cetera, quibus post baptismum secundum Ecclesiæ canonem imbui oportuerat, acquisivit, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit: quo quidem neutiquam potitus, quomodo, quæso, Spiritum Sanctum adeptus est.*

Apud Cyprian. p. 169. edit. Antuerp. Hardouin. Concil. tom. 1. pag. 162.

Cypr. epist. 72.

August. contra litt. Petil. l. 2. c. 104.

August. de Baptis. lib. 3. c. 16.

Idem de div. serm. 324. to. 5. p. 2.

Ad Ephes. 4.

Cypr. epist. 72.

Apud Euseb. hist. lib. 6. c. 43.

De effectu Sacramenti Confirmationis.

August. in. de baptism. contra Don. lib. 3.

8. Conferri denique hoc Sacramento Spiritum Sanctum, (etsi non eadem Charismata, quæ Apostolorum temporibus) docet S. Augustinus: *Spiritus autem Sanctus, quod in sola Catholica Ecclesia per manus impositionem dari dicitur; nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* & inferius: *Neque enim temporalibus, & transi-*

sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiae primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter, & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Hæc Augustinus; quia, ut ait S. Gregorius: *hæc necessaria in Ecclesiæ exordio fuerunt. Ut enim ad fidem crederet multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda... Hinc est, quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.*

Jesu Chr. an. 34.

Greg. hom. 29. in Evang.

9. Hisce de confirmationis Sacramento prænotatis, historiam prosequamur. Cum vidisset Simon manuum impositione Spiritum Sanctum impertiri; Apostolis pecuniam obtulit, dicens: *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Cui respondit Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon, dixit: precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* Tantum tamen abfuit, ut pœnitentiam ageret, ut ab Apostolis discedens, ipsos, eorumque doctrinam oppugnare aggressus fuerit; cumque magicas calleret artes, novitate doctrinae, atque præstigiis hominum oculos adeo perstrinxit, ut plurimos a Christi fide deduxerit, Hæreticorum Princeps merito dictus.

Simon offert Petro pecuniam.

10. Quis autem, & unde fuerit Simon, qui Ecclesiæ tot vulnera inflixit, auctor Recognitionum distincte tradidit: *Simon hic patre Antonio, matre Rachel natus est; gente Samarœus, ex vico Gytthorum, arte magus, græcis tamen litteris apprime eruditus, gloriæ, & jactantiæ supra omne genus hominum cupidus, ita ut excelsam virtutem, quæ supra Creatorem Deum sit, credi se velit, & Christum putari, atque sanctum nominari, hac autem appellatione utitur, quasi qui neget, posse aliquando se dissolvi... Deinde, non multo post incidit in amo-*

Quis, et unde fuerit Simon Magus.

JESU CHR. AN. 34.

Iustin Apolog. prim.

rem mulieris illius, quam Lunam vocant. De hac autem muliere, cujus amore Simon deperiit, ita Justinus: *Et Helenam quamdam, quæ prius pudicitiam in propatulo habuerat, & in lupanari prostituerat, principem ab illo notionem, & intelligentiam factum esse narrant.* Eadem habet & Tertullianus, qui Helenam utpote Tyri ortam, Tyriam appellat. Irenæus quidem, & Augustinus Selenen vocant, seu ut auctor Recognitionum latine nomen illud exprimit, Lunam; Eusebius tamen, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Hieronymus, & ceteri plerique cum Justino, & Tertulliano Helenam nuncupant. Ejus Imaginem, Minervæ habitu vestitam, servabant adhuc seculo secundo, & tertio Simoniani, & cultu quodam prosequebantur; & Celso teste apud Origenem, Simonis Discipuli, ob insigne erga hanc Helenam studium, *Heleniani* a multis appellati fuerunt. Præter auctorem Recognitionum, quem paullo ante protulimus, Justinus quoque prodidit Simonem Samaritanum fuisse genere, ex vico quodam *Gitton*; atque hunc plurimi secuti sunt. Sed communem hanc sententiam recentiori memoria labefactare viri quidam eruditi conati sunt, qui Simonem Judæum Cyprium fuisse malunt; ideoque Samaritanum a veteribus nominatum, quod ipsum legissent diu Samariam incoluisse. Facit ut ita statuant Josephus, qui vafri cujusdam Judæi ex Insula Cypro, cui nomen Simon, meminit, qui Felici Judææ Procuratori Drusillæ nuptias conciliavit: atque hunc nostrum esse Simonem tanto putant esse verisimilius, quod a Josepho Judæum istum sibi magiæ peritiam tribuisse diserte scribitur. Istorum tamen inanes prorsus esse conjecturas, & Justino fidem habendam, adeo multa sunt, quæ facile persuadeant; ut heterodoxorum sane doctissimus Jo: Laurent. Moshemius hujusmodi opinionem, quam & ipse aliquando probaverat, reiiciendam omnino ingenue postea professus fuerit. Primo enim Justinus domo Samaritanus & ipse fuit, atque ea fine dubio retulisse, quæ Samariæ tum vulgo erant notissima, vel inde apparet, quod non generatim Samaritanum Simonem vocat, sed distincte natalem ejus vicum commemorat. Josephus præterea Simonem illum Cyprium Felici Procuratori familiaritate conjunctum fuisse significat: Quis vero animum inducet, ut credat virum tantæ dignitatis ultimæ sortis hominem inter necessarios habere voluisse? Postremo Simonem Samariæ honorifice habitum fuisse ex Luca intelligimus: quomodo vero fieri potuisset ut Ju-

Iren. contra hær. lib. 1. 20. Augustinus de Hæres. cap. 1. Euseb. hist. lib. 2. 13. Cyrillus Hier. catech. 6. Epiph. hær. 21. 2. Hieron. Ep. ad Ctesiph. Justinus loco cit. Tertullianus de anima. Iren. l. cit. Euseb. Hist. lib. 2. cap. 13. Origenes lib. 5. ad vers. Celsum. Justinus apolog. 2. V. Itrigius de Hæresiarch. Æv. Apost. Jo. Christoph. Harus I. Vol. sius in curis philolog. ad acta Apostol. Havercampius ad Josephum. Basnagius exercitat. contra Baronium, & alii. Joseph. antiqu. Judaic. lib. 20. cap. 7. Moshem. Institut. Histor. Christ. Major. Sec. 1. Parte 2. cap. 5.

Judæus, cujus ipſum nomen Samaritanis odioſiſſimum fuit, tantam ſibi in ea urbe exiſtimationem conciliaret? Vel hoc unum proclivi abunde nobis videtur eſſe ad eorum ſententiam prorſus labefactandam, qui Simonem Joſephi a Simone Lucæ non differre perperam arbitrantur. JESU CHR. AN. 34.

11. De Simonis præſtigiis hæc ex Auctore Recognitionum refert Nicetas: *Quid peccant ii, qui Simoni credunt, cum videant eum tanta facere mirabilia? An non eſt mirabile per aerem volare? igni admixtum unum corpus effici? facere ſtatuas ingredi? canes aeneos latrare? Sed & de lapidibus viſus eſt panes facere. Imo vim ſuam extollens Magus: Poſſum, inquit, facere, ut volentibus me comprehendere non appearam, & rurſus volens videri, palam ſim. Si facere velim, montes perforem, & ſaxa quaſi lutum pertranſeam. Si me de monte excelſo præcipitem, tanquam ſubvectus ad terras illæſus deferar. Vinctus memetipſum ſolvam, eos vero, qui vincula injecerint, vinctos reddam. In carcere conligatus clauſtra ſponte patefieri faciam. Statuas animatas reddam, ita ut putentur ab his, qui vident, homines eſſe. Novas Arbores ſubito oriri faciam, & repentina virgulta producam. In ignem memetipſum injiciens, non ardeam.* Atque ſolemne quidem Magis fuit oculis ejuſmodi ſpeciebus illudere. Sic Apollonius tibiarum alteram vinculis, quibus retinebatur, liberam oſtendit. Sic apud Apulejum *Zathlas* Ægyptius Propheta primarius, defuncto herbulam quampiam ter ob os corporis, & aliam pectori ejus imponit: *Jam tumore pectus extolli, jam ſalubris vena pulſari, jam ſpiritu corpus impleri, & aſſurgit cadaver, & profatur adoleſcens.* De Magorum prodigiis Auguſtinus: *Pleraque*, inquit, *ſpecie tenus, mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipiunt, quale eſt Lunam deponere, donec ſuppoſitas, ut ait Lucanus, proprior deſpumet in herbas.* Quod ſane ſapienter dictum; fatendum eſt enim, & a Dæmonibus mirabilia patrari multa: qua de re inſignis eſt Tertulliani locus: *Omnis ſpiritus ales eſt. Hoc Angeli, & dæmones. Igitur momento ubique ſunt. Totus Orbis illis locus unus eſt. Quid ubique geratur tam facile ſciunt, quam enunciant; velocitas divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur... Habent de incolatu aeris, & de vicinia ſiderum, & de commercio nubium, coeleſtes ſapere paraturas, ut & pluvias, quas jam ſentiunt, repromittant. Benefici plane & circa curas valetudinum. Lædunt enim primo;*

De Simonis præſtigiis. *Recognit. lib. 3. pag. 69.*

Recogn. lib. 2. pag. 32.

Apul. Metam. lib. 2. p. 127.

Auguſt. de Civit. lib. 10. c. 16.

Tertull. Apolog. cap. 22.

JESU CHR. AN. 34. *S. Thom. P. 1. q. 3. ar. 3.*

mo; dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, ſive contraria, poſt quæ deſinunt lædere, & curaſſe creduntur. Sed & veriſſime ſcripſit Aquinas: *Angelus tam bonus, quam malus, virtute naturæ ſuæ poteſt movere imaginationem hominis; quod quidem ſic conſiderari poteſt, dictum eſt enim ſupra, quod natura corporalis obedit Angelo ad motum localem. Illa ergo, quæ ex motu locali aliquorum corporum poſſunt cauſari, ſubſunt virtuti naturali Angelorum. Cum igitur ea vis ſit dæmonum, ut corpora quam facillime moveant, variiſque modis, ut opus eſt, apte concinnent*; non eſt mirandum, Simonem eorum utentem auxilio, id eſſe aſſequutum, ut virtus Dei magna exiſtimaretur, ſive oculis illuderet, ſive quædam efficeret, quæ a varia partium diſpoſitione, ac motu penderent, ordinariis tamen hominum facultates excederent.

De Simonis Magi erroribus. *Iren. contra hær. lib. 1. 23.*

12. Præſtigiis acceſſerunt impia dogmata; Namque Irenæo teſte docuit *impie Simon, ſemetipſum eſſe, qui inter Judæos quidem quaſi Filius apparuerit; in Samaria autem quaſi Pater deſcenderit; in reliquis vero gentibus, quaſi Spiritus Sanctus adventaverit. Eſſe autem ſe ſublimiſſimam virtutem, hoc eſt, eum, qui ſit ſuper omnia Puter, & ſuſtinere vocari ſe quodcumque eum vocant homines. Hic Selenem quandam, quam ipſe a Tyro civitate Phœnices quæſtuariam cum redemiſſet, ſecum circumducebat, dicens, hanc eſſe primam mentis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit Angelos facere, & Archangelos. Hanc enim Ennojam exilientem ex eo cognoſcentem, quæ vult Pater ejus, digredi ad inferiora, & generare Angelos, & Poteſtates, a quibus & Mundum hunc factum dixit: poſteaquam autem generavit eos, hæc detenta eſt ab ipſis propter invidiam, quoniam nollent progenies alterius cujuſdam putari eſſe. Ipſum enim ſe in totum ignoratum ab ipſis: Ennojam autem ejus detentam ab iis, quæ ab ea emiſſæ eſſent Poteſtates, & Angeli; & omnem contumeliam ab iis paſſam, ut non recurreret ſurſum ad ſuum patrem; uſque adeo, ut in corpore humano includeretur, & per ſæcula veluti de vaſe in vas tranſmigraret in altera muliebria corpora.*

De Helena Simonis uxore.

13. *Fuiſſe autem eam, & in illa Helena, propter quam Trojanum contractum eſt bellum; quapropter & Steſichorum per carmina maledicentem eam orbatum oculis, poſt deinde pœnitentem, & ſcribentem eas, quæ vocantur palinodias, & in quibus himnizavit eam, rurſum vidiſſe. Tranſmigrantem autem eam*

eam de corpore in corpus ex eo, ut semper contumeliam sustinentem, in novissimis etiam in fornice prostituisse, & hanc esse perditam ovem; quapropter & ipsum venisse, ut eam assumeret primam, & liberaret eam a vinculis, hominibus autem salutem præstaret per suam agnitionem. Cum enim male moderarentur Angeli Mundum, quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum; ad emendationem venisse rerum, & descendisse eum transfiguratum, & assimilatum Virtutibus, & Potestatibus, & Angelis; ut & in hominibus homo appareret ipse, cum non esset homo; & passum autem in Judæa putatum, cum non esset passus. Prophetas autem a Mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias: quapropter nec ulterius curarent eos, qui in eum, & Silenem ejus spem habeant, & ut liberos agere, quæ velint; secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum opera justa. Nec enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti: quemadmodum posuerunt, qui Mundum fecerunt Angeli, per hujusmodi præcepta in servitutem deducentes homines. Quapropter & solvi Mundum, & liberari eos, qui sunt ejus, ab imperio eorum, qui mundum fecerunt, repromisit. Igitur horum mystici Sacerdotes libidinosè quidem vivunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum: exorcismis, & incantationibus utuntur; amatoria quoque, & agogima, & qui dicuntur paredri, & oniropompi, & quæcumque sunt alia parerga, apud eos studio exercentur. Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis, & Silenæ in figuram Minervæ; & has adorant; habent quoque & vocabula a principe impiissimæ sententiæ Simone, dicti Simoniani, à quibus falsi nominis scientia accepit initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adesse dicere.

Discipuli Simonis.

14. Hæc impudentissimi Impostoris deliramenta fuisse a plurimis vehementer probata idem Irenæus affirmat, qui Menandrum præterea, Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, Nicolaum, Cerdonem, Marcionemque inter ejus discipulos enumerat, quamvis non omnes eadem ætate vixerint, novasque potius Hæreses in Ecclesiam induxisse forte videantur. Etsi enim, inquit S. Martyr: *Non confiteantur nomen magistri; attamen illius sententiam docent. Christi quidem nomen tanquam irritamentum præseferentes, Simonis autem impietatem varie introducentes.* Dositheanos quoque, Cleobanos, Gorthenos, Masbotheos, Hadrianistas, Entychitas, Ca-

Iren. contra hær. lib. 1. 24.

JESU CHR. AN. 34.

nistas, & alia portenta potius, quam nomina ex eadem Schola prodiisse Theodoretus existimavit. Cum itaque primus Hæreticorum fuerit Simon, sapienter quidem a Baronio animadversum putamus non sine admirabili Dei consilio factum fuisse, ut ad eum oppugnandum, condemnandumque Princeps Apostolorum eligeretur: *Sic enim reliquit exemplo doctrinam Dominus confignatam; quam Catholica recepit, atque continuo usu & observantia probavit Ecclesia; nimirum sicut Petri id fuit ministerii, ita & Petri Successorum esse, emergentes cognoscere hæreses, easdemque cum ipsorum Auctoribus condemnare.*

Philippus ad Eunuchum mittitur.

Act. 8.

15. Interea cum Apostoli Petrus, & Joannes, multis Samaritanorum Locis peragratis, Hierosolymam repetiissent, *Angelus Domini loquutus est ad Philippum dicens: Surge, & vade contra Meridianum ad viam, quæ descendit ab Hierusalem in Gazam: hæc est deserta.* Scilicet ad Urbem Gazam, quæ, quod ab Alexandro primum Magno deinde ab Alexandro Jamnæo diruta fuisset, *deserta* nominabatur; ad urbem enim cum Usserio & Pearsonio potius, quam ad viam *desertæ* nomen referendum putamus. *Surgens* Philippus, *abiit: & ecce vir Æthiops, qui erat super omnes Gazas ejus, venerat adorare in Hierusalem, & revertebatur super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.* Hierosolyma digressus Eunuchus, ut inde Ægyptum, & ab Ægypto Meroen peteret. Etenim ex ultima pene Æthiopia venerat urbe Napata, de qua Strabo: *Inde Napata progressus est Petronius, quæ Candacis Regia erat, ubi filius ejus morabatur*: & eamdem Petronii expeditionem Æthiopicam memorans Plinius: *oppida eorum expugnavit eo, quo dicemus ordine, Pselcim, Primin, Abocin . . . . diruit & Napata.* Æthiopibus Ægypto conterminis Reginas imperasse, non Reges, ab Eusebio, & Chrysostomo, aliisque cum veteribus tum recentioribus traditum. *Ex iis erant*, ait Strabo, *etiam Duces Reginæ Candacis, quæ nostro ævo AEthiopibus imperavit; virilis mulier quædam altero oculo capta.* Candacis præterea nomen Æthiopum Reginis fuisse commune & docet aperte Plinius *Regnare feminam Candacem, quod nomen multis jam annis ad Reginas transiit*: Et ex eo quoque colligitur, quod Candacem a Strabone memoratam aliam omnino fuisse oporteat ab ea, cujus Lucas in actis meminit.

Joseph. antiq. lib. 13. 21.

Act. cap. 8.

Euseb. lib 2. 1. Chrysost. hom. 19. in Act. Grotius in Act. Bar. Pearf. pag. 72. Basnag. an. 37. 64.

De Candace Regina Æthiopum.

Strabo lib. 17. Plin. lib. 6.

Utrum Eunuchus Judæus, vel Proselytus fuerit.

16. De Eunuchi religione non omnes consentiunt. Ethnicis adcensuit Eusebius, affirmans *primum ex gentibus divini*

vini verbi mysterium percepisse: Eusebium sequuti sunt Chronicon Alexandrinum Olympiade CCIII. Nicephorus, & fortasse Chrysostomus. Plerique tamen Judæorum Proselytum, vel etiam origine Judæum fuisse contendunt. In Eusebii opinionem descenderat ex recentioribus Samuel Basnagius; verum re magis accurate perpensa, sententiam postea mutavit. Si ex ejus tantum Jerosolymas adventu, & adoratione in Templo, quod aliquos fecisse novimus, de Eunuchi Judaismo nobis esset judicandum, non satis quidem exploratum arbitramur: Scimus enim & *Gentiles* Hierosolymam *ascendisse*, *ut adorarent in die festo*. Aliam itaque rationem inivit Basnagius, & argumento ex Chronologia petito rem plane confecit. Cum enim certissime constet Petro divinitus tributum, ut primus omnium Gentes ad Christi notitiam perduceret: Philippi vero ad Eunuchum legatio vix posterior Cornelii Centurionis baptismo existimari possit; ex his prorsus conficitur, ut illum Proselytis accensere necesse sit.

JESU CHR. AN. 34. *Niceph. lib. 2. cap. 6.* *Basnag. an. 37. 65.* *Joannis XII. 20.*

17. Eunucho, ignota sibi de Christo Isaiæ oracula legenti, se comitem, sancto jubente spiritu, præbuit Philippus; Prophetæ mentem scisciranti aperuit, & *evangelizavit illi Jesum*. In quem cum Eunuchus ex toto corde credere profiteretur, & Baptismum postulasset; ubi *venerunt ad quamdam aquam . . . jussit stare currum, & descenderunt uterque in illam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum*. Juxta vicum Bethsoron hæc ei evenisse Hieronymi ætate traditione ferebatur: *Bethsur in Tribu Juda. Sive Beniamin, & est hodie Bethsoron vicus, euntibus nobis ab Ælia Chebron in vigesimo lapide, juxta quem fons ad radicem montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur, sorbetur humo, & Apostolorum acta referunt, Eunuchum Candacis Reginæ in hoc esse baptizatum a Philippo. Cum autem ascendissent de aqua*, sequitur Lucas, *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus*, hoc novo miraculo in Christi fide confirmatus. *Ibat per viam suam gaudens*. Philippus vero inventus Azoti, & peragrata regione, omnibus urbibus evangelium prædicavit, usque dum veniret Cæsaream.

Philippus Diaconus Eunuchum baptizat. *Actor. cap. 8.* *Hieron. de Locis Hebr.*

18. Hunc porro Eunuchum Ætiopum postea doctorem, & Apostolum fuisse, veteres tradiderunt: *Ipse Eunuchus*, ait Irenæus, *credens, & statim postulans baptizari, dicebat, credo, filium Dei esse Jesum; qui, & missus in Regiones Æthiopiæ,*

Eunuchus Æthiopibus prædicat Evangelium. *Iren. contra hær. lib. 3. 12. p. 196.*

JESU CHR. AN. 34.

pia, prædicaturus hoc, quod ipse crediderat, Eusebius vero, Cyrillus Hierosolymitanus, & Hieronymus testantur confirmatum in ipso fuisse, quod a Davide prænunciatum legimus; fore scilicet ut Æthiopia præveniret manus ejus Deo. *Hoc testimonium Isaiæ*, ait Hieronymus, *cum in Actis Apostolorum Reginæ Candacis Eunuchus rheda veheretur, & legens non intelligeret, interpretante Philippo super passione, & nomine Salvatoris, intellexit; & statim baptizatus in Agni sanguine, quem legebat, vir meruit appellari, & Apostolus genti Æthiopum missus est*; sed & alio in loco admiratione raptus: *Nec sanctior*, ait *sum hoc Eunucho, nec studiosior; qui de Æthiopia, ideo de extremis Mundi finibus, venit in templum, reliquerat aulam Regiam, & tantus amator legis, divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo sacras litteras legeret; & tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, & ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! Eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis, & sanctus factus est, ac de discipulo Magister: plus in deserto fonte Ecclesiæ, quam in aurato Sinagogæ templi reperit.* Chrysostomus præterea ad hunc Actorum locum, de Eunucho, in via Scripturam legente, hæc adnotat: *Barbarus ille Reginæ Æthiopum Eunuchus, qui in tanta erat gloria, & curru vehebatur, illo tempore lectionem non negligebat, sed Prophetam in manibus habens, magnum adhibebat studium, idque nesciens, quid in libris contineretur, & afferebat quidquid in se erat studium, alacritatem, attentionem. Cogita enim, obsecro, quantum erat, neque in itinere lectionem negligere, & præsertim sedentem in curru. Merito male audiunt, qui neque domi hoc faciunt, persuaderi possunt, sed putantes supervacuam esse horum lectionem, quia mulieri cohabitant, vel militiæ adscripti sunt, vel puerorum, & servorum, aliorumque negotiorum curam agant, non convenire sibi arbitrantur, quod divinæ Scripturæ lectioni incumbant: Ecce & Eunuchus, & barbarus erat, quæ utraque, ad reddendum negligentiorem, sufficiebant; & ad hæc dignitatis amplitudo, & abundantia opum: Adde, quod itinere erat, & curru ferebatur. Attamen desiderium, & ingens studium omnia obstacula e medio auferens in lectione retinebat. Unde non dicebat ea, quæ plerique dicunt, non intelligo ea, quæ scripta sunt;*

Ejusd. 67.
Euseb. lib. 2. 1. Cyrill. Cath. 17.
Hier. in Isai. cap. 53.
Idem epist. 53.
Chrisost. in Genes. hom. 34.

sunt; *non possum intelligere profunditatem Scripturarum*: *quare frustra*, *& incassum laborem susciperem*? *Et non habeo*, *qui manuducat*. *Nihil iis simile cogitabat ille*, *lingua quidem barbarus*, *mente autem Philosophus*. *Sed cogitavit potius*, *se non contentum iri*, *sed superna gratia adjuvari*, *modo quod suum erat afferret studium*, *quem & nos imitemur*. Hæc de sacræ Scripturæ lectione Chrysostomus, quæ Ecclesiæ ministris maxime conveniunt, cum ex sacræ Scripturæ ignorantia, & neglecta Sanctorum Patrum atque Conciliorum lectione, tot potissimum laxitatum portenta prodierint, quibus Casuistarum plerique abundant, unde Ecclesiæ decor, morumque sanctitas adeo deturpatur. Cum etenim, purissimo hoc fonte derelicto, morum regulas ex hominum ingenio, undique tenebris obcæcato, hauserint, hinc laxiores sententias, errores, portenta verius dixerim, pro morum regulis venditarunt. Repetantur itaque fontes; sacram Scripturam adeant, sanctosque Patres & Canones legant, ac meditentur morum magistri, tuncque ab errorum colluvie purgabitur morum disciplina, ac vetus redibit Ecclesiæ decus. Sed ad historiam revertamur. Jesu Chr. an. 34.

19. Excedentibus Hierosolyma Fidelibus post Stephani necem, deerat ibidem Saulo sæviendi in ipsos occasio. Quare cum audisset in aliis civitatibus Evangelium prædicari, & præcipue Damasci: *Spirans minarum*, *& cædis in discipulos Domini*, *accessit ad Principem Sacerdotum*, *& petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas*, *ut si quos invenisset hujus viæ vivos*, *ac mulieres*, *vinctos perduceret in Hierusalem*. *Et cum iter faceret*, *& appropinquaret Damasco*, subita de Cælo luce circumfusus, cadens in terram audivit Christi vocem, qua jubebatur a cædibus abstinere, & urbem ingredi, ut ibi, quæ ipsum postea oporteret facere, intelligeret. Itaque tremens, ac stupens surrexit de terra, & cum apertis oculis nihil videret, *ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum*; *& erat ibi tribus diebus*, *& non manducavit*, *neque bibit*, ad quem Dominus Jesus misit Ananiam, qui imponens ei manus visum restituit, & baptizavit. *Actor. cap. 9.*

Saulus cædis spirans a Jesu Christo vocatus, ad fidem convertitur.

20. Giscali antiquo Judæorum oppido ortum fuisse Paulum, eoque a Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrasse opinati sunt ex veteribus nonnulli; atque in hanc sententiam inclinasse videtur libro de viris illustribus Hieronymus, qui ejus tamen dubitanter meminit in Commentariis

Paulus Tarsi natus.

Hieron. in Philem. cap. 5., & de viris il. c. 5.

JESU CHR. AN. 34.

tariis epistolæ ad Philemonem. Contra Paulum Græcum fuisse, ex Gentilibus oriundum, deinceps proselytum factum dicebant Ebionitæ; quos Epiphanius hæresi xxx. confutat, a vero tamen omnes quam longissime aberrasse vel ex ipso Paulo facile intelligitur, qui se Judæum, & in Tarso Ciliciæ natum, educatumque palam professus est: *Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, educatus autem in ista Civitate, secus pedes Gamalielis eruditus.* Præterea si Giscalæ lucem aspexisset, non fuisset utique *natus civis Romanus*, quod & ipse tamen affirmat: constat enim Tarso quidem, sed numquam Giscalæ, Civitatis Romanæ jus fuisse tributum. Qua vera ætate Paulus in Christum crediderit, in obscuro est. Lucas equidem memoriæ prodidit eum in adolescentia Ecclesiam persecutum fuisse; nihil tamen inde possumus de ejus ætate certe definire, cum ad annum usque trigesimum, vel etiam quadragesimum tertium adolescentia aliquando protraheretur, uti ex Irenæo, & Gellio cognoscimus. Putavit Baronius non ætate adolescentem Paulum, a Luca nominari, sed potius ex græca voce audacem, ac vehementioris animi; sed ejus conjecturam minus veram ostendit Petavius. Apud Chrysostomum quoque legitur Paulum *triginta quinque annos summa ad serviendum Deo alacritate Domino mancipasse, perfecto denique 68. annorum vitæ cursu, quam pro pietate tenuerat, quievisse*: anno scilicet ætatis trigesimo tertio christianam fidem suscepisse: ex conjectura tamen potius, quam certis testimoniis hæc a Chrysostomo dicta videntur; & de Homilia in qua occurrunt, dubitant eruditi. Putamus itaque nihil obstare quominus dicamus, Paulum circa annum 36. ad fidem accessisse, exactisque in Apostolatu 32. annis, ætatis suæ 68., Christi vero 66. martyrio coronatum fuisse, uti deinceps videbimus. Die 25. Januarii ad Christianorum castra transiisse Apostolum memorant Usuardi, & Adonis martyrologia; non ea tamen est horum auctoritas, ut fidem ipsis omnino adhibere necesse sit, cum præsertim nihil ea die in antiquioribus martyrologiis de Pauli conversione adnotetur.

Act. 22.

Gellius lib. 10. cap. 28. Iren. lib. 2. c. 39. Aug. lib. 6. Conf. c. 11. Lact. lib. 4. cap. 15. divin. Instit. Bar. an. 36. 5. Petav. not in Epiph. num. 51. Homil. 16. de Princ. Apost.

Tillem. num. 5. in Paul.

De Pauli nomine.

21. De Pauli etiam nomine non una est cum veterum, tum recentiorum Scriptorum sententia. Cum enim in expeditione Cypria post Proconsulis Pauli Sergii conversionem, qui antea in Actis Saulus dicebatur, Paulus deinceps vocari cœperit; a multis creditum, tunc primum hoc nomine Apostolum vocatum fuisse; atque hujus opinionis meminit Origenes:

nes: *Quibusdam visum est, quod Pauli Proconsulis, quem apud Cyprum Christi fidei subjecerat, vocabulum sibi Apostolus sumserit, ut sicut Reges solent, devictis, verbi gratia, Parthis, Parthici, & Gothis, Gothici nominari; ita & Apostolus subjugato Paulo, Paulus fuerit appellatus.* Hieronymus vero in Commentario epistolae ad Philemonem: *A primo*, inquit, *Ecclesiae spolia Proconsule Sergio Paulo victoriae suae trophaea rettulit, erexitque vexillum, ut Paulus diceretur ex Saulo.* Hieronymo congruit Augustinus: id tamen a modestia, & humilitate Pauli abhorrere aliquibus visum est, quod utrum ipsorum sententia an potius ex Augustino & Hieronymo, optimis sane moralium virtutum aestimatoribus, debeat judicari, lectores viderint. Putarunt alii, & potissimum Baronius, Apostolum a Proconsule Sergio Paulo amicitiae gratia, familiae suae cognomine fuisse nobilitatum; quod scimus vel libertis, vel clientibus, vel aliis honoris causa saepe a Romanis fuisse tributum. Afterii contra opinio fuit, Saulum, quo tempore ad fidem accessit, *una cum apellatione animum mutavisse*; atque eum sequutus est auctor sermonis, qui Ambrosio tribuitur; Chrysostomo vero, & Theodoreto placuit Pauli nomen a Christo impositum primum fuisse, vel tempore conversionis, vel cum Antiochiae Apostolus gentium est ordinatus; non secus ac Simoni contigit, quem Petrum Christus Dominus appellavit. Denique cum Paulum origine Judaeum, Patria vero Romanum quidam animadverterent; hinc eum a puero Binominem fuisse tanto probabilius existimarunt, quod & ante Proconsulis Sergii conversionem duobus illum usum nominibus certissime constet. Atque haec quidem Origenis, vel si placet, Rufini sententia omnibus accurate perpensis, veri videtur similior: *Invenimus in Scripturis divinis veterum commutata vocabula, ut ex Abram vocatus sit Abraham, ex Sarai Sara, & ex Jacob Israel. In Evangelio quoque ex Simone Petrus, & filii tonitrus nuncupati sunt. Sed haec praecepto Dei legimus facta, nunquam vero erga Paulum invenimus tale quid gestum .... Invenimus igitur in Scripturis aliquantos binis, alios etiam ternis usos esse nominibus, ut Salomonem, eundemque Ididia dictum, Oziam eumdemque Azariam. Sed nec Evangelia quidem hunc eundem venisse norem .... Secundum ergo hanc consuetudinem, videtur nobis Paulus duplici usus esse vocabulo. Et donec quidem genti propriae mini[s]trabat Saulus esse vocatus, quod magis appella-*

JESU CHR. AN. 34. *Orig. Praef. in epist. ad Rom.*

Hier. in epist. ad Philem.

Aug. Confes. lib. 8. 4.

V. Basnag. an. 37. 54. Baron. A. 36. num. 4.

After. Orat. 8. apud Ambros. Serm. 31.

Act. 13. 9.

Orig. Praef. in epist. ad Rom.

JESU CHR. AN. 34.

pellatione patria vernaculum videbatur. Paulum autem appellatum esse, cum Græcis, & Gentibus leges, ac præcepta conscribit.

De mira Pauli conversione.

22. His de Pauli patria ætate, & nomine prænotatis, nunc de ipsius potissimum conversionis modo est diligenter inquirendum: Ut appropinquavit Damasco, ubi omnia ex animo futura certo sperabat, quominus suscepta perficeret, Christus Dominus impedivit. Quare autem Damascum potius, quam alio proficisceretur, hanc adfert rationem Chrysostomus: *Magna Civitas erat, & regia, timebat igitur, ne & illa civitas prævenire-tur; Quare autem non accepit potestatem illic puniendi eos, sed in Hierusalem ducit? Ut ita cum majore potestate pœnam de illis sumat.* Tempore meridiano repente lux e Cælo splendorem Solis exsuperans, Saulum, Sociosque itineris fulgore suo circumfudit. Nullus auditur tonitruum sonitus, nullus collidentium nubium fragor, nullus ruentis fulminis stridor. Sola luce cœlesti, telis veluti igneis, omnes prostrati decidunt in terram. Tunc Saulus audivit vocem alloquentem se, ac dicentem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Comites autem ejus, *lumen quidem viderunt, vocem tamen non audierunt ejus, qui secum colloquebatur*; sive quod incondita tantum verba audicrint, sive quod sensum verborum animo non sint complexi. Cum autem Domino Paulus respondisset: *Quid me vis facere*; hoc Christus reposuit: *surgens vade Damascum, & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.* Ceterum mirabili tum sapientia, tum potentia, Christus in Saulum, Ecclesiæ Vastatorem, ea retorquet, quæ in illam machinabatur. Venerat persecutor, sociorum stipatus caterva, ut vinctos Fideles Hierosolymam abduceret. A suis ipse comitibus titubans, cæspitansque Damascum ducitur. Famis, inopiæque multis auctor fuerat, & nunc ipse toto triduo famem sustinet. Sapienter Chrysostomus: *& quare dicat quis, hoc non factum est ab initio, sed postea? Ut ostendatur, quod vere surrexit Christus... Qui enim sic insanit, ut sanguinem effundat, & in carcerem conjiciat, statim credit. Non sufficeret, quod non fuerat cum Christo, sed oportebat vehementer oppugnari ab illo fideles: omnibus hic acrior erat, ubi autem excæcatus est, tunc dominationis, & misericordiæ illius agnoscit vestigia. Vel etiam ne quis dicat, quod simulavit: quomodo enim de eo, qui sanguinarius, & qui sacerdotes accesserat, qui periculis se exposuerat, & exteros afflixerat,*

Chryſoſt. in act. hom. 19.

Act. 26. 13.

Act. 22. 9.

Chryſ. in Act. hom. 19.

JESU CHR. AN. 34.

rat, & punierat, hoc ſentiendum? Hic poſt hæc omnia dominationem confitetur. Quare autem non in ipſa civitate circumfudit eum lux ſuo ſplendore, ſed ante illam? Quia multi non credidiſſent, ſed irriſiſſent potius, quandoquidem & ſupra emiſſam audientes vocem, dicebant, tonitrum eſt. Hic autem fide dignus erat, referens, quæ ſibi acciderant. Fraudis ſane abeſſe omnis ſuſpicio debuit, cum, & qui Paulo comites fuere, fulgorem lucis vel ipſum Solis ſplendorem meridianum ſuperantem aſpexerint, & vi tanti luminis oculorum uſus ereptus Saulo fuerit.

23. Saulo Damaſcum proficiſcenti Jeſum factum conſpicuum, non dubitamus, etſi demus, veterum nonnullos in alia fuiſſe ſententia. Aſterius oratione in Petrum, & Paulum: *Quidni ei apparet in forma hominis, uti Stephano de Cælo apparuit, ſed in ignis ſpecie, atque luminis?* Quæſtioni reſpondit Aſterius: *Paulo haudquaquam apparet homo, ne infideli offenſionem augeat, ſed potius in fulguris ſpecie, ac ignis, quo a lege, & Moyſe eum pertrahat.* Diſerte Chryſoſtomus Homilia 20. in acta: *Chriſtus non apparuit, ſed per opera viſus eſt.* Nobis vero aperte favent Ananiæ verba: *Saule frater*, inquit, *Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto*; Sed & Paulus eadem confirmat, dum refert quæ ſibi dixerat Ananias: *Deus Patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus, & videres Juſtum, & audires vocem ex ore ejus*, (ideſt Chriſtum videres, & audires) De qua gratia ſibi collata exultat Paulus, atque triumphat, dum ait: *Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi?* Quandonam porro vidit, niſi in via, dum iret Damaſcum? Quare ſi Apoſtoli diutiùs, & familiarius uſi ſunt Chriſto, quo cum ederunt, & biberunt, id damni Paulo compenſatum eſt, cum ſedentem in throno ſuo Dominum & allocutus ſit, & conſpexerit; Itaque haud ſimile vero eſt, quod a viris alioquin doctiſſimis traditur Paulum eo triduo, quo cœcus manſit, non manducans, neque bibens, ad tertium Cœlum raptum fuiſſe; hæc enim nonniſi elapſis aliquot annis contigerunt, de quibus ſuo loco agemus. Eo triduo infirmus factus eſt, ut habet Chryſoſtomus, *& ex itinere, & ex metu, & ex jejunio, & ex triſtitia. Volens igitur illius augeri triſtitiam cæcum manere permiſit, donec venit Ananias.* Profecto has animi perturbationes in pacem, lætitiamque mutaſſet ejus in Cœlum aſſumptio. Non incongrue de Pauli cæcitate Arator:

Chriſtus a Saulo, Damaſcum proficiſcente, viſus. *Act.* 22.

Ad Corinth. 1. 9.

Chryſoſt. in Act. hom. 20.

JESU CHR. AN. 34.

. . . . . *Tandemque coactum*
Pœna magiſtra docet, Dominum ne reſpuat ultra.

Quis vero dicat Paulum in Paradiſum raptum eo tempore, quo pœnas dabat incredulitatis ſuæ?

Ananias ad Saulum mittitur.

24. Dum orationibus, & jejuniis eo triduo vacabat Paulus, verſans animo ſævitiam, & impietatem, qua in Chriſtum, & Eccleſiam peccaverat, aliquantiſper cæleſti viſione recreatur; nam *vidit virum, Ananiam, nomine introeuntem, & imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat.* Nec viſioni defuit eventus. Juſſit enim ſimul Dominus Ananiæ, ut virum nomine Saulum, in vico recto habitãtem, peteret. Abiit itaque *Ananias, & introivit in Domum: & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto, & confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tamquam ſquammæ, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt*; & continuo ex perſecutore Apoſtolus *in Synagogis prædicabat Jeſum, quoniam hic eſt Filius Dei.* Cum vero obſtupeſcerent omnes, talia de Paulo audientes, ipſe tamen *multo magis convaleſcebat, & confundebat Judæos, qui habitabant Damaſci, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus.* In Arabiam deinde ſecellit, atque illinc Damaſcum repetens tandem Hieroſolymam profectus eſt. Hæc Pauli itinera, præter Hieroſolymitanum, ſilentio præteriit Lucas; omnium tamen meminit ipſe Paulus in Epiſtola ad Galatas: *Notum enim*, inquit, *vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non ſecundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquievi carni, & ſanguini, neque veni Hieroſolymam ad Anteceſſores meos Apoſtolos; ſed abii in Arabiam, & iterum reverſus ſum Damaſcum; deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim: alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum Fratrem Domini.* Sed de Pauli geſtis ſequentibus annis.

Act. 9.

Ep. ad Galat. 1. 16.

25. Præ-

25. Præter Paulum Damascum, alios quoque miserunt Principes Sacerdotum, qui nascentem Ecclasiam in reliquis Provinciis, immo & toto orbe infamarent. Cum enim intellexissent Fideles Hierosolyma pulsos Evangelium Judæis ubique prædicare, nova in eos persecutione sævire aggressi sunt, calumniis scilicet ipsos appetentes, ut ab omnibus, & ubique odio haberentur. Fidem facit Justinus Martyr, qui, cum esset genere Samaritanus, res Judæorum apprime callebat: *Non enim, injuriæ nobis in Christo illatæ tanta in aliis gentibus culpa residet, quanta in vobis, qui illis etiam anticipatæ de justo, & de nobis, qui ab eo orti sumus, malæ opinionis auctores estis. Postquam enim solum illum inculpatum, & justum hominem, cujus vulneribus sanantur, qui per eum ad Patrem accedunt, Cruci affixistis; cum eum sciretis ex mortuis resurrexisse, & in Cœlum ascendisse, ut prophetiæ futurum prædicebant, non modo pœnitentiam admissorum scelerum non egistis; sed etiam selectos viros tunc Hierosolymis in universum Orbem misistis, impiam Christianorum hæresim prodiisse dicentes, eaque spargentes, quæ in nos ab iis omnibus, quibus noti non sumus, dicuntur. Itaque non vobis solum iniquitatis causa estis, sed aliis etiam omnibus prorsus hominibus: ac merito clamat Isaias*: Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus. Et iterum inferius: *Sed etiam delectos homines constituistis, ac per eos in totum Orbem terrarum missos prædicastis impiam quamdam, & exlegem sectam a quodam Jesu Galilæo excitatam esse, & cum illum, a nobis crucifixum, discipuli ex monumento, in quo, refixus è Cruce, depositus fuerat, nocte surripuerint, decipi ab illis homines, dum eum ex mortuis resurrexisse, & in Cœlum ascendisse dictitant. Quin etiam docuisse illum, addidistis impia illa, & nefanda, ac detestabilia facinora, quæ adversus eos, qui illum Christum, & doctorem, & Filium Dei profitentur, apud omne hominum genus spargitis. Ad hæc capta Urbe vestra, & terra vastata pœnitentiam non agitis: sed illum etiam, ac omnes, qui in illum credunt, diris devovere audetis.*

JESU CHR. AN. 33. Judæorum in Ecclesiam calumniæ.

Justin. Dialog. cum Trigh. n. 17.

Isai. 52. 5. Just. Dialog. n. 108.

25. His vero potissimum calumniis Christianos exagitabant. Impios, ac Divinitatis esse contemptores. Solem, aut Asini caput, vel ipsam quandoque Crucem Deorum loco habere; humanæ libertati adversari; & in Societatem, atque Rempublicam conspirare. Addebant præterea infantes ab eis, dum convenirent, occidi, ut ipsorum carnibus, & sanguine

Crimina Christianis apposita. *Ath. lib. contra Gentes. Justin. Apolog 1 & 2. Minuc. Felix. Dialog. cum Octavio. Apud Euseb. l. 5. c. 1.*

JESU CHR. AN. 34.

vescerentur; Thyastæa convivia celebrari, omnique libidinum genere fœdari, itaut & matribus, & fororibus nefarie conjungerentur. Hæc & his similia videbimus infra Christianis objecta; quæ tunc primum a Judæis in vulgus sparsa, Gentilium animos adeo occuparunt, ut vix labente tempore ab ipsorum mentibus divelli potuerint. Neque vero Judæi calumniis tantum, sed & vi, & armis, quoties se occasio obtulit, Christianos adorti sunt. Scimus enim & sub Barchobeba, Adriani Imperatoris tempore, exquisitis suppliciis quamplurimos Christianorum occidisse, & vehementiori præ gentilibus odio in ipsos persecutionum tempore sæviisse, uti potissimum ex epistola Smyrnensis Ecclesiæ de Martyrio S. Polycarpi, aliisque certissimis indubiæ fidei monumentis constare, posthac videbimus.

Euseb. lib. 5. 16.

Tiberii crudelitas.

27. Rebus Ecclesiæ expositis, pauca, vix quidquam præter Tiberii crudelitatem memorandum de Republica occurrit. Eo usque Tiberius furebat, ut jam nullus absolveretur, omnes damnarentur. Præ ceteris Pomponius Labeo, qui Mesiæ Prætnram per octo annos gesserat, accusatus, quod provinciam male administrasset, per abruptas venas sanguinem effudit, virique casum emulata est ejus uxor Paxea. Eumdem vitæ exitum habuit M. Æmilius Scaurus, quod Tragœdiam scripsisset (cui titulus *Atreus*), qua monebat qemdam e suis subditis, ut Imperantis stultitiam ferret; quod in se dictum Tiberius credidit. Hic violentas sibi manus intulit, & damnationem propriis ipse manibus antevertit. Usitatissimum quippe Romanis fuit, sibi manus injicere, ne a carnifice necarentur, tum etiam ut sepultura donarentur, suisque bonis hæredes potirentur: eorum enim qui sententia Judicis a carnifice occidebantur, insepulta remanebant corpora, & bona universa Fiscus occupabat. Inter Sejani amicos Getulicus fere solus incolumis evasit, non tam Tiberii clementia, quam propria audacia; cum enim Legionibus superioris Germaniæ præesset, a quibus ob liberalitatem & clementiam summopere diligebatur, Tiberius sibi ipsi timens, nec dignitate, nec vita exuere ausus est: Audaciter quippe Getulicus ad Tiberium scripserat, se quidem Sejani in amicitia fuisse, idque Tiberii ipsius consilio; si proinde error fuit, mirum Tiberium falli potuisse; Se quidem in fide permansurum, si nullis insidiis peteretur. Ceterum Successorem se non aliter accepturum, quam mortis indicium; proindeque provinciam totis viribus retenturum fore. Qua scribentis liber-

Dio, lib. 58.

Tacit, lib. 4. c. 9.

tate

tate perterritus Tiberius ab ejus cœde abſtinere conſultius exiſtimavit. Narrat inſuper Dio Conſules hujus anni, Paulum Fabium Perſicum, & L. Vitellium, exacto conſulatu, & celebratis Tiberii vicennalibus, morte damnatos fuiſſe; verum hæc Dionis narratio revocatur in dubium. Conſtat enim, Fabium Perſicum multis adhuc annis vixiſſe, & de L. Vitellio, Patre Auli Vitellii, qui poſtea imperavit, tradit Svetonius, poſt Conſulatum, Syriæ præfecturam geſſiſſe; altumque de horum morte apud Tacitum ſilentium, licet pluribus agat de viris illuſtribus hoc anno juſſu Tiberii interemptis.

JESU CHRISTI AN. 35. PETRI APOST. AN. 4.
TIBERII IMPERATORIS AN. 22.
COSS. CESTIO GALLO, ET M. SERVILIO NONIANO
AN. URB. 788. OLYMP. 203. AN. 3.

JESU CHR. AN. 34. *Dio. lib. 58.* *Seneca de benef. lib. 2. & 4. Svet. in Vitell. cap. 2. Murat. hoc anno. Tillem. tom. 2. p. 117. & num. 6. in Lib.*

1. Extincta perſecutione poſt Stephani lapidationem mota, *Eccleſia per totam Judæam, Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur, ambulans in timore Domini; & conſolatione S. Spiritus replebatur.* Petrus vero, Apoſtolico fungebatur munere, & pertranſiendo viſitans Eccleſias, pervenit Liddam: *Quemadmodum Dux in exercitu*, ait Chryſoſtomus, *obambulans, conſiderabat, quæ pars ſit coadunata, quæ ornata, quæ ſuo adventu egeat. Vide ubicumque illum circumcurſare, & primum inveniri: Quando eligendus Apoſtolus hic primus; quando loquendum Judæis, non Apoſtolos eſſe ebrios... iterum quando fieri miracula opus erat, ipſe proſilit, & iterum ipſe per ſe laborat, ac iter facit.* Dum Liddæ eſſet, hominem quemdam, Eneam nomine, ab octo annis paralyticum in nomine Jeſu Chriſti ſanavit. Joppem deinde profectus Tabitham, ſeu Dorcam e mortuis revocavit uti pluribus refert S. Lucas, præſtantiora tantum Petri geſta commemorans. Cum vero per multos dies moraretur in Joppe apud Simonem quemdam coriarium, accidit, ut via Gentilibus ad ſalutem aperiretur.

Petrus Eccleſias viſitat. *Act. cap. 9.*

Chryſ. in Act. hom. 21.

Petri miracula.

Act. 10.

2. *Vir quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſinas multas plebi, & deprecans Deum ſemper.* Cornelius itaque non dignitate tantum, ſed virtutum etiam laude florebat. Has vero virtutes a fide, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, ſejungendas non eſſe do-

De Cornelio Centurione.

Ad Hebr. 11. 6. Aug. de prædeſtin. lib. 1. cap. 5.

JESU CHR. AN. 35.

docuit Augustinus : *Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat: Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? sed si posset esse sine fide Christi salvus, non ad eum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Eam porro fidem a Deo datam, a quo bona cuncta procedunt, non naturæ viribus acquisitam, tradunt Arausicani Patres: *Manifestissime credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad Patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est; & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.* Non enim ad Dei thronum orationes, & eleemosynæ ascendere potuissent, si e solis naturæ viribus prodiissent.

Arausic. Syn. 2. can. 25.

Angelus Cornelio Centur. apparet. *Act. 10.*

3. Quomodo autem monente Angelo ad Fidei cognitionem venerit, sic pergit Lucas commemorare: *Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Corneli: At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quis es Domine? Dixit autem illi:* Orationes tuæ, & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. *Et nunc mitte viros in Joppem, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare, hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Et cum discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, & militem, metuentem Dominum, ex his, qui illi parebant. Quibus cum narrasset omnia, misit illos* in Joppem. Sed quid interim Petrus? *Postera die, iter illis* facientibus, *& appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam.* Antiquus plane Hebræorum mos erat, ut Deum precaturi, loca superiora conscenderent: Ante enim quam templum ædificaretur, in excelsis montibus immolare consueverunt, juxta illud Regum: *Populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum.* Et de Judith memoriæ proditum fecisse sibi, orationis causa, secretum cubiculum in superioribus domus suæ: neminem vero latet Christum ascendisse in montem solum orare; & Fideles Hierosolymis in Cœnaculo fuisse congregatos. De Paulo quoque constat, Synaxim fecisse Troade in superiore domus parte; nam liquet de tertio Cœnaculo prolapsum esse auditorem Eutychum adolescentem. Sed ad Petrum redeamus: *Qui cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, & vi-*

Reg. 3. Matt. 14.

Act. 20.

& vidit Cœlum apertum , & descendens vas quoddam , velut linteum magnum , quatuor initiis submitti de Cœlo in terram , in quo erant omnia quadrupedia , & serpentia Terræ , & volatilia Cœli . Et facta est vox ad eum : Surge Petre , occide , & manduca . *Ait autem Petrus*: Absit Domine , quia nunquam manducavi omne commune , & immundum . *Et vox iterum secundo ad eum* : Quod Deus purificavit , tu commune ne dixeris . *Hoc autem factum est per ter ; & statim receptum est vas in Cœlum* . Quidnam portenderit hæc cœlitus ostensa visio , exitus declaravit , nimirum eo mysterio , Ecclesiam ex Gentibus colligendam esse : significatum est : quod visionis mysterium ipse Petrus explicat , dum ait : *Ostendit mihi Deus , ne quem hominem immundum vocarem* . Symbolicis itaque his signis monebatur , ut Gentes in Ecclesiam admitteret . JESU CHR. AN. 35.

Cornelius baptizatur . An Cæsareæ Episcopus fuerit .

4. Susceptа deinde Cornelii legatione , Petrus sese postri die cum Joppensibus nonnullis Cæsaream ad Cornelium contulit ; & postquam ei , cæterisque , qui aderant , evangelium nunciavit , ipso *adhuc loquente Petro , cecidit Spiritus Sanctus super omnes , qui audiebant verbum . Et obstupuerunt ex circumcisione Fideles , qui venerant cum Petro : quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est . Audiebant enim illos loquentes linguis , & magnificantes Deum . Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest , ut non baptizentur hi , qui Spiritum Sanctum acceperunt , sicut & nos ? & jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi . Tunc rogaverunt eum , ut maneret* apud eos aliquot diebus . Cornelii baptismate Gentilium primitiæ consecratæ sunt ; primus enim inter Gentiles baptismatis gratiam promeruit , testibus Origene , Augustino , aliisque Patribus : Cornelium autem abdicata postmodum militia , Cæsareæ Episcopum fuisse , putavit Annalium Parens , idemque tradunt Martyrologia Adonis , & Usuardi , & Auctor Constitutionum Apostol : *Cæsareæ Palestinæ primus ordinatus est Zacheus , olim publicanus , post eum Cornelius , tertius Theophilus* . Græci tamen Illii Episcopum fuisse Cornelium scribunt . Verum cum Eusebius de Cæsariensi Cornelii Episcopatu omnino sileat ; id malumus in incerto relinquere , quam quidquam temere affirmare . Porro traditum ab Hieronymo in Epistola ad Eustochium , Cornelii domum ob tantæ rei memoriam in Ecclesiam fuisse conversam . *Stratonis turrim ab Herode Rege Judææ in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam , in qua Cornelii domum , Christi vidi Ecclesiam* .

Orig. in num. hom. 11. Aug. psal. 56. Aug. serm 99, & 266. tom. 5. p. 1. Baron. an. 41. nu. 9. Martyr. Rom. die 2. Feb. Constit. lib. 7. cap. 46. Boll. die 2. Feb. Euseb. l. 2. 3.

De Cornelii domo in Eccl. conversa .

5. Vi-

JESU CHR. AN. 35. Vitellius Syriæ Proconsul. stolam Judæis tradit. *Sueton. in Vitell. c. 2. Joseph. antiq. lib. 18. c. 4.*

5. Vitellium, post Consulatum anno superiore gestum, Syriæ Proconsulem Tiberius renunciavit; eumque Hierosolymam advenientem Judæi, teste Josepho, honorificentissime habuerint: *Vitellius autem in Judæam profectus, Hierosolyma ascendit in ea tempestate, qua festum ageretur, quod Pascha appellatur. Cumque a Judeis magnifice exceptus fuisset Vitellius, vectigal fructuum venalium Hierosolymitanis in universum remisit, & stolam Pontificis cum omni ejus ornatu passus est in templo, ut olim, a Sacerdotibus adservari. Sed eo tempore in Antonia, quæ turris est ita nuncupata, deposita erat hujusmodi de causa. Pontificum quidam Hircanus, ejus nominis primus, (nam plures erant eo nomine appellati) cum turrim in vicinia templi extruxisset, illic maxima ex parte vitam agebat, & stolam, quæ in ejus custodia erat; eo quod sibi soli licebat eam induere, ibi depositum habebat, quandocumque privata veste resumpta in Urbem iret; idemque filii ipsius, eorumque filii facere consueverant. Herodes autem Regnum adeptus, & turrim hanc loco opportuno sitam magno sumptu instruxit, Antoniæ nomine ei indito ex Antonio, qui ipsi erat amicus, & stolam, ita ut ibi reperta est, apud se retinuit; ratus populum ea de re nihil novi contra se moliturum. Deinceps vero similiter ac Herodes faciebat Archelaus filius ejus, qui ei in Imperio successit; cujus Regnum cum Romani sibimet assumpsissent, nacti sunt stolam Pontificiam in domo, ex lapide constructa, repositam, Sacerdotum, custodumque ærarii sigillo obsignatam, castelli Præfecto quotidie eo in loco lucernam accendente. Septem vero ante festum diebus illis ab arcis Præfecto tradebatur, cumque ea purificata usus fuisset Pontifex, die proxima post solemnitatem rursus eam in domum reponebat, ubi antea condita erat. Idque quotannis fiebat tribus festis, & jejunii die. Vitellius autem fecit, ut stola, prout mos patrius ferebat, servaretur, dato arcis Præfecto in mandatis, ut nec inquireret in locum, ubi reconderetur, nec ad diem attenderet, quo ea uti oporteret. Cumque ista fecisset, ut a gente gratiam iniret, & Josepho pontifici, cui etiam Cajaphæ nomen fuit, Sacerdotium abrogasset, Jonatham Anani Pontificis filium in ejus locum substituit, ac deinde Antiochiam reversus est.*

Philippi Tetrarchæ obitus, ejusque elogium.

6. Vitellio Syriæ Præside, *Philippus, qui Herodis frater erat*, vita decessit, anno quidem Tiberii principatus vigesimo; seu potius vigesimo secundo, ut in Rufini versione legebatur; hanc

hanc enim lectionem præferendam esse censent eruditissimi viri, ea potissimum ducti ratione, quod Philippus vivere desiit, dum Syriæ Vitellius præesset, ut ex Josepho manifeste constat. Porro cum Vitellius, ineunte anno 20. & 21. Tiberii, Consul fuerit, nec in provinciam nisi exacto consulatu profectus sit, stare nullatenus potest Calvisii, Pagii, aliorumque chronologia, qua anno 20. Tiberii Philippum obiisse contendunt. Legendum igitur apud Josephum anno vigesimo secundo; postquam vero ipse præfuisset Trachonitidi, & Gaulanitidi, atque etiam Bataneæ annos 37., seu potius, ut apud Rufinum, annos 32. Vir suapte natura moderatus erga subditos, quietique ingenii, *Diem obiit supremum in Juliade, atque illatus in monumentum, quod jam ante sibi construxerat, magnifice sepultus est. Ejus autem Principatum, (nam sine liberis decessit) cum sibi accepisset Tiberius, eum provinciæ Syriæ attribuit: Tributa tamen, quæ in Tetrarchia illius colligerentur, jussit, in eadem adservari.* Temporum rationem hic immaniter evertere conatus est Harduinus, dum tradidit Philippo superstitem fuisse Joannem Baptistam, quem novimus arguisse Herodem, Philippi fratrem, de copulata sibi fratris uxore, *non licet tibi habere uxorem fratris tui* (defuncti scilicet, ut ipse addit Harduinus), nam e Palatio, & toro regali, invitis maritis Regibus, abduci potuisse principes fœminas ipsi prorsus incredibile videbatur. Plurimis tamen Harduini paradoxis hoc quoque adjungendum facile quisque intelligit, testante potissimum Josepho, Philippi mortem Vitellio in Syria præside contigisse.

Jesu. Chr. an. 35.

Scalig. de e. mend. temp. p. 462. Busnag. anno 35. 4. Joseph. antiq. lib. 18. 6. Harduin Chron. reflit. pag. 48.

JESU CHRISTI AN. 36, PETRI APOST. AN. 5.
TIBERII IMPERATORIS AN. 23.
COSS. SEX. PAPINIO ALLENIO, ET Q. PLAUTIO
ANN. URB. 789. OLIMP. 203. AN. 4.

1. Ecclesiæ Christi confirmandæ & latius in dies propagandæ intentus unice Petrus, Cæsarea Antiochiam venit, Ecclesiamque in ea constituit, cujus ipse primus Episcopus fuit. Id Origenes, Eusebius, Chrysostomus, Gregorius, atque omnes ferme veteres uno ore tradiderunt; affirmant enim Petrum exactis in Antiochena Cathedra aliquot annis Romam postea divertisse, ut principem Imperii urbem Christianum quoque primam præcipuamque sedem constitueret, atque

Petrus Ecclesiæ Antiochenæ Fundator.

JESU CHR. AN. 36.

hinc factum, ut Antiochceni Episcopi Petri Successores appellarentur a Conciliis; & omnibus in Oriente, ac reliquis, post Romanam & Alexandrinam, toto Christiano orbe Ecclesiis Antiochena dignitate præstaret. Hoc autem potissimum anno fundatam a Petro fuisse vero per quam simile existimamus. Hæc enim apud Eusebium occurrunt, Olympiadis 205. anno secundo (uti emendatioris Eusebiani Chronici Codices habent.) *Petrus Apostolus, cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur*: Porro annus secundus Olimpiadis 205. cum anno Christi 42., Claudii secundo concurrit; a quibus si demas septem annos, quibus Petrus Antiochenæ Ecclesiæ præfuit, ad labentem 36. Christi pervenies; de hac Petri Antiochena sede ita S. Gregorius ad Eulogium. *Ipse firmavit Sedem Antiochenam, in qua septem annis quamvis discessirus sedit*. Fasti præterea Alexandrini *indict.* IX. *Leliano, & Plautio Cos.* (legendum Alennio, & Plautio) *quarto anno Ascensionis Domini, Petrus Apostolus Hierosolimis profectus in magna Antiochia Dei verbum docuit*. His adstipulatur auctor libri Pontificalis sub Damasi nomine, in quo habetur, septem annis Petrum Antiochenam rexisse Ecclesiam. In quibusdam certe Eusebiani Chronici exemplis, Olympiadis 203. anno quarto legitur; *Petrus Apostolus Anthiochenam Ecclesiam fundavit, ibique Cathedram adeptus, sedit annis 25.* Verum uti jamdiu animadvertit Petavius, *Prior illa de Antiochensi Sede Lacinia germana non est, cum nec in veteribus libris appareat; & absurde Petrum Antiochiæ doceat annis 25. mansisse*; quod de Romana Ecclesia inferius tradit, Olympiadis 205. anno secundo.

Orig. hom. 6. Lucam. Euseb. Chron., & in h. st. l. 3. 36. Chrysost. t. 5. hom. 12, & t. 1. hom. 42. hieronym. de viris illust. c. 1. S. Leo serm. 80. Innoc. I, Gratianus Conc. to. 2. p. 1285., & t. 4. p. 1262. Greg. lib. 6. ep. 37. Inter opera Hieron. t. 8. p. 660. Gregor. ut sup.

Tom. 1. Annotat. in Petr. Euseb. Chron. p. 653. inter Hier. oper. tom. 8. Petav. Rat. temper. lib. 5. 30.

2. Ad Antiochenum Petri Episcopatum prorsus evertendum plura opponuntur. Et primo quidem Lucæ silentium objiciunt: Haud tamen *mirum*, ait Hieronymus: id a Luca silentio obvolutum; *cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit*. Addit deinde Basnagius: Si Petrus Antiochenam instituit Ecclesiam, suamque in ea sedem constituit, Evangelium ibidem Judæis, æque ac Gentibus debuit ministrare: At anno circiter Christi 40., neque a Petro, sed a Cypriis, & Cyrenæis nunciatum fuisse Gentibus Evangelium Lucas memoriæ prodidit: *Erant autem ex iis quidam viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos annunciantes Dominum Jesum*; cumque plurimi ex Gentilibus credidissent, *pervenit Sermo ad aures*

Objectiones solvuntur.

Ep. ad Galat. 2.

Basnag. an. 40. num. 20.

Act. c. 11. 20.

aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis super istis, & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Non itaque a Petro Antiochena Ecclesia instituta, sed a fidelibus dispersis, præcipue Cypriis, & Cyrenensibus, a Barnaba, & Paulo, ceterisque Apostolis, & Prophetis, quorum S. Lucas meminit. Hæc tamen, quæ a Basnagio tanta fiducia objiciuntur, antiquorum traditioni nullatenus adversantur. Nam etsi certum sit Evangelium Gentilibus Antiochiæ prædicatum fuisse a viris Cypriis, & Cyrenensibus, atque in eam urbem Barnabam deinde ea de caussa Hierosolymis advenisse; potuit tamen Petrus hoc anno Judæis primum, fortasse & Gentibus Evangelium prædicare, Ecclesiamque ibidem colligere, ac constituere; quam postea discipuli Cyprii, & Cyrenenses, Barnabas, Paulus, aliique Prophetæ, & Doctores, auxerint & firmius stabiliverint. Ceterum Baronius existimavit Petrum Antiochenam Ecclesiam fundasse, non tam præsentia sua, aut Sede ibidem constituta, sed potius auctoritate, *si enim*, inquit, *præsentia Petri quamlibet Ecclesiam primariam efficisset; tot essent numerandæ Sedes Patriarchales, quot a Petro fuerant Ecclesiæ institutæ: fuisse namque earum immensum plane numerum, nemo puto inficias ierit. Cum vero ex adverso Sedes Alexandrina, in qua aliquando fuisse Petrum, certa aliqua assertione nequaquam monstrari potest, post Romanam Sedem omnium maxima, ab eo fuerit instituta: plane perspicue intelligi posse videtur, non præsentiam Petri, sed ejus potissimum requisitam esse auctoritatem, ad constituendam Sedem aliquam Patriarchalem. Modo igitur, ut dicamus a Petro fundatam, seu erectam Sedem Antiochenam, non est intelligendum, quod ibi Petrus primo prædicaverit Evangelium: id enim factum esse ab illis, qui post necem Stephani pulsi Hierosolymis sunt, discipulis, Lucæ testimonio (quod diximus) exploratum satis, atque perspectum habetur: Sed accipiendum est, sic a Petro fundatam dici Ecclesiam Antiochenam, quod scilicet illi a Petro præcipua dignitas sit collata, ut Orientalium Sedium maxima diceretur, & esset. Quamobrem, ut a Petro peculiariter (quod tradunt omnes) fundatam agnoscamus Ecclesiam Antiochenam, dicendum est, Petrum primo erexisse, seu instituisse Sedem Patriarchalem Antiochenam; Ad quod agendum, (si velimus & hoc dicere) nulla profecto incubuit necessitas, ut Petrus abierit Antiochiam, cum ubicumque ageret, id sua, qua pollebat auctoritate, præstare potuisset.* Hactenus Baronius. Alia præterea

JESU CHR. AN. 36.

Act. cap. 11, & 13.

Ad. 13.

Bar. an. 39. 16.

JESU CHR. AN. 36.

ingenioſe magis, quam vere opponuntur: Sed qui plura de hac re cupit, conſulat potiſſimum Fogginum de Rom. D. Petri Itinere Exercit 9. & Baſchium de Patriarchis Antiochenis.

Hierarchia Eccleſ. juxta Imperii diviſionem ſtatuta. *Bar. an. 39. nu. 10.*

3. Cum totius Syriæ Metropolis eſſet Antiochia, eique Palæſtina, & Hieroſolyma civili poteſtate ſubjiceretur, factum hinc eſt, ut princeps quoque Syriæ univerſæ, ac Palæſtinæ Eccleſiaſtica Metropolis fuerit conſtituta. Apoſtolos enim, majoreſque noſtros in Hierarchia ordinanda civilem Romani Imperii diviſionem ſequutos fuiſſe, communis ferme eſt doctorum virorum ſententia. *Majores enim noſtri*, ita Baronius, *in inſtituendis ſedibus Eccleſiarum, non aliam iniiſſe rationem, quam ſecundum provinciarum diviſionem, & prærogativas a Romanis antea ſtabilitas, quamplurima ſunt exempla. Sed ſatis modo erit, unum, vel alterum huc in præſentiarum aſſerre: ac in primis illud haud longe petitum de Sede Antiochena; quæ quantumlibet a Petro ante Alexandrinam fuerit inſtituta; tamen quoniam præfectura Alexandrina Auguſtalis dicta, ab Auguſto eo nomine inſignita, magnificentiſſime præ cæteris ab eodem fuerit nobilitata, longe præſtabat Syriæ Præfecturæ; ea de cauſa factum apparet, ut quamvis Sedes Antiochena ante Alexandrinam, a Marco nomine Petri erectam, fuerit inſtituta; tamen illi poſtpoſita habeatur. Sic etiam quoniam inter omnes Orientales Præfecturas Syriæ Proconſulatus præſtabat, cum ejus provinciæ Metropolis eſſet Antiochia; inde etiam accidit, ut prima omnium Antiochena Eccleſia haberetur; & quantumvis Hieroſolymorum Eccleſia prima omnium origine temporis, & nobilitate rerum in ea conſummatarum, merito dici poſſet, ceteriſque ea de cauſa, quæ in Oriente eſſent, Eccleſiis jure præferenda videretur, illi tamen ſubjiceretur. Secundum eamdem quoque (ut apparet) rationem, non ipſa Hieroſolymorum Eccleſia eſt inſtituta Metropolis Palæſtinæ, ſed quod totius illius provinciæ Metropolis Cæſarea maritima a Romanis eſſet effecta, illic etiam ſedes Metropolitana ejuſdem provinciæ eſt decreta, ſervato tamen aliquo Hieroſolymorum Eccleſiæ honore. Habes id perſpicue declaratum ex his, quæ S. Hieronymus ex Apologia Johannis Epiſcopi Hieroſolymitani, miſſa ad Theophilum Alexandrinum, ad Pammachium ſcribit, dum ſic ait ex verbis illius*: Reſponde mihi. *Ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, (in Concilio Nicæno ſcilicet,) ut Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia.* Hæc ille. Ceterum

De Marca de concordia Sacerd. & Imp. l. 2. cap. 4. Sche. Iegbratus, Pagius Beveregius in Cod. Canonum lib. 2. cap. 5.

Cæſarea Metropolis Palæſtinæ.

Hier. lib. contra Joan. Hier. ſol. t. 2. p. 447. edit. Veron. Vallarſ.

longe

longe ante Nicænum Concilium, Cæsaream Palæstinæ Metropolim fuisse, ipse canon Concilii Nicæni non obscure significat: *Quia consuetudo obtinuit, antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva Metropolis propria dignitate.* Hæc erat Cæsarea, quæ Auctore Josepho, maxima omnium Judææ provinciæ civitatum erat. Sic igitur, ut dictum est, Antiochenæ Ecclesiæ, quæ potissima tunc temporis haberetur, Petrus, quod inter Apostolos primatum ageret, curam suscepit. Eadem fusiori stylo prosequitur hæterodoxorum doctissimus Beveregius, adversus Dallæum, qui Hierarchicum ordinem evertere conatus est. Postquam enim pluribus demonstravit, Apostolica auctoritate institutam fuisse Hierarchiam Ecclesiasticam, hæc subdit: *Qui præmissa maturo judicio, æquoque animo expendet, incertus pendere non poterit, unde horum supra alios Episcoporum primatus originem traxerit. Ex iis enim, quæ ex ipsis Scripturis hucusque disputavimus, luculenter patet, Apostolos, in Ecclesia propaganda, ad civilem Imperii Romani in certas quasdam provincias distributionem respexisse*; ut scilicet ea major Ecclesia esset, cujus Civitas præ ceteris in Imperio majori prærogativa, ac honore fulgeret. Cumque Roma præ ceteris Romani Imperii caput esset, hinc ea sedis prima evasit, ubi Petrus Apostolorum Princeps sedit. *Quod quidem non sine summa ratione ab iis*, Apostolis scilicet, *factum est*, pergit Beveregius: *Hoc enim modo Ecclesia & facilius propagari, & propagata melius administrari potuit.* Et iterum: *Cum igitur ipsi Apostoli, in Ecclesia propaganda, tantum provinciarum, & Metropoleon rationem habuerint; exemplo quidem, licet non præcepto suo, Metropolitanis, & Primatibus, in Ecclesia instituendis, occasionem præbuerunt.*

JESU CHR. AN. 36.

Concil Nicæn. Can. 7. Joseph. de bell. Jud. l. 3. c. 14. Beverег. in Cod. Canonum, lib. 2. ut supra.

4. Quamobrem cum magnopere interfit Historiæ Ecclesiasticæ studiosis distincte cognoscere in quot olim Diœceses, & provincias partiretur Romanum Imperium, quibusque Magistratibus regeretur; ejus ideo Statum, & Divisionem, qualis a Constantini Magni temporibus usque ad Arcadium, & Honorium Augustos obtinuit, hic exhibendam putavimus. Constantinus enim Romanum orbem divisit in Præfecturas quatuor, quas regebant, qui dicebantur Præfecti Prætorio Orientis, Illyrici, Italiæ, Galliarum: Præfecturas vero in varias Diœceses, & has rursum in plures Provincias; quibus, qui præerant, Consulares, Correctores, Præsides nominabantur. Porro trefde-

Distributio Provinciarum Rom. Imperii.

JESU CHR. AN. 36.

treſdecim omnino Diœceſes, quæ centum & duo deviginti Provincias complectebantur, toto Romano orbe fuiſſe conſtabit ex Tabula, quam ex vetere Monumento inſcripto: *Notitia Dignitatum utriuſque Imperii*: atque a Pancirolo doctiſſimis commentariis illuſtrato, proferimus.

Præfectus Prætorio Orientis, ſub quo Diœceſes quinque.

ORIENTIS.	ÆGYPTI.	ASIÆ.	PONTI.	THRACIÆ.
Provinciæ XV.	*Provinciæ VI.*	*Provinciæ X.*	*Provinciæ X.*	*Provinciæ VI.*
Palæſtina.	LibyaSuperior.	Pamphylia.	Galatia.	Europa.
Phœnice.	Libya inferior.	Helleſpontus.	Bithynia.	Thracia.
Syria.	Thebais.	Lydia.	Honorias.	Hermimontis.
Cilicia.	Arcadia.	Piſidia.	Cappadocia prima.	Rhodope.
Cyprus.	Auguſtanica.	Lycaonia.	Paphlagonia.	Mœſia II.
Arabia.		Phrygia Pacatiana.	Pontus Polemoniacus.	Scythia.
Iſauria.		Phrygia ſaluta.	Helleſpontus.	
Palæſtina ſalutaris.		ris.	Armenia I.	
Palæſtina II.		Lycia.	Armenia II.	
Phœnice Libani.		Caria.	Galatia ſaluta.	
Euphratenſis.		Inſulæ.	ris.	
Syria ſalutaris.				
Oſrhœna.				
Meſopotamia.				
Cilicia ſecunda.				

Præfectus Prætorio Illyrici, ſub quo Diœceſes duæ.

MACEDONIÆ,	DACIÆ.
Provinciæ VI.	*Provinciæ V.*
Achaja.	Dacia Mediterranea.
Macedonia.	Dacia Ripenſis.
Creta.	Mœſia prima.
Theſſalia.	Dardania Prævalitiana.
Epirus vetus.	Pars Macedoniæ ſalutaris.
Epirus nova.	

Præ-

JESU CHR. AN. 36.

Præfectus Prætorio Italiæ, ſub quo Dioeceſes tres.

ITALIÆ.
Provinciæ XVII.
Venetiæ.
Æmilia.
Liguria.
Flaminia, & Picenum Annonarium.
Thuſcia & Umbria.
Picenum Suburbicarium.
Campania.
Sicilia.
Apulia, & Calabria.
Lucania, & Brutii.
Alpes Cottiarum.
Rhætia prima.
Rhætia ſecunda.
Samnium.
Valeria.
Sardinia.
Corſica.

ILLIRICI.
Provinciæ VI.
Pannonia ſecunda.
Savia.
Dalmatæ.
Pannonia prima.
Noricum Mediterraneum
Noricum Ripenſe.

AFRICA.
Provinciæ VI.
Byzacyum.
Numidia.
Mauritania Sitifenſis.
Mauritania Cæſarienſis.
Tripolis.
Africa Proconſularis.

Præfectus Prætorio Galliarum, ſub quo Dioeceſes tres.

HISPANIÆ.
Provinciæ VII.
Bætica.
Lufitania.
Gellæcia.
Tarraconenſis.
Carthaginenſis.
Tingitania.
Baleares.

PROVINCIÆ.
Provinciæ XVII.
Viennenſis
Lugdunenſis I.
Germania I.
Germania II.
Belgica I.
Belgica II.
Alpes Maritimæ.
Alpes Penninæ, & Grajæ.
Mazima Sequanorum.
Aquitania I.
Aquitania II.
Novempopuli.
Narbonenſis I.
Narbonenſis II.
Lugdunenſis II.
Lugdunenſis III.
Lugdunenſis Senonia.

BRITANNIARUM.
Provinciæ V.
Maxima Cæſareenſis.
Valentia.
Britannia II.
Britannia.
Flavia Cæſareenſis.

5. In

JESU CHR. AN. 36. Patriarchales Sedes quę fuerint.

5. In tribus itaque dignitate præſtantioribus Romani Imperii Civitatibus, præcipuas majores noſtri Sedes, Patriarchales dictas, conſtituerunt, ſcilicet Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, quibus, ne quidquam priſtinæ dignitatis detraheretur cavit Nicœna Synodus: *Antiqua conſuetudo ſervetur, per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium poteſtatem habeat; quia & Urbis Romæ parilis mos eſt. Similiter & apud Antiochiam.* Eadem ferme ad Marcianum Imp. & Anatolium C. P. Epiſcopum ſcribens S. Leo ſervanda omnino mandavit. Cum tamen labente tempore is Diœceſium, & Provinciarum ordo in civili regimine mutaretur, ſuas & ipſa viciſſitudines ſenſit Eccleſiaſtica Hierarchia, & Patriarchalis dignitas Eccleſiis Conſtantinopolitanæ, atque Hieroſolymitanæ tributa fuit. Quis autem Orientalis Eccleſiæ ſtatus deinceps fuerit, quæve Provinciarum in ea diviſio ſub quatuor Patriarchis, Antiocheno, Alexandrino, Conſtantinopolitano, & Hieroſolymitano, cognoſci poterit ex Nilo-Doxo-patrio in tractatu de quinque thronis Patriarchalibus anno 1043. ad Rogerium Siciliæ Regem ſcripto, quem exhibent Leo Allatius, Scheleſtratus, Pagius, quos adeant Lectores, ſi lubet. Id tantum non eſt hoc loco prætereundum Antiochenæ Cathedræ a S. Leo Ep. 80. 96.

Petro fundatæ memoriam quotannis die 22. Februarii, Romanæ vero 18. Januarii in Eccleſia recoli, uti a Paulo PP. IV. Conſtitutione edita An. 1558. ſancitum ſapientiſſime fuit. Iiſdem enim diebus utriuſque Cathedræ Natalem Majores ſolemniter celebraſſe palam faciunt vetera Martyrologia, Kalendaria, aliique Eccleſiaſticorum officiorum libri, a quibus recenſendis, ne fruſtra in re jam ſatis explorata immoremur, conſulto abſtinemus. Bollandus D. 18. Januarii. Florentinus ad Martyrol. pag. 262. & Fogginius Exerc. 9. pag. 161. plura de his habent.

Leo Allat. de conſenſu Orien. & Occid. Eccleſiæ, Scheleſtrat. antiq. illuſtr. par. II. pag 721. ſeq. Pag. an. 89. not. 10.

6. *Hic Annus*, teſte Tacito, *gravi igne Urbem adfecit, deuſta parte Circi, quæ Aventino contigua, iiſque Aventino*: Hoc tamen damnum *Cæſar* ad gloriam *vertit, ex ſolutis domuum, & inſularum pretiis; & mille ſeſtertium, ex munificentia conlocatum*. Incendium ſequuta eſt Tiberis exundatio, quæ multa Urbis loca ſummo civium detrimento aquis devaſtavit.

Urbis incendium, & Tiberis inundatio.

7. Arthabanus Parthorum Regnum, a quo antea dejectus fuerat, Tiridate ei a Tiberio ſuffecto, facile ſuorum aliquot conſilio & ope iterum recepit; Quare Vitellius, Syriae Præ-

De bello Parthico Tiridatem inter, & Arthabanum.

Præses, a Tiberio literas accepit, quibus jubebatur: ut cum Arthabano fœdus, & amicitiam iniret: Verebatur enim, ne, occupata Armenia, majora tentaret. Convenerunt itaque ad Euphratem Rex, & Vitellius; atque in medio Pontis sibi invicem occurrentes cum suo quisque satellitio, postquam de fœdere convenerunt, Hærodes Tetrarcha utrumque excepit convivio, tabernaculo magnis sumptibus erecto in medio fluminis, nec multo post Arthabanus Darium filium obsidem Tiberio misit cum multis muneribus, inter quæ virum statura cubitorum quinque, genere Judæum, Eleazarum nomine. Fœderis conditiones Tiberio per Tabellarios nunciavit Herodes, nil amplius significandum relinquens Vitellio; qui rem gravissime tulit. Jesu Chr. an. 36.

8. Dum hæc gererentur, impostor quidam Samaritanos concitavit, effecitque, ut in Montem Garizim, apud ipsos Sanctissimum, convenirent. Affirmabat enim, se illic ostensurum vasa sacra, quæ ibi Moyses deposuerat. Creduli, sumptis armis, Tirathabam vicum insederunt, expectantes ibi confluentes ceteros, ut magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior clivium montis occupat, equitibus suis, & peditibus; qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis, eos ita fuderunt, ut plures captivos abduxerint; quorum præcipuos & potentiores Pilatus capite mulctavit. Cum ea de causa Samaritanorum primores Pilatum accusassent; jussus est a Vitellio Romam proficisci, ut apud Cæsarem de objectis criminibus responderet. Pilatus Samaritanos clade afficit. Deinde Romam mittitur.

9. Præterea inter Herodem & Aretam Petreæ Regem bellum conflatum est, commissoque prælio omnis Herodis exercitus cæsus est proditione potissimum quorumdam profugarum, qui cum essent ex Philippi Tetrarchia, fese in Herodis castra receperant. Id autem justa Dei ultione contigisse ob Joannem Baptistam ab Herode paucos ante annos crudelissime interfectum Judæorum plures existimarunt. Exercitus sui cladem Herodes Tiberio significavit; qui indigne ferens Aretæ audaciam, Vitellio Syriæ Proconsuli mandavit, ut ei bellum inferret, & vel captivum abduceret, vel occisi caput ad se mitteret. Anno sequenti Vitellius Petram Aretæ urbem properavit; cumque ascendisset Hierosolymam, quarto post adventum die de Tiberii morte nuncium accepit. Quare revocatis ex itinere copiis, re infecta, milites ad hyberna dimisit. Herodis exercitus fugatur. *Joseph. lib. 18. antiq.*

JESU CHR. AN. 36.

Agrippa Romam proficiscitur.

Joseph. Antiq. lib. 18. 6.

10. Agrippa Ariſtoboli filius, a S. Luca *Herodes Rex vocatus*, paulo ante Herodis M. obitum Romæ degens in familiaritatem Druſi, Tiberii Imperatoris filii, ſeſe inſinuaverat. Defuncta verò Matre Berenice, partim immodicis largitionibus, partim quotidiani victus ſplendore brevi ad inopiam redactus eſt adeo, ut non poſſet Romæ diutius commorari. Quamobrem in Judæam profectus, feceſſit in Caſtellum quoddam apud Malatha Idumææ; & animo defectus, quod omnia abſumpſiſſet, nec haberet, unde ſolveret, quod multis creditoribus debebat, de morte ſibi quam citius inferenda cogitabat.

Joseph lib. 18. c. 6

Verum cum id ſuboluiſſet Cypros uxor, ſorori Herodiadi indicavit. Accerſitus igitur Agrippa ab Herodiade, ejuſque viro Herode Antipa juſſus fuit habitare Tiberiade, aſignata certa pecunia, unde viveret. In extremam tamen egeſtatem poſtea relapſus, mutua pecunia a Petro Berenices Liberto accepta, Romam iterum hoc anno navigavit; Quæ occaſio fuit maximæ felicitatis, regiæque dignitatis obtinendæ. Nam in urbe degens, in amicitiam Caii receptus, cum quadam die de Tiberio Imperatore ſermo inter ipſos incidiſſet, Deum precatus eſt Agrippa, ut quamprimum Imperator locum Cajo digniori cederet. Has voces excepit Eutychus libertus, Agrippæ Auriga, qui tunc quidem ſiluit. At inſimulatus poſtea ab Agrippa, quod veſtem ei furripuerat, & ex fuga retractus, cum perductus eſſet ad Piſonem Urbis Præfectum, rogatus fugæ cauſſam ait, ſe habere ſecreta quædam, quæ cuperet indicare Cæſari, ad ipſius ſalutem pertinentia. Quapropter vinctus miſſus eſt Capreas, ubi diu in vinculis detentus eſt, donec Tiberio exhibitus Agrippæ votum aperuit. His auditis Tiberius, illico Macroni mandat, ut Agrippam in vincula conjiciat. Ad preces fruſtra converſus Agrippa, a prætorianis, purpuratus licet, in vincula conjectus fuit. Verum defuncto poſt aliquot menſes Tiberio, a Cajo ſucceſſore, anno ſequenti, e cuſtodia eductus ad ſummam felicitatem pervenit. Eum enim ad ſe accerſitum Cajus tonderi veſtemque mutare juſſit, deinde impoſito in ejus capite Diademate, Tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat, Regem conſtituit, addita etiam Lyſaniæ Tetrarchia & auream catenam pro ferrea ei dedit pari pondere.

Agrippa in vinculis conjicitur.

JESU

JESU CHRISTI AN. 37. PETRI APOST. AN. 6.
C. CALIGULA IMP. I.
COSS. CN. ACERRONIO PROCULO, ET C. PONTIO NIGRINO.
AN. URB. 790. OLYMP. 204. AN. I.

JESU CHR. AN. 37.

1. Cum Petrus, labente Chriſtianæ æræ anno 37., Syria, & Judæa peragrata Hieroſolymam aſcendiſſet; *diſceptabant adverſus illum, qui erant ex circumciſione, dicentes; quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Audierant enim Gentes recepiſſe verbum Dei, & Petrum in Cornelii Centurionis domo aliquanto tempore cum eo fuiſſe verſatum. Petrus tamen enarrans ordine, quæ Cornelii Baptiſmum præceſſerant, omnium, quæ geſſerat, rationem reddidit, oſtenditque non ſua, ſed Dei voluntate factum, ut Gentes in Eccleſiam admitterentur. *Quibus auditis, tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes*: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Hinc *vide*, (ait Chryſoſtomus) *quam alienus ſit a faſtu, & vana gloria Petrus; vide, quomodo rationem reddit, & non vult doctoris auctoritate uti: ſciebat enim, quod quo modeſtius loqueretur, hoc magis iis prodeſſet*; & quod paſtoribus jubet, ut parati ſemper ſint ad ſatisfactionem omni poſcenti eos rationem de ea, quæ in ipſis eſt, ſpe exemplo docuit.

Judæi, ad fidem converſi, adverſus Petrum conqueruntur, quibus rationem reddit. *Act. cap. 11.*

Chryſoſt. hom. 24.

Petri epiſt. 1. 3.

2. Hoc eodem anno, a Pauli converſione tertio, cum idem Apoſtolus Evangelium Damaſci prædicaſſet, inſidias Judæorum declinans, Hieroſolymam venit: *Deinde poſt annos tres*, ut ipſe ſcribit, *veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim*. Poſtquam enim ab Anania baptizatus fuit, illico Damaſco Evangelium prædicavit; deinde in Arabiam ſeceſſit, ideſt in locum aliquem ſolitarium, & in Regione Aretæ Arabiæ Regis, cujus urbs præcipua erat Damaſcus. Quanto autem tempore in ſolitudine fuerit, incertum eſt; ſed non diù ibidem manſiſſe ideo credi poteſt, quod de eo Pauli receſſu in Arabiam ne verbum quidem S. Lucas habeat, qui eum diebus multis in Damaſco manſiſſe memorat. Quare toto fere triennio Apoſtolum in Arabica ſolitudine permanſiſſe, ut habet Capellus, inverosimile eſt; Quo ſpiritu autem in deſertum ductus ſit, Apoſtolus ipſe ad Galatas ſcribens ſic exponit: *Cum autem placuit ei, qui me ſe-*

Paulus Hieroſolymam venit, Judæorum inſidias deviteans. *Ad Gal. 1.*

Act. 9. 23. Bar. an 37. 1. Uſſer. p. 636. Capell. hiſtor. Apoſt. pag. 9.

JESU CHR. AN. 37. *gregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquievi carni, & ſanguini, neque veni Hieroſolymam ad Anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam; & iterum reverſus ſum Damaſcum.* Cur vero, relicta Damaſco, Hieroſolymam venerit, Lucas admonet: *Cum autem implerentur dies multi, conſilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent. Notæ autem factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum. Cuſtodiebant autem & portas die, ac nocte ut interficerent, accipientes autem eum diſcipuli nocte, per murum dimiſerunt eum, ſubmittentes in ſporta.* Eadem & ipſe Paulus ad Corinthios his verbis: *Damaſci Præpoſitus gentis Aretæ Regis, cuſtodiebat Civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & effugi manus ejus*: Cum enim, ut paullo ante dictum eſt, bellum Romani adverſus Aretam Regem gererent, facile fuit Judæis, qui Paulum oderant, Aretæ Regis Præfecto ſuadere, Paulum, utpote Romanum civem, illuc tamquam exploratorem advenisse. Ubi vero Hieroſolymam venit, *tentabat ſe conjungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes, quod eſſet diſcipulus: Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos: & narravit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia loquutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine Jeſu. Et erat cum illis intrans, & exiens in Hieruſalem, & fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognoviſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum.*

Act. 9.

2. Cor. 11.

Act. cap. 9.

Qua de cauſa Paulus ad Petrum venerit. Ad Galat. 1. 18.

3. Timor autem Diſcipulorum indicat, tunc primum poſt converſionem illuc advenisse Paulum, qui Hieroſolymam aſcendit, ut Petrum Apoſtolorum Principem videret: *Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam*, ut ipſe teſtatur, *videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim; alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.* Ut obſequium ergo præſtaret Petro, Paulus ad eum venit: *Nam & quod juſſus ſit ire Hieroſolymam*, ait Hieronymus, *ad hoc iſſe, ut videret Apoſtolum, non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eumdem prædicationis haberet auctorem, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi*; Congruit Ambroſiaſter: *Dignum fuit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delega-*

Hier. ad Gal 2.

Ambr. in Epiſt. ad Gal.

legaverat curam Ecclesiarum, non utique, ut aliquid ab eo disceret &c. Neque dissentiunt Theodoretus, OEcumenius, & Chrysostomus: *Post tam multa, tamque præclara gesta; cumque Petro nulla in re indigeret... tamen ascendit tamquam ad majorem, ac seniorem, solusque Petri conspectus commovit illum, ut eo proficisceretur. Videns, quomodo illi tribuit congruentem honorem, neque solum non ducit se illi meliorem, verum ne parem quidem esse putat, quod ex ipsa profectione liquet.* Elapsis vero diebus quindecim Paulus Hierosolyma excessit, a Domino admonitus, hisce verbis, *Exi velociter ex Hierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me;... vade: quoniam ego in nationes longe mittam te*; atque inde discedens a fratribus Tarsum deductus est, ut eum a Judæorum furore subduceret.

JESU CHR. AN. 37. *Theodor. Chrys. Oecum. in epist. ad Gal.* *Act. 22. 17.*

4. Senio, viribusque exhaustus Tiberius obiit tandem die XVII. Kal. Aprilis, si Svetonio ex Tacito credendum; vel VII. si Dioni, postquam imperasset ab Augusti morte annos 22. menses 7., dies totidem; non mensibus quinque, aut sex, ut habet Josephus. Vulgata Tiberii morte, populus Romanus, ut ejus corpus in Tiberim projiceretur, rogavit, vel ad uncum, Gemoniasque daretur; Caji tamen opera, & militari manu Romam delatum, honorificentissima sepultura conditum est.

Tiberii Imperium, cui Cajus Caligula succedit. *Suet. in Tib. 13. Tacit lib 6. 50. Dio lib 58. Joseph. antiq. lib. 18 8. de bello Jud. lib. 2. 7.*

5. Nepotes duos reliquit, nempe Cajum Caligulam, Germanici a Tiberio adoptati filium, atque Imperii successorem, & Tiberium Gemellum, Drusi filium. Reliquit & filium, Drusum scilicet, sed adhuc impuberem, & Imperio imparem, vix enim septimum & decimum annum attigerat. His adde Tiberium Claudium Germanici fratrem, infirma mente. An nepotes Cajum, & Tiberium Imperii hæredes reliquerit, in dubio est. Josephus tradit, Imperium reliquisse ei, qui prior cubiculum quadam die intrasset, eoque augurio Successorem sibi elegisse. At contra Philo, & Dio, utrosque Imperii hæredes dictos fuisse indicant: *Suum Patruelem, & Imperii cohæredem, & propiorem Successorem Tiberii, quod his natura, ipse adoptione nepos esset, occidit.* Coheres itaque, Philone auctore, una cum Cajo, eoque propior erat Tiberius, Gemellus dictus. Consentit & Dio: *Reliquerat sane Tiberius nepoti suo Tiberio principatum, sed Cajus testamentum per Macronem in Senatum misit, idque Consulum, reliquorumque, ante hoc præpara-*

Cajus solus imperat.

Joseph. antiq. l. 18. 8.

Philo legat. ad Caj. Dio lib. 59.

JESU CHR. AN. 37.

paratorum, ſententiis irritum judicari fecit, tanquam ab homine mentis impote, qui Imperium puero, cui ne in curiam eſſet per ætatem aditus, commiſiſſet; Sententia itaque Senatus, non Tiberii teſtamento, Cajus ſolus Imperium obtinuit.

De geſtis Caii Imp.

6. Ubi imperare cœpit, multa benignitatis, benevolentiæ, liberalitatis in Senatum, populumque indicia dedit; ingreſſus enim Curiam, ſe communicaturum cum ipſis Imperium, cunctaque eorum arbitrio acturum teſtatus eſt; in carceribus vinctos dimiſit; actiones læſæ majeſtatis, quibus Urbs vexabatur, ſuſtulit; Senatoribus epulum, ſpectacula populo præbuit. At nondum quis eſſet Cajus apparebat, nec diuturna fuit ex eo ſuſcepta lætitia. Brevi enim ſe Tiberio defuncto ſimillimum oſtendit, quem etiam avaritia, crudelitate, libidine non æquavit modo, ſed vicit: Et nondum exacto anno Tiberium Imperii cohæredem, qui jam ex ephebis exceſſerat, quemque juventutis Principem dixerat, & adoptaverat, interfecit, eo crimine accuſatum, quod mortem ſpſius optaſſet. Quis Cajus fuerit, hac ſententia declarat Seneca: *Hunc mihi videtur rerum naturam edidiſſe, ut oſtenderet quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent*.

Dio. lib. 59.

Seneca de conſol. ad Albinum.

De Neronis ortu, & Joſephi hæbræi. *Svet. in Ner. cap. 6. Dio lib. 61. Tillem. tom. 1. hiſt. Imp. pag. 252. Pag. not. 1. ar. 54. Murat. Baſnag. hoc an. Joſephi vita c. 1. to. 1. edi. Amſtel.*

7. Neronis nativitas labentem annum Orbi terrarum infauſtum reddidit; nil enim niſi deteſtabile ex ſe ipſo, & Agrippina naſci potuiſſe, ipſe Domitius pater amicis gratulantibus reſpondebat. In lucem editus fuit Decembri menſe *Antii poſt novem menſes, quam Tiberius exceſſit 8. Kal. Januarias*, ut Svetonius refert. Natum quoque hoc anno celeberrimum Judaicæ nationis hiſtoricum Joſephum, prodit ipſe in vita ſua: *Porro Mathias me genuit Imperii Caii Cæſaris anno primo*.

JESU CHRISTI AN. 38. PETRI APOSTOLI AN. 7.
CAII CALIG. IMP. 2.
Coss. M. AQUILIO JULIANO, ET P. NONIO ASPRENATE
AN. URB. 791. OLYMP. 204. AN. 2.

Petrus Judæis per varias provincias Evangelium prædicat.

1. Quæ his Conſulibus ab Apoſtolis geſta fuerint, ignoramus. Lucas enim ea tantum memoriæ prodidit, quæ poſtea contigerunt, cum Petrus Apoſtolus ab Herode in carcerem miſſus eſt. Ad hæc tamen tempora referenda omnino videntur, quæ communi traditione conſtant de Petri prædicatione ad Judæos Ponti, Galatiæ, Bithiniæ, Cappadociæ, & Aſiæ, quibus poſtea

stea anno Christi 43. epistolam primam scripsit. Constat enim ex Eusebio, Hieronymo, Epiphanio, Leone, aliisque, Petrum illas regiones peragrasse antequam Romam peteret, & epistolam scriberet: Id quod perperam sane a Pearsonio impugnatur: *At Petrus, inquit Eusebius, per Pontum, Galatiam, Bithiniam, Cappadociam, atque Asiam Judæis, qui in dispersione erant, prædicasse existimatur. Qui ad extremum Romam veniens &c.*

Jesu Chr. an. 38.
Euseb. lib. 3. c. 1. S. Leo serm. 80. Hier. de vir. illustr. c. 1. Pears. de serie Romanæ episcopis pag. 56. 57.

2. Cajus Caligula aliqua laude, plurima vero vituperatione, & odio digna perpetravit: Urbis enim incendium, militum ope extinxit; damnum refecit, & Comitia populo restituit. Contra cum die quadam fontem nullum haberet, quem feris objiceret, obvium quemque abripi jussit, & lingua præcisa, ne Deos hominesque interpellare posset, feris laniandum dari mandavit. Macronem præterea, ejusque uxorem Enniam, cum qua ante Imperium adulteria perpetraverat, cuique unice Imperium debebat, ad voluntariam mortem adegit.

De Caji crudelitate, qui Maconem interfecit.

Dio lib 59. Suet. in Calig. Philo de legat. ad Cajum, & lib. contra Flaccum Suet., & Dio, ut supra.

3. Drusillam Sororem, quam prætextatus adhuc stuprasse tradebatur, ubi imperium adeptus fuit, a viro suo Lucio Cassio Longino abreptam, palam pro uxore habuit; deinde M. Lepido nuptui tradidit, atque hoc tandem anno defunctam publica sepultura donavit, justitio indicto, in quo risisse, aut convivio quemquam excepisse capitale fuit. Pancis denique post diebus Loliam Paulinam marito Memmio Regulo ereptam sibi despondit, ac copulavit.

De Caji libidine.

Suet. Dio, ut supra.

4. Interea Agrippa Herodes in Judæam rediit: *Altero deinde anno*, ait Josephus, *principatus Caii Cæsaris, Agrippa petiit veniam navigandi in suum Regnum, ordinandi illud gratia, reversurumque se hoc peracto pollicitus.* Sed quid ubi Alexandriam pervenit, ei contigerit, ex Philone audiamus: *Discedenti in suum Regnum Cajus suasit, ne a Brundusio solveret, petiturus Syriam, quod navigatio ea longa esset, atque difficilis; uteretur potius compendiaria per Alexandriam, expectatis Etesiis. Ajebant enim Ægyptias onerarias, celerrimas, & gubernatores harum egregios, qui more aurigarum certantium rectum cursum teneant. Paruit ille, ut domino consulenti utilia. Cumque descendisset Puteolos; & naves Alexandrinas in Portu paratas ad solvendum invenisset, prospera navigatione usus, post paucos dies, inexpectatus, & improvisus appulit; jussis gubernatoribus, cum sub vesperam Pharus se proferret, vela contrahere, & ibi circa ipsum in salso manere usque ad crepusculum, ac*

Agrippa Herodes in Regnum proficiscitur.

Philo in Flaccum.

JESU CHR. AN. 38. *ac nocte demum Portum subire: ut excedens, omnibus jam dormientibus, nemini conspectus perveniret ad suum hospitem. Tanta ille venit cum modestia, volens, si fieri posset, omnibus insciis Urbem excedere; non enim visendæ hujus causa venerat, quam ante adierat, Romam navigaturus ad Tiberium; sed quærebat compendiosum ad suos reditum.*

Quid Alexandrini in Agrippam egerint. *Philo ut sup.*

5. *At Ægyptii rumpebantur invidia, quod ipsis est natiovum vitium; & alienam felicitatem suum interpretabantur infortunium; tum etiam ob inveteratam cum Judæis simultatem, ægre ferebant, extitisse Judæorum Regem quempiam, haud aliter, quam si ipsi avito Regno exturbarentur singuli. Rursumque miserum Flaccum Ægypti præfectum irritabant, incitando ad eamdem invidiam his vocibus: Tua pernicies erit hic advena: majore quam tu splendore, & fastu septus est; omnes in se convertit spectantes, satellitium argenteis clypeis, & inauratis armis nitidum. Et quid opus erat venire ad alienam provinciam, cum posset in suum ditionem tuto deduci classibus? Nam etiamsi Cajus permitteret, atque adeo cogeret, debuerat deprecari hanc profectionem, ne sua felicitate officeret Præsidi, suo splendore obscurando ejus gloriam. His ille auditis, magis etiam turgebat, quam antea; palam quidem socium, & amicum simulans, quod timeret Imperatorem, a quo missus erat; privatim tamen odium, & æmulationem aperiens, & ex obliquo eum contumeliis appetens, quando id non audebat in faciem. Nam urbanam multitudinem otiosam, segnemque, nec alia re occupatam, quam garrulitate, convitiis passus est Regi maledicere, sive ab ipso Præside fuerit exortum obloquendi principium, sive alios etiam huc impulerit per eos, qui non gravatim offerunt ad talia suum ministerium; qui occasionem nacti, totos dies traducebant in gymnasio sermonibus scurrilibus, jactantes in eum dicteria; nonnunquam etiam minographorum, & id genus poetarum ludicris carminibus abutebantur, ad prodendam obscœnitatem ingenii ad talia, magis quam ad honestas artes prompti, ac dociles; alioqui Præses indignatus objurgasset, multasseteque arrogantem maledicentiam. Immo etiamsi rex non fuisset familiaris Cæsaris, tamen non debuerat habere aliquod honoris privilegium? quæ certe argumenta sunt manifestissima, Flaccum ejus maledicentiæ fuisse conscium. Nam qui castigare, aut saltem, cohibere valens, non cohibuit, satis apparet, quod permiserit. Ubi vero vulgus incompositum occasionem peccandi*

Delusus in Caraba Rex Judæorum.

acce-

accepit, non facile desistit, novis erratis priora cumulans. Erat quippe quidam insanus, nomine Carabas, non ex illo conspicuo furiosorum genere, sed leviore correptus insania. Is interdiu, noctuque nudus oberrabat per compita nec æstum nec frigus devitans, puerorum, & adolescentium ludibrium. Hunc miserum propulsum ad gymnasium, in superiori loco statuunt, ut spectari posset ab omnibus; moxque capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori floream induunt, pro sceptro fustum arundinis humo sublatum quidam ei dedit in manum: sic ornatum regiis insignibus, & in Regem transformatum, more histrionico, adolescentes perticas in humeris gestantes, stipabant pro satellitio; tum alii salutatum accedebant, alii sibi reddi jura petebant, alii consulebant eum de Republica. Post hæc acclamatum est a circumstantibus magna voce Marim appellantibus, quod nomen Syris significat Dominum; norant enim Agrippam Syrum genere, & regnare in bona portione Syriæ. His auditis, immo visis, Flaccus, cum debuisset illum insanum conjicere in carcerem, ne illusoribus præberet materiam petulantiæ; atque etiam ipsos subornatores, quod Regem Cæsaris amicum, a Senatu Romano honoratum ornamentis prætoriis, aussi sint apertis, obliquisque contumeliis lacessere, non solum eos non castigavit, sed ne cohibere quidem dignatus est; licentiam dans malitiosis, & quicquid videbat, audiebatque dissimulans. Hactenus de his, quæ in Agrippam Judæorum Regem ab Alexandrinis facta sunt. Sed maximorum hæc initia malorum fuerunt; nam peracta vix histrionica scena insani Regis Carabæ, mox luctuosa subsecuta est, quæ hoc anno Alexandriæ incœpta, per sequentes prorogata, toto imperio Romano Judæorum gentem ad exitium tandem perduxit.

JESU CHR. AN. 38.

6. Alexandrini enim summo mane in Theatrum, redempto jam Flacci favore, confluentes, unanimiter conclamaverunt, *dedicandas esse in proseuchis statuas*, (Imperatoris scilicet, in Judæorum Synagogis, a quo magnopere abhorrebant Judæi) *petentes licentiam nunquam auditi facinoris*. Qua vero ratione rem perfecerint, idem Philo in legatione ad Cajum suscepta pro Alexandrinis Judæis his verbis narrat: *Proseuchas quotquot diruere incendereve non potuerant, quod accolerentur magna Judæorum frequentia, alio modo perdiderunt. Nam effigies Caii statuerunt in omnibus, in maxima vero ac celeberrima sublimem quadrigis æneis, idque tam præpropero studio, ut cum ca-*

Judæorum Synagogæ Alexandriæ destruuntur, aut erectis ibidem Statuis violantur.

Philo legat. ad Cajum.

JESU CHR. AN. 38.

rerent novis quadrigis, veteres æruginosas, auribus, caudis, pedibusque mutilatas, e gymnasio raperent olim dedicatas, ut fertur, Cleopatræ, quæ fuerat ultimæ hujus nominis Reginæ proavia. Verumtamen non in Profeucas tantum, sed & in fortunas, vitasque Judæorum ab Alexandrino populo sævitum est, consentiente, & plaudente Præside Flacco.

Judæorum calamitates varias.

7. *Ergo*, pergit Philo, *postquam is contra legem conatus visus est Præsidi succedere profeuchas tollenti, ut ne nomen quidem reliquum fineret, rursum aggressus est alia nostra instituta pessumdare; ut his abscissis, quibus solis nostra vita sustinetur, tanquam sacra anchora, ademptoque jure civitatis, in calamitates incideremus maximas, destituti omni præsidio. Post paucos enim dies edictum proposuit, in quo nos appellabat inquilinos, & exteros, ne causæ quidem dicendæ potestatem faciens, sed injudicatos condemnans: quo quid potest esse magis tyrannicum? Ipse sibi usurpabat partes delatoris, inimici, testis, Judicis, pœnarum exactoris. Tertium quoque scelus addidit, non contentus duobus prioribus, passis quoslibet in Judæos, tanquam bello captos sævire; qui nacti licentiam, quid fecerunt? Quinque sunt Urbis regiones denominatæ a primoribus litteris: harum duæ dicuntur Judaicæ, quod in his plurimi Judæi habitent, quamvis & in aliis non pauci sparsim habeant domicilia. Quid igitur fecerunt? e quatuor litteris expulsos Judæos concluserunt in unius partem angustissimam. At illi, quod plures essent, quam ut is locus eos caperet, egrediebantur ad littora, & monumenta, & sterquilinia, exuti rebus suis omnibus. Inimici verò, facto in desertas domos impetu, prædas, tamquam jure belli partas, dividebant; effractisque Judæorum officinis, quæ tum propter luctum mortis Drusillæ clausæ fuerant, hinc quoque plurima egesserunt, quæ in medium forum translata verterunt in usus proprios. Sed minus nocebant rapinæ, quam abrupta negotiatio; cum creditores amisissent pignora, nec sineretur ullus Agricola, nauta, negotiator, opifex exercere artes solitas. Ita non simplex eis parabatur pauperies, vel quod una die spoliabantur suis facultatibus, vel quod non dabatur quæstum facere more solito. Hæc quamvis molesta, videbantur tamen tolerabilia, collata cum cæteris.* Et post alia multa hæc sequuntur. *Post domos direptas, exactis habitatoribus, atque ita desolatas partes Urbis plerasque, tamquam obsessi undique ab inimicis, & oppressi gravi rerum victui necessariarum inopia, inspectantesque parvos liberos & uxores*

Philo in Flac.

res ante ora ſua fame deficere, inducta per adverſarios (nam de cætero felix annona erat ubique, & flumen ſtagnationibus juſtis arva inundarat largiter, & campi frugiferi frumenti copiam magnam protulerant) jam egeſtatis impatientes, quidam ad cognatorum, & quondam amicorum Ædes ibant, præter ſolitum petituri ſtipem neceſſariam; alii generoſiores aſpernati mendicorum fortunam, ut illiberalem, prodibant in forum tantum, ut ſibi, ſuiſque cibos emerent miſeri; mox enim a vulgo ſeditioſo correpti ſunt, occiſique; corpora quoque horum per totam Urbem raptata, ut ne ad ſepulturam quidem ullum membrum fieret reliquum. Eadem rabie perierunt & alii plurimi, novis crudelitatis formis excogitatis per efferatam in mores belluinos plebeculam. Nam ubicumque Judæi conſpicerentur, aut ſaxis conjectis enecabantur, aut inflictis fuſtibus, nec ſtatim plagis lethalibus appetebantur, ne accelerata morte cito eriperentur cruciatibus. Alii ferociores abuſi præſenti licentia, contemptis hebetioribus, arma acceperunt efficaciſſima, ignem, ferrumque; & multos gladiis confecerunt, nec pauciores concremaverunt. Interdum familias integras, maritos cum uxoribus, parvulos cum parentibus in medio foro exurebant immaniter, nec ſenium, nec teneram ætatem miſerati, nec ejus innocentiam; & quoties ligna deerant, collectis ſarmentis, non tam igne, quam fumo necabant eos, quo diutius morerentur, & miſerius: quorum cadavera ſemiuſtulata confertim jacebant, & promiſcue, triſte horrendumque ſpectaculum. Quod ſi lignatores ſarmenta inferrent tardius, impoſitos ligneæ ſupellectili urebant ejus dominos, ſubtracta pretioſiore, viliori utendo pro lignis vulgaribus ad rogos extruendos. Multos etiam vivos in alterum pedem fune injecto trahebant, interim inſultando calcibus, excogitato genere mortis acerbiſſimo; nec in extinctos remittebant iram, gravius ſæviendo in cadavera propemodum per omnes Urbis angiportus raptata, donec lacerata cute cum nervis, & carnibus, & fruſtis ſparſim in aſpero ſolo hærentibus minutim concerperentur.

JESU CHR. AN. 38.

Fames & cædes Judæorum.

8. *Interea quidam eorum, tanquam in theatro ſe indoleſcere ſimulabant ad talia ſpectacula; ceterum qui vere dolebant ſuorum vicem, cognati, amicique confeſtim pœnas dabant intempeſtivæ, ut inimicis videbatur, miſericordiæ, arreptique flagris cædebantur, & poſt omnia tormenta, quæ poterant excipere corporibus, tandem in crucem agebantur. Poſtquam autem Flaccus perfodit omnium Judæorum paricteſ, & nihil intactum reliquit,*

Judæi flagris cæſi.

JESU CHR. AN. 38.

in eorum perniciem immane quiddam commentus eſt, novarum ſemper inventor injuriarum: nam e Senatu noſtro (quem Auguſtus ſervator optime de nobis meritus inſtituit, ceu publicum Judæorum conſilium, miſſis ſuper ea re litteris ad Maximum deſignatum Ægypti Præſidem) triginta octo comprehenſos in ſuis privatis Ædibus conſeſtim vinciri juſſit; traductoſque egregia pompa per medium Forum ſenes, reductis in tergum manibus, ligatos partim loris, partim ferreis catenis induxit in theatrum; ſpectaculum miſerabile, nec illi tempori, aut loco debitum; ſtatuitque coram inimicis eorum ſedentibus ad majorem ignominiam, juſſit nudatos flagellari, tanquam ſceleſtos, & nocentiſſimos, ut conſciſſi verberibus, aliquot mox ut inde ſunt elati, exhalarint animam: reliqui deſperata ſalute cum diuturno morbo conflictati ſint. Quod facinus etſi alias deprehenſum eſt nihilominus hic quoque declarabitur. Ex dicto Senatu tres, Evodius, Tryphon, Andron bonis ſpoliati fuerunt, direptis eorum Ædibus uno impetu, nec id latuit Præſidem; didicerat enim accitis noſtris magiſtratibus, quaſi acturus de concordia; & tamen quamvis ſciret ſpoliatos fuiſſe, verberabat in conſpectu eorum, qui ſpoliarunt, ut alteris calamitatem geminaret, addito ad pauperatem cruciatu corporis; alteri duplicem voluptatem caperent, ex conceſſis ſibi alienis opibus, & inimicorum ignominia. Dicam parvum quiddam, quod an inter tanta mala dicendum ſit, dubito; ſed quamvis parvum, non parvam tamen indicat malitiam. Eſt in illa urbe flagrorum differentia pro eorum conditione, qui cæduntur; aliter enim Ægyptii flagellantur ab aliis. Alexandrini vero virgis cæduntur ab Alexandrinis Victoribus, quos vocant Spatephoros; hunc morem & in noſtris hominibus ſervarunt ſuperiores Præſides, & ipſe quoque Flaccus primis ſui magiſtratus temporibus. Eſt certe non parvum quoddam ſolutium, & in cruciatu remiſſionis nonnihil, quando res ita ut ſunt, ſinuntur, nec augetur malitioſe moleſtia. Sed cum accedit odium, nihil æquitati relinquitur. An non fuit iniquiſſimum, cum de plebe Alexandrina Judæi liberalibus, & civilibus flagris punirentur, ſi quando viderentur commeriti; Magiſtratus, Senatoreſque honoratos, vel ipſis appellationibus hac parte inferiores haberi ſuis ſubditis, & ex æquo cum Ægyptiorum obſcuriſſimis maximorum flagitiorum pœnam luentibus corpore?

Judæi diebus feſtis crucifixi.

9. Omitto dicere, quod etiamſi peccaſſent graviſſime, debuerat habere temporis rationem, atque reverentiam, & differre

Jesu Chr. an. 38.

re multitationem in aliud. Num bonis Præfidibus, & recte, non insolenter administrantibus Rempublicam, mos est in neminem damnatum animadvertere, donec solemnes celebritates, natalitiaque Augustorum festa prætereant. At ille per hos ipsos dies injustis pœnis affligebat homines innoxios. An non poterat postea, si voluisset easdem ab illis exigere? Sed properabat, urgebatque negotium, ut turbis adversariorum gratificaretur, ratus eo modo se impetraturum eorum favorem ad exequenda consilia, quæ agitabat animo. Atque quosdam jam crucifixos, instante tali festo, de Cruce depositos, & ad Sepulturam ex more cognatis redditos; quandoquidem decebat, vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris natalibus simul celebritati suum sacrum honorem servari. At iste non mortuos deponi de crucibus, sed vivos crucifigi jubebat: quibus ipsum tempus non quidem absolutionem, brevem tamen dabat veniam, & pœnæ procrastinationem; nihilominus ante flagellabuntur in medio theatro, & igne, ferroque torquebuntur, spectaculis distributis in hunc modum. Mane usque ad horam tertiam quartumve Judæi flagellabantur, suspendebantur, loris alligabantur, damnabantur, per mediam orchestram ducebantur ad supplicium: deinde post hæc tam præclara exempla edita inducebantur saltatores, mimi, tibicines, aliaque ludicra scenicorum certaminum. Sed quid miraris Philo, inquit Baronius, de cæsis, ac crucifixis Judæis diebus festis? in memoriam revoca, quid Hierosolymis aliquot ante annis gestum sit in Jesum Christum; quem, obnitente licet Pilato Præside, festis paschalibus ad mortem Crucis Judæi petierunt? En sanguis ejus exquiritur, prout sibi voverant, clamantes: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Sed tragœdiam prosequamur; *quid multis? excogitata est secunda vastatio*; cum scilicet milites per Judæorum domos missi essent scrutari, num arma abscondita haberent; nulla tamen fuerunt inventa, *immo ne cultri quidem apti culinæ usibus.*

Quid instituit per Flaccus in Judæos.

10. *Totum id negotium dolus erat Flacci pertinaciter nobis infensi, & vulgum exasperantis in nos, non parcendo vel mulieribus. Nam non solum in foro, sed & in medio theatro, tanquam captivæ corripiebantur, & ob quamvis calumniam in scenam trahebantur non sine gravissimis contumeliis: deinde cognito, eas esse alterius generis, dimittebantur: multas quasi Judæas comprehendebant, priusquam rem diligentius dispicerent. Quoties autem nostræ comperiebantur, ex spectatoribus facti tyran-*

JESU CHR. AN. 38.

ranni, & domini, jubebant ei carnes fuillas afferri; quas quæcumque metu tormentorum guſtabant, ſine majore alia vexatione dimittebantur; quæ vero ſibi temperabant, tortoribus tradebantur ad cruciatus maximos: quod fuit eximium argumentum earum innocentiæ. Hucuſque Philo de injuriis per Flaccum illatis in Judæos Alexandrinos; quas etiam proſequitur in Libro, quem ſcripſit de legatione ad Cajum. Hiſce officiis Flaccus Ægypti Præfectus, gratiam Caii promereri ſtudebat, quam olim, Tiberii tempore, demeruerat; quod, ut idem Philo teſtatur, unus fuiſſet ex his, quorum inſidiis Caii mater delata perierat. Cæterum injuriæ memor Cæſar, hoc eodem anno, autumni tempore, quo Judæi agunt ſcenopegiam, miſſo Baſſo Centurione Alexandriam, eumdem Flaccum in convivio diſcumbentem in vincula conjici, Romamque perduci juſſit, & mulctatum bonis, in Andrum Inſulam relegavit; ubi non multo poſt, miſſis militibus, occidi præcepit. Quod vero ſpectat ad Judæos, non caſu quidem eſt factum, ut permitteret Deus, tam immanem beſtiam in eos ſævire. Peccatum quippe illorum, quo Chriſtum Deum crucifixerant, ſcriptum (quod ait Propheta) ſtylo ferreo in ungue adamantino, in ipſos clamans, meritas expoſcebat poenas, dequibus infra ſæpius dicturi ſumus.

Philo in Flac.

Flacci finis.

Judæorum ultio incipit, nunquam deſitura.

JESU CHRISTI AN. 39. PETRI APOST. 8.
C. CALIGALÆ IMP. 3:
COSS. CAJO AUG. II. ET L. APRONIO CÆSANO I.
AN. URB. 792. OLIMP. 204. AN. 3.

Paulus Tarſi evangelizat.

1. Vix quidquam de Apoſtolorum geſtis dicendum hoc anno occurrit, ob Lucæ ſilentium: ex Paulo Apoſtolo ſcimus, ipſum, cum Hieroſolyma aufugiſſet, uti jam diximus, Tarſum veniſſe, ibique Evangelium prædicaſſe: *Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ; eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto, tantum autem auditum habebant: quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam expugnabat, & in me clarificabant Deum.* Quæ autem, quibuſque ſingillatim locis, his temporibus geſſerit, ac pro fide toleraverit, nobis non conſtat.

Epiſt. ad Gal. 1. 22. 23.

Herodes Antipas Romam navigat.

2. Interim Rex Agrippa Alexandria, ubi tot ludibriis exceptus fuerat, ſolvens quamprimum in Regnum ſuum venit, quem tanta fulgentem dignitate, & Regno auctum, cum vidiſſet

JESU CHR. ÆN. 39.

set Herodias soror ejus, Herodis Antipæ uxor, viro suo persuasit, ut Romam & ipse navigaret, spem faciens fore ut eadem & ipsi contingerent. Ad Cajum itaque proficiscí statuit Antipas; sed spe frustratus, Regnum cum libertate amisit. *Agrippa vero*, inquit Josephus, *cognita eorum mente, ac apparatu, ipse quoque se accinxit ad resistendum, & quam primum eos e portu solvisse didicit, ipse etiam Romam misit Fortunatum suum libertum ad Imperatorem cum muneribus, & literis scriptis contra Herodem; simulque mandavit, ut per occasionem amplius cum Principe super hoc negocio differeret. Qui subsecutus Herodem, & secunda navigatione usus, tantummodo a tergo relictus est, quod tum primum illo ad Cæsarem admisso supervenit, litterasque reddidit; uterque enim Puteolos appulit; & Cajus tum forte apud Bajas repertus est. Itaque Cajus simul ac ab Herode salutatus est (priorem enim eum admiserat) simul Agrippæ perlegit litteras accusantes Herodem, quod prius cum Sejano conspirasset in Tiberium, & nunc iterum Artabano Partho faveret contra Caii novum imperium. Argumento erat ipsius Tetrarchæ apparatus, qui in Armamentariis suis haberet tantum armorum, quantum instruendis virorum septuaginta millibus sufficeret. Quare Cæsar commotus, percunctatus est Herodem, vera ne essent, quæ nunciarentur de armorum numero. Quo annuente (neque enim vera negare poterat) satis approbatum putans defectionem, ademptam illi Tetrarchiam, ad Agrippæ Regnum adjecit, pecuniam quoque ejus donans Agrippæ indici. Herodem vero perpetuo damnavit exilio apud Lugdunum urbem Galliæ. Cognito deinde sororem Agrippæ esse Herodiadem, pecuniam ei propriam concessit; & ratus non libenter fore marito calamitatis sociam, in Agrippæ gratiam se illi parsurum promisit. Ad hæc illa: Tu quidem, Imperator, ut tua majestate dignum est, loqueris; sed mihi conjugalis amor impedimento est, quomodo fruar hac indulgentia; non enim æquum censeo, ut cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in adversa deseram. At ille indigne ferens tum excelsum animum in fœmina, ipsam quoque cum Herode expulit, & bona ejus Agrippæ largitus est. Atque hæc fuit vindicta, quam Deus intulit, tum Herodiadi fratris successus indigne ferenti, tum Herodi ad obsequendum vaniloquentiæ uxoris nimis facili.* Hæc omnia Josephus; qui parum sibi constans, alibi ab his diversa narrat: nimirum Agrippam sequutum esse Herodem Romam ad Cajum; atque Herodem cum uxore fugisse in Hispaniam:

Joseph. Antiquit. lib. 18. 9. 10.

Herodes Regno privatur, ac relegatur.

Joseph. ut sup.

Joseph. de bello Jud. l. 2. c. 8. in fine.

JESU CHR. AN. 39.

niam : Josephum sequutus larvatus Hegesippus addit ; Herodem mœrore animi confectum interiisse. Porro hujus divinæ plane in Herodem, & Herodiadem ultionis causam si quis altius repetat ultro fatebitur, hæc iis accidisse tum ob Joannem Baptistam immaniter occisum, tum etiam ob Christum ab Herode spretum, ac male habitum. Quod vero pertinet ad Agrippæ Regis Romam adventum, sequenti anno potius contigisse, ex Philone colligitur.

Pseudo Hegesip. de excid. Hierosol. lib. 2. c. 5.

Philo de leg. ad Cajum.

Pilatus se interimit.

Euseb. lib. 2. 7.

3. Hoc anno *Pilatus, olim Judææ Præses, qui Servatorem nostrum morti addixerat, imperante Cajo*: ait Eusebius; *in tantas calamitates incidit, ut mortem sibi consciscceret, suorumque ipse scelerum vindex esset, divina Justitia in eum, ut par erat, sæviente; idque a Græcis Scriptoribus proditum est, qui per Olympiades rerum gestarum seriem conscripserunt*. Eadem habet & in Chronico *Olymp.* 204. *an.* 3. eique suffragantur Orosius & Cassiodorus. Viennæ autem in Galliis relegatum obiisse Pilatum, tradit Ado ejusdem Civitatis Episcopus.

Inter oper. Hieron tom. 8. Oros. lib. 7. 5. Cassiador. in Chron.

Petronius in Syriæ Præfectura Vitellio succedit.

In append. apud Marcell. Dio lib. 59. Tacit. l. 6. Suet. in Vitellio. Bar. an. 41. 42. Joseph. l. 19. 6. Philo legat. ad Cajum. Basnag. nu. 7. Usser. pag. 653. Valer. Max. lib. 4. 7.

4. Vitellius Syriæ præfectura a Cajo dejectus, & in Urbem revocatus, quod Tiridatem Parthis a Tiberio Regem missum, Regno expelli permisisset, morte jam erat multandus, ut in excerptis a Valesio editis legitur. Cum tamen vultu vestituque ad humilitatem simulate composito, Caii pedibus advolutus, & veniam effusis lacrimis deprecans, eum uti Deum adoravisset; ita fœda hac adulatione placavit, ut inter ejus amicos habitus deinceps fuerit. Vitellio in ea Provincia Cæsar subrogavit Publium Petronium qui teste Valerio Maximo humili loco natus in equestrem ordinem adlectus fuerat. Lucium appellat Baronius. Publii tamen prænomine usum fuisse constat ex Philone, & Josepho.

Cajus Imp. honores divinos sibi assumit.

Tacit. ann. l. 6. Dio lib. 59. Suet. in Calig.

5. Eo vesaniæ Cajus devenerat, ut divinam sibi ipsi majestatem assereret; hinc templa, & statuas suo nomini consecrandas decrevit; Sacerdos ipse sibi fuit, & ut tanto numini Sacerdotis dignitas responderet, suum sibi Equum in Sacerdotio collegam adscivit.

Cajus suam statuam in Templo Hierosol. collocare jubet.

6. Cum itaque Cajus divinos ambiret honores, ac ne Jovi quidem cederet, quippe qui de Jovis Olympii simulacro Romam deferendi, & illius imagine in suam mutanda, consilium inierat; Publio Petronio Syriæ Præfidi mandavit, ut statuam sibi in Templo Hierosolymitano ponendam curaret; quod tamen in sequentem annum Petronius distulit. *Cajus autem*, ait Josephus, *indi-*

indigne ferens, a solis Judæis ita se despici, Legatum in Syriam mittit Petronium succeſſurum Vitellio; jubetque, ut cum valido exercitu invadat Judæam; & ſi ſponte id admittant, ſtatuam in templo Dei collocaret: quod ſi detrectent, bello devictos imperata facere adigat. Is ſumpta adminiſtratione rerum Syriæ, dedit operam, ut exequerentur mandata Cæſaris: contractiſque quantum poterat auxiliis, cum duabus legionibus hibernavit apud Ptolemaidem, primo vere bellum illaturus; quod & Cajo ſignificavit per litteras, qui collaudata ejus induſtria, hortatus eſt eum ad agendum gnaviter, & frangendum bello gentis contumaciam.

Jesu Chr. an. 39.

Suet. Dio, ut ſupra. Joſeph. l. 18. 11.

7. Quid vero in cauſa fuerit, quare Cajus in Templo ſtatuam poni juſſerit, refert Philo: *Is*, ideſt Capito, *in Judæa præeſt exigendis tributis, infenſus provincialibus: pauper enim eo profectus, nunc illis fraudatis, ditatus, & accuſationem metuens, decrevit eos prævenire, & calumniis veras criminationes avertere, caſu quodam nactus occaſionem. Jamniam urbem Judææ cum primis frequentem populo colunt promiſcue, Judæi quidem pars maxima, non nulli tamen etiam alienigenæ, qui malo fato ſubrepſerunt e finitimis regionibus; & cum ſint inquilini, faceſſant indigenis negotia, ſemper aliquid moliendo adverſus ritus Judaicos. Hi cum audirent ab advenis quantopere Cajus pro Deo coli cupiat; & quam infenſus univerſæ Judæorum genti ſit, rati, ſe nactos occaſionem ſtruendis inſidiis, ex tempore aram excitant e materia viliſſima, luto formato in lateres tantum, ut moleſti eſſent Civibus: ſciebant enim non laturos violari leges patrias, quod & ſequutum eſt. Conſpicati enim, & indignati regionis ſacratæ ritus ſacros ſic aboleri, coorti eam ſuſtulerunt de medio. Adverſarii vero mox Capitonem adiverunt, qui auctor fuit totius hujus tragediæ. Is lucrum ſibi collatum exiſtimans, cujus jamdudum cupidus erat, ſcribit Cajo, exaggerando rem, & amplificando.*

Capito Cajum in Judæos excitat.

Phil. legat. ad Cajum.

8. *His cognitis ille, ut opulentus, & magnificus, jubet pro altari lateritio ſubverſo in Jamnia, poni Coloſſum inauratum in ipſo templo urbis primario, conſulturibus uſus optimis, & ſapientiſſimis, Helicone veteratore ſcurra nobili, & Apelle quodam tragœdo, qui prius ætatis florem, ut fertur, venditaverat; tum vero fatiſcitus ſe in ſcenam contulerat. Scenici autem, quorum eſt negocium, & ſtudium, ut theatris placeant, profligato pudore, probris, & turpitudini ſunt deditiſſimi: quibus ar-*

Capito Coloſſum Jamniæ erigi curat.

Philo, ut ſupra.

JESU CHR. AN. 39.

tibus Appelles pervenit in conſiliariorum ordinem; ut poſſet conſulere Cajus alterum quomodo canendum, alterum quomodo ludendum ſalibus, omiſſa cura juſtitiæ tuendæ, paciſque publicæ. Ita Helicon mancipium ſcorpioni ſimile Judæos petebat veneno Ægyptiaco. Apelles vero Aſcalonio, nam inde oriundus erat. Eſt autem Aſcalonitis perpetua ſimultas cum finitimis Judæis Terræ ſacræ incolis. Verum illi bonorum conſiliorum boni auctores paulo poſt impietatis ſuæ mercedem invenerunt: alter a Cajo vinctus ferreis compedibus propter alia crimina, tortuſque in rota ex intervallo ſæpius, ſicut quidam morbi ſolent ſtatis diebus recurrere. Helicon vero interfectus a Claudio Germanico Cæſare propter alias itidem culpas inſani capitis. Sed iſta poſt acciderunt: Litteræ a Cajo de ſtatua dedicanda ſcriptæ ſunt non temere, ſed quantum fieri potuit accuratiſſime. In eis imperatum eſt Petronio Syriæ Provinciæ Præſidi, ut ripenſis exercitus contra irruptiones Orientalium Regum, & nationum oppoſiti, dimidium ab Euphrate adverſus Judæos duceret, ut proſequerentur ſtatuam; non quo auguſtior dedicatio fieret, ſed ut confeſtim periret, ſi quis obſiſteret. Et paulo poſt.

Petronius maturius agit.

9. Ceterum Petronius perlectis litteris, hærebat anceps conſilii: quippe qui nec detrectare poterat præ metu, non ignarus, illum ne moram quidem laturum æquo animo, nedum tergiverſationem. Nec rem aggredi putabat tutum, ac facile; ſciebat enim Judæos non unam, ſed mille, ſi fieri poſſet, mortes ſubituros citius quam ſuſtinerent vetitum aliquid facere. Omnes enim gentes libenter ſervant ritus patrios, ſed Judæi præ ceteris. Cum enim leges ſuas credant oraculis proditas, eaſque diſcant a puericia, in animis circumferunt harum expreſſas imagines, & ſemper intuendo admirantur ut honeſtiſſimas: alienigenas quoque harum obſervatores amplectuntur pro ſuis civibus; Oſores autem earum, ac vituperatores habent pro hoſtibus; & in tantum abhorrent a quavis re ſuis legibus vetita, ut omnibus fortunis, felicitatibuſque humanis ad prævaricationem adduci nequeant. Sed nihil religioſius, quam Templum colunt, vel hoc argumento, quod certiſſima mors proponitur ultra ſeptum interius penetrantibus: nam intra exterius accipiunt undecumque venientes ſuæ gentis homines. Hæc ſecum reputans Petronius, rem cunctanter aggrediebatur, ratus (ut erat) facinus audax; advocatiſque tanquam in animæ conſiſtorium rationibus omnibus, ſcrutabatur ſingularum ſententias, quas conſentientes inveniebat nihil in ſacris novan-

novandum; primum quia ſic jus naturæ, pietatiſque poſtulet: deinde propter imminens periculum, non ſolum a Deo, verum etiam a læſit, irritatiſque hominibus. Illud quoque cogitabat, quam populoſa eſſet hæc natio; non, ut aliæ, comprehenſa unius regionis ſpatio, ſed totum pene Orbem paſſim incolens: diffuſa eſt enim per continentes provincias omnes, atque inſulas; adeo ut non multo pauciores ſint indigenis. Tam multas hoſtium myriadas in ſe provocare, annon periculoſa videri poterat alea? ne forte illis per omnes terras conſpirantibus, & ad vim arcendam, certatim in unum confluentibus, bellum exoriretur inſuperabile: abſque eo quod ipſum Judæam innumera multitudo incoleret, viri tum corpore valentiſſimi, tum animo fortiſſimi; parati prius generoſum mortem oppetere, quam deſerere mores, ac ritus patrios, quantumvis calumniatorum opinione barbaros, cum revera ſint liberales, ac nobiles.

Jesu Chr. an. 39.

10. *Terrori etiam erant Tranſeuphratenſes copiæ; nam Babylonem, & multas alias Satrapias a Judæis teneri non auribus ſolum, ſed & oculis compertum habebat: quod ſingulis annis ſacra pecunia mitteretur inde in Templum primitiarum nomine, quamquam per vias difficiles, & aſperas, quæ tamen illius viæ Regiæ viderentur ad pietatem rectæ properantibus.* Hæc Philo; qui mox ſubdit: *Merito igitur timens, ne cognita hac nova dedicatione ſubito expeditionem ſuſciperent, & hinc, atque inde coorti junctis copiis, incluſis in medio, clade ingenti afficerent; returbabatur talibus cogitationibus; ſed in diverſum trahebatur contrariis: Dominum hæc jubere juvenem; utile judicantem, quidquid ipſi collibuerit; & ſemel decreta exequi contemnentem quamlibet noxia, (ut qui præ ſuperbia, pervicaciaque tranſiliens hominis terminos, in Deos ſe ipſe referat) impendere ſibi capitale periculum, ſive imperata faceret, ſive non; Sed ſi pareat, cum bello, cujus eventus anceps ſit; ſin juſta detrectet, certiſſimam a Cajo perniciem. Ad bellum proniores erant multi Romani adjutores in adminiſtratione rerum Syriacarum, quod ſcirent in ſe primum ſæviturum Principem, ut auctores inobedientiæ. Dabatur ſpatium deliberandi, dum pararetur ſtatua: nam neque tranſmiſſa fuit ex Italia, Deo volente, opinor, & ſuos occulto favore protegente ab injuria; neque juſſus eſt e tota Syria lectiſſimam ſumere; alioqui præpropere, violatis legibus, exortus fuiſſet repentinus tumultus, priuſquam experiri poſſet utile conſilium; nam ſubitanei caſus ingruen-*

Rationes differendi præcepta Caii.

Philo ut ſup.

JESU CHR. AN. 39. *tes vim rationis hebetant. Itaque Petronius in propinquo jubet parari ſtatuam; & accitis a Phœnicia peritiſſimis artificibus, præbet materiam officina Sidone inſtituta.*

JESU CHRISTI AN. 40. PETRI APOST. 9.
C. CALIGULÆ IMP. 4.
CONS. CAJO AUGUSTO ABSQUE COLLEGA
AN. URB. 793. OLYMP. 204. AN. 4.

Matthæus Evangelium ſcribit. 1. Aperto jam Gentibus ad Evangelium oſtio, cum ad eas Apoſtoli per totum Orbem eſſent profecturi, Matthæus primus omnium *in Judæa Evangelium ſcripſit*, ut habet in Chronico Euſebius; qui iterum in hiſtoria rem fuſius aliquanto perſequitur: *Matthæus cum Hebræis primum fidem prædicaſſet; inde ad alias quoque gentes profecturus Evangelium ſuum patrio ſermone conſcribens, id quod præſentiæ ſuæ adhuc ſupereſſe videbatur, ſcripto illis, quod relinquebat ſupplevit.* Alia tamen de tempore quo Matthæus Evangelium ſcripſit Irenæo inſedit opinio: *Ita Matthæus Evangelium hebraica lingua ſcripſit, cum Petrus, & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Eccleſiam*: Ex quo ſequeretur nonniſi poſt annum 63., aut 64., quo S. Paulus Romam appulit, Matthæum Evangelium ſcripſiſſe; ideoque nec primum omnium eam hiſtoriam litteris conſignaſſe, quod tamen omnes, ne Irenæo quidem excepto, tradiderunt. Quamobrem niſi Irenæum reliquis Patribus immo & ſibi ipſi adverſari, adfirmare temere velimus; dicendum profecto eſt vel mendum in Irenæi textum irrepſiſſe; vel cum Baronio, ea Irenæi verba non adeo ſtricte intelligenda, ut Matthæus eo tempore Evangelium ſcripſerit, quo Petrus, & Paulus Romæ ſimul evangelizabant, ſed tunc ſolum, cum Petrus Urbem adveniens Eccleſiam ibi conſtituit: neminem quippe latet veteres paſſim Paulum Petro comitem dediſſe in Romana Eccleſia fundanda, quamvis multo ante Petrum Romæ fuiſſe certiſſime conſtet, ſed ut obſervat eruditiſſimus Irenæi Editor Maſſuetius, in re incerta nonniſi incertis conjecturis innitimur; communem tamen ſententiam ſequimur, utpote Apoſtolicæ hiſtoriæ magis conſentaneam, & a Patribus cæteriſque Scriptoribus magis probatam.

Euſeb. in Chron.

Apud Hier. tom. 8. lib. 3. 24.

Iren. lib. 3. 1.

Bar. an. 41. 15.

Qui lingua Matthæus Evangelium ſcripſerit. 2. Hebraice a Matthæo ſcriptum fuiſſe Evangelium conſentiunt Patres. Cum tamen Hebraicus Matthæi textus nuſ-

piam

piam inventus & ab aliquo visus fuerit, nonnulli ex recentioribus arbitrantur Græce Evangelium scripsisse, & Hieronymum, alioſque veteres non de authentico Matthæi esse intelligendos, sed de apocrypho quodam Evangelio, quo Nazaræi, Æbionæi, aliique hæretici utebantur, cujus pars maxima ex Matthæo desumpta erat, & quod pluribus scatebat erroribus. Eorum tamen inanes esse conjecturas vel ex eo potest intelligi, quod Eusebius memorat S. Pantenum apud Indos invenisse Matthæi Evangelium, a S. Bartholomæo Apostolo ad ipsos delatum, hebraicis litteris conscriptum; quod Alexandriam Pantenus ipse asportavit, teste Hieronymo. Anno quoque 488. cum Corpore S. Barnabæ inventum fuisse Evangelium Matthæi suo loco videbimus; verum quo Idiomate illud apographum scriptum esset certe adfirmari non potest. Hebraicum fuisse tradit Baronius; e contra Græcum fuisse probabilius asserit Tillemontius, ea conjectura ductus, quod singulis annis feria quinta in Cœna Domini ex eo Codice Evangelium legeretur Constantinopoli in Ecclesia Palatina. Quidquid tamen de hoc sit; cum Patres Matthæum hebraice scripsisse uno omnes ore prodiderint, eorum potius auctoritati, quam recentiorum conjecturis adsentiendum judicamus.

JESU CHR. AN. 40.

Papias apud Euseb. lib. 3. 39. Iren. lib. 3. 1. Euseb. lib. 3. 24. Hier. de Vir. ill. 3. Orig., Chrysost., Augustin. de Const. Evan. Fraſſen. pag. 66. lib. 1. 2. & Hieron. editor. in nota ad cap. 3. de Vir. ill. tom. 2. p. 519. edit. Veron. Euseb. lib. 5. 10. Hier. de Vir. ill. 36. Bar. an. 41. Till. Tom. I. pag. 394.

3. Quo Auctore, vel quando ex hebraico in græcum sermonem translatum sit hoc Evangelium, ignoratur; nonnulli Jacobum, alii Paulum, ceteri Lucam, vel denique Joannem hujus translationis auctorem dicunt. Antiquissimam tamen hanc versionem fuisse, testatur Papias Apostolorum discipulus: *Matthæus quidem hebraico sermone divina scripsit oracula; interpretatus est autem unusquisque, prout potuit*; Congruit Hieronymus: *quod qui postea in græcum transtulerit, non satis certum est*. Si interpretem Papiam, & Hieronymum latuit, non ergo mirum idem & nos ignorare; Tanti autem pretii græca interpretatio apud antiquos fuit, ut græce tantum Ss. Patres Matthæi Evangelium citaverint; & ex Græco etiam in latinum deinde translatum fuerit. Dum porro Hieronymus de Matthæi Evangelio ait: *ipsum hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaræis, qui in Bæroa Urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit &c.*; & capite superiori: *Evangelium quoque, quod appellatur secundum Hebræos, & a me nuper in Græcum, latinum-*

De versione Evangelii Matthæi in Græcum.

Auct. Ath. in Synops.

De Vir. Illustr. cap. 3.

Cap. 2. in Jacobo.

JESU CHR. AN. 40. *In Matth. cap. 12.*

tinumque sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe utitur &c., & in Matthæi Evangelio: *In Evangelio, quo utuntur Nazaræi, & Ebionitæ, quod nuper in Græcum de hebræo sermone transtulimus, & quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum.* Dum hæc inquam Hieronymus prodit, non de authentico Matthæi Evangelio, sed de apocrypho Nazaræorum esse interpretandum putamus: Secus enim non sibi constaret Hieronymus, qui alibi monet idem Evangelium ab Ebionitis, & Nazaræis fuisse interpretatum. Quod autem de Hieronymo, idem quoque de Epiphanio dicendum putamus. Quamvis enim asserat Nazaræos habere *Matthæi Evangelium perfectissimum hebraice*; *& apud ipsos hoc clare quemadmodum ab initio scriptum est*, *hebraicis litteris* adhuc servatum sua ætate fuisse; alibi tamen testatur, eosdem usos esse Matthæi Evangelio pluribus in locis interpolato.

Hieron. in Matth. cap. 12.

Epiph. hær. 29.

De Apostolorum in Orbem dispersione. *Euseb. lib. 5. 18.*

4. Quo potissimum anno Apostoli, Judæa relicta per orbem dispersi fuerint, Scriptores magna sententiarum varietate vehementer disputant. Si Appollonii antiqui sane Theologi traditioni fides esset habenda, qua asseritur, Dominum Apostolis jussisse, ne ante duodecimum annum Hierosolyma excederent, sequeretur nonnisi anno 43., aut 44. Apostolos in varias orbis regiones Evangelii lucem intulisse. Econtra in libro Melitoni Sardensi inscripto legitur, biennio post Ascensionem Domini Apostolos fuisse per Orbem divisos. Verum apocrypho huic operi minime fidendum, nam certissima Scriptorum auctoritate constat, post Stephani necem fideles quidem Hierosolyma exulasse, sed Apostolos diutius ibi fuisse versatos. Neque Apollonii traditio Paulo verior est judicanda. Si enim, Luca teste, Paulus Anno 37 Hierosolymam ascendens Apostolorum neminem vidit præter Petrum, & Jacobum; vel tunc ergo illinc reliqui in vicinas saltem Provincias abierant. Præterea non ultra annum 41. Apostolorum dispersionem posse differri ex eo quoque apparet, quod auctore Eusebio anno 42., Claudii Imperatoris secundo, S. Petrus Romam profectus Ecclesiam ibi constituit. Quamobrem cum vix quidquam de tempore rei gestæ statui posse videatur, difficillima hac quæstione dimissa, de re ipsa hoc potissimum anno nobis esse dicendum existimavimus.

Bedæ Retract. in act. Ap. cap 8.

Euseb. in Chron.

De Symbolo Apost. ejusque etymologia.

5. Antequam igitur in Terrarum Orbem proficiscerentur Apostoli, ut eadem omnes regula in Evangelii prædicatione uteren-

terentur, Christianam fidem universam certis quibusdam Canonibus, seu capitibus brevi complexi sunt, quibus Apostolorum Symbolum continetur; quod etiam inde a primis temporibus Apostolicum dictum ideo scimus, quod Apostolos auctores habuisse perenni traditione constaret. *Tradunt Majores nostri*, inquit Rufinus, expositione in Symbolum ad Laurentium, *quod post Ascensionem Domini, discessuri Apostoli ab invicem, normam sibi prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alii alio adducti, diversum aliquid iis, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi, & Spiritu Sancto repleti, breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt*, & infra, *Discessuri igitur, ut diximus, ad prædicandum, istud unanimitatis, & fidei suæ Apostoli indicium posuere, non sicut filii Noe, discessuri ab alterutrum, turrim ex latere cocto, & bitumine construentes, cujus cacumen usque ad Cælum pertingeret; sed monumenta fidei, quæ starent adversus faciem inimici, e lapidibus vivis, & margaritis Dominicis ædificantes: quam neque venti impellerent, neque fulmina subruerent, neque tempestatum ac procellarum turbines pernovere-rent*. Hujus autem traditionis innumeros habemus testes, eosque omni exceptione majores; ut Clementis supposititiam Epistolam ad Jacobum omittamus, id in primis testatur S. Irenæus, *Ecclesia per universum Orbem usque ad fines Terræ seminata, & ab Apostolis, & a Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in Deum Patrem Omnipotentem &c.*, & Tertullianus: *in ea regula incedimus*, inquit, *quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit*. Porro regulæ nomine intelligi Symbolum Apostolicum, idem alibi docet; *Regula fidei una omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in unum Deum Omnipotentem Mundi Creatorem, & in Filium ejus Jesum Christum &c.*. Eadem tradit Lucifer Calaritanus, qui hoc Symbolum appellat *formam disciplinæ, & regulam Fidei per Apostolos traditam*; Lucifero consentiunt S. Ambrosius, S. Cœlestinus Papa, Concilium Ephesinum, S. Leo, Isidorus, Cassianus, S. Maximus, innumerique alii, quos longum esset hic recensere.

JESU CHR. AN. 40. *Nat. Alex. sec. 1. dis. 12.*

Rufin. ad Laurent. N. t. Alex. pag. 164.

Apud Cotel. tom. 1. Iren. lib. 1. ad. versus hæres. cap. 2.

Tertull de præscript. cap. 13. 31. 37.

Lucifer. calaritan. lib. 2. ad. vers. Constant. Imp.

Ambr. Ep. ad Siricium lib. 1. epist. 7.

Coelest. Ep. ad Nestorium.

Concil. Ephes. in Relat. ad Theodos. Aug.

6. Cum autem Apostolos Symboli auctores dicimus, non ideo tamen volumus singulas sententias, sive articulos, eodem ordi-

Quo sensu Apostoli Symboli Auctores dicantur.

JESU CHR. AN. 40.

ordine, quo in Ecclesia recitantur, ab ipsis fuisse dictatos. Constat enim non in omnibus Ecclesiis eodem ordine, iisdemque sententiis Symbolum recitatum semper fuisse, uti ex Romano, Orientali, & Aquilejensi videre est: Atque Hæreticorum impietate alicubi quandoque accidisse, ut ad Dogmata clarius explicanda receptis Symboli formulis quædam adiicere oportuerit. Ceterum cum nulla unquam Hæresis in Romana Ecclesia orta fuerit; intemeratum ea semper Apostolorum Symbolum custodivit. *Ecclesia Romana* inquit Ambrosius *Symbolum Apostolorum, intemeratum semper custodit, & servat.* Quod pluribus Ruffino confirmatur: *Principium incipiam de ipsis Sermonum virtutibus disputare, illud non importune commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum; quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt publice, id est, Fidelium populo audiente, Symbolum reddere; & utique ad adjectionem hujus saltem sermonis eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditum. In cæteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos, addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur, quem in Aquilejensi Ecclesia, lavacri gratia, suscepimus.* An autem iisdem, totidemque, quibus hodie verbis in Romana recitatur, Apostoli illud expresserint, quis affirmare audebit?

Leo Ep. 13. ad Pulch. Cassian. lib. 6. de Incarn. Maxim. de tradit. Symb. Nat. Alex. dissert. sup. Ambros. Epist. ad Siricium lib. 1. Ep. 7. Ruffin. in expos. Symb. ad Laurentium.

An singuli Apostoli Symboli articulum ediderint.

7. Neque in ea sententia sumus, qua fuit a veteribus quibusdam traditum, suum quemque Apostolorum articulum edidisse. Incerti enim, & obscuri tantum opinionis huius auctores afferuntur. Rem ita persequitur auctor Sermonis, quem Maurini operum S. Augustini editores, Maximo Taurinensi tribuendum dubitant: *Quod græce Symbolum dicitur, latine collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in unum totius Catholicæ legis fides Symboli colligitur brevitate, cujus textum vobis, Deo annuente, dicemus:* Petrus dixit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Joannes dixit, *Creatorem Cæli, & Terræ.* Jacobus dixit, *Credo & in Jesum Christum &c., sic singuli suum addentes articulum, usque ad S. Matthiam, qui complevit Symbolum, addendo vitam æternam.*

Quid significet Symbolum.

8. Eamdem vocis Symboli Etymologiam tradunt Isidorus Raba-

Rabanus Maurus, aliique multi; Non desunt tamen, qui ex pecunia ad epulas viritim soluta vocis originem deducant: Utrique minus vere. Nam quæ viritim ad Cœnam fit collatio *Symbola* dicitur, non *Symbolum*; Apostolos vero suum quemque articulum condendo Symbolo contulisse, veri haud esse simile animadvertimus. Eorum itaque sententiam amplectimur, qui judicant *Symbolum* idem esse ac Tessera, vel Insigne. Namque Apostolica Fidei formula veluti tessera aut insigni quodam Christiani a Judæis, & Ethnicis, Catholici ab Hæreticis dignoscuntur, non secus ac Tessera militari socii ab hostibus, & exploratoribus discernebantur. Est præterea Symbolum tessera pactitia, quæ mutuæ & Christi & Fidelis conjunctionis veluti Tabella est, atque ita recte comparatur Tesseris, quibus in pactis uti solebant Græci, & Symbola vocabantur, appositeChrysologus: *Placitum, vel pactum, quod lucri spes venientis continet, vel futuri, Symbolum nuncupari, contracta etiam docemur humano; quod tamen Symbolum inter duos firmat semper geminata conscriptio, & in stipulatione cautum reddit humana cautela, ne cui subrepat, ne quem decipiat perfidia contractibus semper inimica: sed hoc inter homines, inter quos fraus, aut a quo facta est, semper lædit: inter Deum vero & homines Symbolum fidei sola fide firmatur: non litteræ, sed Spiritui creditur, & mandatur cordi, non chartæ; quia divinum creditum humana non indiget cautione, Deus facere fraudem nescit, pati non potest; quia non excluditur tempore, non ætate vincitur, occultatione non fallitur, videt abscondita, furata tenet, negata possidet... Sed dicis: Qui fulli non potest, quid est, quod exigit placitum? Quid Symbolum quærit ille? propter te, non propter se; non quia ille dubitat, sed ut tu credas .... Nemo ergo immemor Symboli sit; nemo initi cum Deo placiti sit oblitus.* Ruffinus etiam postquam varias de Symboli voce opiniones attulit, in hanc nostram propendere videtur: *Indicium autem, vel signum dicitur Symbolum, quia in illo tempore, sicut Paulus Apostolus dicit, & in Actibus Apostolorum refertur, multi ex circumeuntibus Judæis simulabant, se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus, vel ventris gratia, ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco istud indicium posuerunt, per quod agnosceretur is, qui Christum vere secundum Apostolicas Regulas prædicaret. Denique & in bellis civi-*

JESU CHR. AN. 40.

Isid de Eccles. off lib 2. 22. Raban. Maurus de Instit. Cleric. l 2. 56. Eucherius hom. 1. de symb. Gerard Vossius de tribus Symb. differt. 1. 17 Basnag. an. 42. 17.

S. Petri Chrysol. Serm 62. de Symb. Apost.

Ruffinus in Exposit. Symb. ad Laurentium.

JESU CHR. AN. 40.

libus hoc obſervari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & ſonus vocis idem, & mos unus eſt, atque eadem inſtituta bellandi, ne qua doli ſurreptio fiat, Symbola diſtincta unuſquiſque Dux ſuis militibus tradit, quæ latine ſigna, vel indicia nuncupantur, ut ſi forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus Symbolum prodat, ſi ſit hoſtis, vel ſocius.

Quo ſenſu Apoſtoli Symboli auctores dicantur. *Calvinus lib. 2. 6. inſtitut. Faujus Praf. ad L. Horam in Paraphraſ. Matthæi. Gerard. Voſſius diſſert. 1. de tribus Symbol. Baſnag. an 42. 19.*

9. Apoſtolicam in Symbolo doctrinam contineri, & ab ipſo Apoſtolorum ævo in Eccleſia obtinuiſſe conſentiunt omnes; ſed ab ipſis Apoſtolis fuiſſe inſtitutum, de hoc aliqui valde dubitant: *Apoſtolicum autem Symbolum nuncupo*, ait Calvinus, *de auctore minime ſolicitus: Neque vero mihi dubium eſt, quin a prima ſtatim Eccleſiæ origine, adeoque ab ipſo Apoſtolorum ſæculo inſtar publicæ, & omnium calculis receptæ confeſſionis obtinuerit.* Dubitandi vero has adfert rationes Baſnagius: *quo ad materiam attinet, Symbolum Apoſtolicum eſſe profitemur; Formam vero, verba ſcilicet, numerum, ordinem, quo hæc proponuntur Apoſtolorum eſſe negamus, alioquin & inter canonicas ſcripturas adnumerandum foret Symbolum, & idem ubique iiſdem verbis eſſet.* Non tanti tamen ponderis hæc ſunt, ut a veterum traditione ſit propterea recedendum. Quædam in Symboli verbis mutata, quædam etiam fuiſſe addita propter emergentes Hæreſes, ex Ruffino jam adnotavimus. Porro cum Symbolum non ſcripto, ſed viva tantum voce fidelibus traditum fuerit, non utique admirandum inter Canonicas Scripturas non recenſeri. Verum qui de his plura cupit, adeat Natalem Alexandrum, Uſſerium, & Voſſium.

Nat. Alex. diſſert. 12. Sæc. I. Uſſerius de Symb. Alex. Voſſius de tribus Symb.

De Symboli uſu. *Harduin. Concil. tom. 1. p. 750. Laodic. Synod. can. 46. & 47. Magun. Synod. can. 45. Capit. lib. 5 cap. 260. Amalar. de offic. Eccleſ. lib. 1. 8.*

10. Qui Baptiſmo vellent initiari, Symbolum omnes diſcere, & ante Baptiſmum reddere oportebat. *Baptizandos oportet fidei Symbolum diſcere*, ait Laodicena Synodus, *& qui in ægritudine conſtituti baptiſmum perceperant, facti ſani, fidei Symbolum doceantur, ut noverint, qua donatione digni ſint habiti.* Neque ſuæ iis pœnæ defuerunt, qui in illo addiſcendo negligentiores fuiſſent; *ſive* enim *in jejunio, ſive in alia caſtigatione emendabantur.* Cæterum tam in traditione, quam in redditione Symboli diſcrimen aliquod erat inter Eccleſias. In Galliis, teſte Amalario, feria quarta quartæ hebdomadæ Quadrageſimæ cathecumenis Symbolum tradebatur, *ad reddendum in Sabbato Sancto Paſchæ*; Apud Hiſpanos die Palmarum candidatis tradebatur: *Hac die*, ait Iſidorus, *Symbolum competentibus traditur propter confinem Dominicæ Paſchæ ſolemnita-*

nitatem, *ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant*, *fidem*, *quam confiteantur*, *agnoscant*. Non idem quoque reddendo Symbolo tempus fuit ubique constitutum. Nonnullis Ecclesiis solemne erat recitando Symbolo Sanctum Paschæ Sabbatum præscribere. At in Oriente feria prima hebdomadæ sanctæ destinabatur: *Oportet Symbolum quinta feria ultimæ septimanæ reddere*, ait Laodicena Synodus. Præterea privatim plerumque Symbolum recitabatur *coram Episcopo*, *vel Presbytero*, ut eodem Canone habetur; at in Romana Ecclesia palam, & publice, uti ex S. Augustino, & Russino constat: *mos ibi servatur antiquus*, *ut qui gratiam baptismi publice suscepturi sunt*, *publice*, *idest*, *Fidelium populo audiente Symbolum reddant*. Notandum denique sequentibus sæculis in Romana Ecclesia, non Apostolicum Symbolum, sed Constantinopolitanum latine, & græce a Diacono, infantium loco, fuisse recitatum.

Jesu Chr. an. 40.

Can. 47. ut sup.

Aug. Confes. l. 8. 2. Ruff. de Symb.

Apud Mabill. Museum Ital. in Ord. Rom.

11. Edito itaque Symbolo, aliisque ad Ecclesiæ regimen probe constitutis, ad gentes Apostoli deinde profecti sunt: In quam vero singuli regionem, mox videbimus. Id unum hoc loco adnotandum, non pro cujusque arbitrio, sed Divinitatis instinctu Provinciarum distributionem factam fuisse, quod pluribus confirmatur exemplis. De Paulo, ejusque comitibus hoc certum, exploratumque est. Peragrata enim Galatia, prohibiti sunt a Spiritu Sancto loqui Dei sermonem in Asia; immo cum ex Mysia tentassent ire versus Bithyniam non sivit eos illuc proficisci Christi Spiritus. Modo verbis expressis mittebantur, quod Antiochiæ contigit, dicente Spiritu: *Separate mihi Barnabam*, *& Saulum ad opus*, *ad quod assumpsi eos*. Modo divinitus, immissis somniis monebantur, quo se conferre deberent: sic visu per noctem conspectus est Paulo Vir quidam Macedo, qui adstans precabatur dicens: *transiens in Macedoniam succurrere nobis*. Qua sane ratione palam ostendebatur Sancto Ecclesiam Spiritu regi, qui pro summa sua & sapientia, & libertate, & quos voluit, & quibus ipsi placuit, legatos destinavit. Qui vero negligebantur, atque relinquebantur vitio suo quidem ac merito; qui vocabantur, divinæ gratiæ totum illud tribuere debuerunt. Ita Prosper Responsionibus ad capitula Gallorum: *Qui dicit*, *quod quibusdam Evangelii prædicatio a Domino subtrahatur*, *ne percepta Evangelii prædicatione salventur*, *potest objectionis invidium declinare patrocinio ipsius Sal-*

Quam Regionem Apostoli singuli adierint.

Spiritus Sancti instinctu facta est Provinciarum divisio.

Act. cap. 16.

Act. cap. 13.

Prosper. Sent. 10.

Jesu Chr. an. 40.

vatoris, qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabilium ejus signa vidissent, noluit operari. Et quibusdam populis vetuit Apostolos evangelizare, & nunc aliquas adhuc Gentes patitur extra gratiam suam degere, cum tamen constantissima fide perceptum habeamus, in omnes Mundi partes Ecclesiam dilatandam. Sapientissime hujus dispensationis causam affert Augustinus ad Deo-gratias: *Quid respondebunt, si excepta illa altitudine sapientiæ, & scientiæ Dei, ubi fortassis aliud divinum consilium, aliud secretius latet, sine præjudicio etiam aliarum forte causarum, quæ a prudentibus investigari queunt, hoc solum eis brevitatis gratia in hujus quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturі.* Et infra: *Ita salus Religionis hujus, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Unde autem quisque dignus tantæ gratiæ fuerit, idem Augustinus explicat, his verbis: *Si discutiatur, & quæratur, unde quisque sit dignus, non desunt, qui dicant voluntate humana, nos autem dicimus gratia, vel prædestinatione divina*; & in libro Retractationum secundo: *non ita dixi tanquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit: Sed quemadmodum, ait Apostolus, non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, major serviet minori, quam vocationem ad Dei propositum adserit pertinere; unde dicit, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam . . . . , de qua vocatione ait: Ut dignos vos habeat vocatione sua sancta.* Hæc Augustinus exponens ea, quæ dixerat, prædicatum fuisse dignis Evangelium. Quo Augustini testimonio, cum abuterentur Semipelagiani, monitus ab Hilario, sententiam suam clarius explicavit, vindicavitque lib. de Prædest. Sanctor. *Cernitis ne, me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscisse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant crediturі? Sed utrum prædicato sibi Christo a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, ideſt, utrum tantummodo eos præscivit, an etiam prædestinavit Deus, quærere, ac differre tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi tunc voluisse hominibus ap-*

Aug epist. 102.

Cur alibi citius, aut tardius Evangelium fuerit prædicatum.

Aug. de præd. S. cap. 10.

Epist. 219. de prædest. Sanct. 9.

ture-

JESU CHR. AN. 40.

parere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant creditur i, poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo ante Mundi Conſtitutionem.

Dei virtus eluceat in Apoſtolorum prædicatione. *Chryſoſt. orat. adverſus Gentiles.* tom. 1.

12. De hac Apoſtolorum in Orbem Terrarum profectione hæc habet S. Joannes Chryſoſtomus: *Peragrarunt Apoſtoli Orbem Terrarum, & infirmum invenientes ad ſanitatem reduxerunt, & in ruina poſitum ad ſtabilitatem revocarunt, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia confidentes. Erant nudi quidem ſæculo ſed induti Chriſtum, pauperes, ſed divites; pecunia indigentes, ſed Regnum Cælorum poſſidentes; non habentes humana ſolatia, habentes autem Dominum Deum ſuum: Ego enim, inquit, vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſæculi. Peragrarunt univerſum Orbem Terrarum oves ſimul cum lupis. Quis vidit? Quis unquam Paſtor oves mittit in medio luporum? ſed magis ſi viderit lupos, congregat oves. At vero Chriſtus e contrario fecit: mittit oves ad lupos; & vulneratæ a beſtiis non ſunt, ſed magis lupi ad ovium manſuetudinem converſi ſunt; .... Mira virtus erat, piſcatorem, publicanum, pellionem nudis præceptis mortuos ſuſcitare, morbos expellere, mortem abigere, Philoſophorum linguam mutam facere, Rethorum ora conſtringere, apud Principes, & Reges verſari, Barbaris, Græcis, & univerſo humano generi inaperari; nam & hoc illi verbo præfecerunt.*

Efferatarum gentium mores in melius mutati. *Theodoret. de curand. Græcar. affect. lib. 5. Tom. 3 edit. Par. mondi.*

13. Quæ porro eſſent errorum, vitiorumque portenta, quæ piſcatores e Galilæa in orbem univerſum profecti, evellenda divinitus ſuſceperunt, Theodoretus ſummatim colligit: *Perſicæ*, inquit, *Nationes, quæ jampridem Zaradæ legibus regebantur, matrum, ſuiarum, ſororum connubiis, ſuſque deque commixtæ, remque juſtiſſimam arbitrantes, id quod erat facinus injuſtiſſimum, auditu Piſcatorum lege, & accepta Zaradæ leges, ut iniquitatem maximam conculcarunt, Evangelicamque protinus temperantiam complexæ ſunt; quique priùs, edocente illo, didicerunt mortuorum corpora canibus depaſcenda volucribuſque porrigere; nunc jam cum caperent in Chriſtum credere, ab ejuſmodi immanitate abhorrent, & mortuos ſuos terræ infodiunt; neque curant Principum leges, quibus id fieri prohibetur; neque tortorum ſævitiam perhorreſcunt, magis enim timent*

JESU. CHR. AN. 40.

timent Christi judicium; cumque præsentia cuncta irrideant, somniare magis gaudent, quæ non videntur, eaque demum reverentur, & timent. Has itaque novas leges acceperunt a promulgatoribus Galilæis; quique non timuerunt Romanorum potentiam, sese ultro Crucifixi hominis imperio subdiderunt. Atque ut hi Romanis legibus viverent, neque Augustus ipse impetravit, neque Trajanus, qui Persarum Regna subvertit; & tamen Apostolorum monumenta Persæ homines, tanquam cælitus allata fuerint, venerantur... Messagetæ miserrimos esse homines arbitrati, qui alio mortis genere, quam violenta nece decumberent; quique idcirco legem de mactandis senibus perimendisque tulerunt: postquam Piscatorum leges, sutorumque acceperunt, abominabiles illas dapes, ac hostias pertæsi sunt. Tibareni quoque soliti olim seniores de altis rupibus dare præcipites, legem iniquissimam consciderunt, Evangelica lege accepta; Neque amplius Hircani, neque Cassii ipsi alunt canes hominum cadaveribus, neque Scythæ una cum mortuis hominibus vivos infodiunt, quos olim viventes illi dilexerant. Tantum morum mutationem Piscatorum leges invehere potuerunt. Hæc pauca ex multis innuisse satis credimus, ut intelligatur, quæ tunc esset orbis terrarum facies, & Christi potentiam admiremur, qui paucorum, abjectorumque hominum opera, tot monstra domuerit, suoque jugo non corpore tantum, sed animo subegerit. Quod utique non humana virtute factum fuisse, vel ex eo quoque cognoscitur, quod etsi plures gentes sese Romanis dedissent, ut tamen Romanorum legibus viverent nulla unquam ratione adduci potuerunt: *neque Æthiopes*, inquit idem Theodoretus, *qui sunt Ægyptiis Thebanisque contermini, neque multæ etiam Ismaeliticæ nationes, non Lagi, non Sanni, non Anasgi, non quamplurimi alii Barbari Romanorum dominatu accepto, ullis Romanis legibus in conventionibus suis utuntur. At nostri illi Piscatores, & Publicani, Sutorque ille noster cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt; neque solum Romanos, & qui sub Romano vivunt Imperio, sed Scythas quoque, ac Saurometas, Indos prætereu, Æthiopes, Persas, Seras, Hircanos, Cimmerios, Germanos, & Britannos (utque semel dicatur) omne hominum genus, nationesque omnes induxerunt Crucifixi leges accipere, non armis usi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Persicæ violentia; sed verborum suasu, offensa legum, quas prædicabant, utilitate: quod sane ipsum non sine magno quidem sui periculo facie-*

faciebant, sed in singulis civitatibus frequenter passi injurias, flagraque passim a quovis hominum genere subeuntes. JESU CHR. AN. 40.

14. De Regionibus autem, quæ unicuique Apostolo obtigerunt, ita paucis Eusebius: *Et Thomas quidem, ut a majoribus traditum accepimus Parthiam sortitus est. Andreas vero Scythiam, Joanni Asia obvenit. Epheſi tandem diem obiit. At Petrus per Pontum, Galatiam &c. de Paulo quid attinet dicere, qui ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum nunus Evangelicæ prædicationis implevit.* Hieronymus vero in epistola ad Marcellam: *Chriſtus in omnibus locis verſabatur, cum Thoma in India; cum Petro Romæ; cum Paulo in Illyrico; cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaja; cum ſingulis Apoſtolis, & Apoſtolicis viris, in ſingulis, cunctiſque Regionibus.* Ex Actis Apostolicis, & Petri epistola intelligimus, Petrum Antiochiæ, & Babylone fuisse, ubi priorem suam scripsit epistolam; Babylonis autem nomine Romam designari videbimus anno 43. Claudii Imperatoris secundo, quo juxta Eusebium, & Hieronymum Petrus ad eam Urbem totius Imperii caput advenit. Hoc vero tempore, antequam Romam pergeret, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam peragrando, Evangelicis legibus imbuebat. Verum de Petri, & Pauli peregrinationibus infra ſeparatus acturi sumus; nunc de aliorum Apostolorum itineribus videamus.

Quæ provincia singuli Apostolis obtigerit.

Euseb. lib. 3. cap. 1.

Hier. ep. 59.

15. Joanni Asiam cessisse veteres consentiunt. *Et sunt, qui audierunt*, ait Irenæus, *Policarpum dicentem, quoniam Joannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus dicens, quod timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.* Eadem docuit Origenes: *Joanni Asia obvenit, qui, plurimum temporis in ea commoratus, Epheſi diem obiit.* Quibus colligitur non post extinctum Domitianum modo, sed ante, quam in Insulam Patmos relegaretur, in Asia fuisse; secus enim non diu in ea regione constitisset. Joannis Apostolatum in Asia memorat & Tertullianus: *Habemus & Joannis alumnas Eccleſias; nam & Apocalypſim ejus Marcion reſpuit: Ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus, in Joannem ſtabit auctorem.* Ceterum non hæc ita sunt intelligenda, ut Joannes primus Evangelium in Asia predicaverit. Eo enim se jam ante contulerant Petrus, & Paulus, Ecclesias quoque ibidem fundaverant, & potissimum Ephesinam, cui Timotheum Paulus præfecit: Quare Joannem

De Joannis Apostolatu in Asia.

Iren. lib. 3. c. 3. Euseb. lib. 3. cap. 1.

Tertull. contra Marcionem l. 4.

Epist. ad Timotheum.

JESU CHR. AN. 40.

annem totius Asiæ Apostolum, ac etiam Ephesi Episcopum, ideo solum cum antiquis dicimus, quod verbis, exemplo, scriptis Ecclesias illas in fide confirmavit, & auxit. Quo autem anno Joannes Apostolus Ephesum venerit, ibique domicilium suum fixerit, in incerto prorsus est; hinc alii citius, tardius alii eum illuc advenisse contendunt. Post Apostolorum Petri, & Pauli obitum id contigisse arbitratur Baronius; atque huic opinioni suffragari videtur Irenæus, qui Joannem Ephesinæ Ecclesiæ regimen, Paulo decedente, suscepisse memoriæ prodidit. Tradit præterea Epiphanius Joannem provecta jam ætate in Asiam contendisse, verum de ultimo Joannis in eas regiones itinere hæc intelligi commode posse animadvertit Tillemontius.

Baron. an. 97. c. 3. Iren. lib. 3 c. 3. Epiph. hæres. 51.

Tillem. not. in S. 5. & in B. V. M. num. 14.

16. Andream Petri fratrem Scythis prædicasse, tradunt Origenes, & pseudo Hippolytus in libello de duodecim Apostolis: *Andreas cum Scythis, & Thracibus prædicasset, cruci affixus est Patras in Achaja.* In Epiro quoque fuisse affirmat Nazianzenus: *Quid Paulo cum Gentibus commune, Lucæ cum Achaja, Andreæ Epiro.* Achajam Andreæ adsignat Hieronymus; ad Argos vero profectum fuisse, canit Paulinus:

De S. Andrea Apostolo.

Apud Euseb. lib. 3. 1. Combef. act. 2. de pseudo. Hyp. tom. 8. Bibl. SS Patr. Nazar. orat. 25. Hier. ep. ad Marcellam. Paulinus carm. 24. Niceph. lib. 2. 39. Codin. Orig. Christ. Niceta Paphlag. in orat. 2. de S. Andrea. Apud Combef. act. novis: Tillem. tom. 1. & Natal. Alex. sæc. 1.

Hic pater Andreas, hic qui Piscator ad Argos
Missus, vaniloquas docuit mutescere linguas.

Græci denique recentiores, Byzantinam Ecclesiam fundasse Andream, ac primum ejusdem Ecclesiæ Episcopum fuisse scribunt ex historia de Byzantio, ejusque Episcopis, cujus auctor Pseudo Dorotheus sexto seculo floruisse perperam simulavit. Hæc tamen opinio sua satis novitate corruit: ejus enim ne vestigium quidem apud Græcos, qui pro Constantinopolitanæ Ecclesiæ dignitate tantopere decertarunt. Andream Martyribus accensent vetera, exploratæque fidei monumenta. Verum quo tempore, quove Martyrii genere obierit, non constat.

De actis Martyrii S. Andreæ.

Surius die 30. Novemb Mat. Alex. to. 1. p. 48. Bar. an. 69. 34. Martyr Roman. 30. Novembr.

17. Non ignoramus in Actis, quæ Presbyterorum & Diaconorum Achajæ nomine circumferuntur, Apostoli Passionem pluribus enarrari, quæ Rom. Martyrologium summatim ita persequitur. *Apud Patras Achajæ natalis S. Andreæ Apostoli, qui in Thracia, & Scythia Christi Evangelium prædicavit. Is ab Ægea Proconsule comprehensus primo in carcere clausus, deinde graviſſime cæsus, ad ultimum in Cruce suspensus, in ea populum docens, biduo supervixit, & rogato Domino, ne eum sineret de Cru-*

Cruce deponi, emiſit ſpiritum. Sed adeo multa ſunt, quæ horum actorum νοθείαν demonſtrant; ut miremur viros ingenii & eruditionis laude præſtantes pro genuinis habuiſſe. Et ſane Baronius, qui ea in Martyrologio probaverat, meliora poſtea edoctus videtur in annalibus de eorumdem fide dubitaſſe. Quis enim quæſo Innocentio Primo, & Gelaſio Romanis Pontificibus non adſentietur, qui Andreæ acta jamdiu apocrypha judicarunt? Natalis Alexander quidem conjicit prorſus a noſtris alia ab Hæreticis conficta fuiſſe acta, quæ Innocentius, & Gelaſius reprobarunt. At eadem ferme, quæ in iis occurrunt, quæ que hodie circumferuntur, actis quoque Manichæorum continebantur. Præterea quem conjecturæ ſuæ teſtem adhibebit, cum vix ſeptimo labente ſæculo inter Catholicos inveniatur, qui acta S. Andreæ pro genuinis agnoverit, uti ſuſe docteque Tillemontius demonſtrat. Quæ hactenus latine tantum habuimus acta, Græce demum ex Codice Boldejanæ Bibliothecæ edidit Lipſiæ Anno 1749. Chriſtianus Voog., qui præter novam Interpretationem, notas & exercitationes adjecit, quibus actorum, prout in Boldejano Codice proſtant, ſinceritatem demonſtraſſe ita ſibi perſuaſit, ut palam profiteatur ſe maximas Deo gratias referre: *Quod dederit eſſe tam felici, antiquiſſimum, poſt Sacros novi teſtamenti canonicos libros, in lucem publicam pertrahere ſcriptum eccleſiaſticum, quod ut genuinum extet, non omni carebit utilitate*. Libellum adcurate perpendimus, & ut quod nobis viſum eſt ingenue fateamur, Voogii quidem in eo doctrinam & ingenium ſumus admirati; ut in ejus tamen iremus ſententiam & acta probaremus, quorum ne verbum quidem apud veteres occurrit, nulla adduci ratione potuimus. Si enim Encyclica, & præſtans adeo Presbyterorum Achajæ epiſtola de Andreæ Martyrio priſcis illis temporibus extitiſſet, non ignoraſſent utique veteres rerum Eccleſiaſticarum Scriptores, neque ab ea memoranda una omnes abſtinuiſſent, dum ejus præſertim meminiſſe magnopere oportebat. Sed & ipſa Græca Voogii epiſtola multa ſuppoſitionis indicia ſuppeditat. Quamvis enim nonnulla deſint, quæ in vulgato latino exemplo leguntur; vix tamen veri videtur ſimile & Ægeam Proconſulem tam longas cum Apoſtolo diſputationes habuiſſe, & Apoſtolum tam multa de Chriſtiana Religione, tantaque perſpicuitate, coram impio Judice aperuiſſe. Quamobrem ſi bona Voogii pace dubiam ſaltem adhuc actorum Andreæ fidem dixerimus, non id temere a nobis dictum putabimus.

JESU CHR. AN. 40.

Aug. de fide contra Manichæos. Bayllet. di. 30. Novem. Tillem. not. 2. in And. Dupin. tom. 1. Biblioth. Euſeb. an. 46. num 29. Gelaſ. in Synod. Rom. Innoc. epiſt. ad Exuper. Coutan. p. 796.

Voog. acta S. Andreæ Apoſt. Exercit. 3. p. 224.

JESU CHR. AN. 40. De S. Philippo Apoſt., ejuſque filiabus. *Theodo ret. in Pſal. 116. Polycrati epiſt. apud Euſeb. lib. 3. cap. 31.*

18. Ubinam S. Philippus Apoſtolico functus ſit munere, jam videamus. Huic Phrygiam contigiſſe Theodoretus tradit, quin etiam eidem Aſiam contributam fuiſſe, & demum Hierapoli obiiſſe prodit Polycratis epiſtola apud Euſebium. *In Aſia*, inquit, *magna quædam lumina extincta ſunt, quæ ſuſcitabuntur in noviſſimo die adventus Domini, Philippum intelligo, qui fuit unus ex duodecim Apoſtolis, mortuuſque eſt Hierapoli cum binis filiabus, quæ in virginitate conſenuerunt. Altera quoque ejus filia, quæ ſpiritualem quamdam vitam duxit, Epheſi ſepulta eſt.* Hanc autem in matrimonio vixiſſe indicare videntur ipſa Polycratis verba, ipſam a ſororibus diſtinguentis, quæ in virginitate conſenuerunt; & quidem Euſebio teſte: *Petrus, & Philippus liberos ex legitimis nuptiis procrearunt. Philippus etiam filias collocavit viris.* Polycratis tamen, Clementis Alexandrini, & Euſebii teſtimonia non de Philippi Diaconi filiabus intelligenda eſſe contendunt eruditorum plerique. Conſtat enim ex actibus Apoſtolorum, Philippum Diaconum quatuor habuiſſe filias: *Venimus*, inquit Lucas, *Cæſaream, & ingreſſi in domum Philippi Evangeliſtæ, qui erat unus ex ſeptem, manſimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Atque huic ſententiæ favere etiam videtur Euſebius, dum quæ antea dixerat de filiabus Philippi, ea in ſequenti capite confirmat, adducto Lucæ teſtimonio; quod de Philippo Diacono intelligenda eſſe, nemo unquam dubitavit. Verum Philippi Apoſtoli filias cum Philippi Diaconi filiabus non eſſe confundendas ipſa veterum adducta teſtimonia demonſtrant. Nam de Apoſtolo loquutum fuiſſe Polycratem, ea indicant, quæ continuo in ejus epiſtola ſequuntur. *Philippum intelligo, qui fuit unus ex duodecim Apoſtolis.* Eadem ferme habet Clemens in libro Stromatum. Euſebius autem quid clarius! *Petrus*, inquit de Apoſtolis diſſerens, *& Philippus liberos ex legitimis nuptiis procrearunt. Philippus etiam filias viris collocavit.* Animadvertendum præterea Philippi Diaconi filias virginitatem perpetuo ſervaſſe, & dono etiam prophetiæ, teſte Luca, celebres evaſiſſe; quod de quatuor Philippi Apoſtoli filiabus dici non poteſt. Earum enim duæ, auctore Clemente Alexandrino, in matrimonio; reliquæ in virginitate, teſte Polycrate, vitam duxerunt.

Euſeb. lib. 3. cap. 30.

Baron. an. 58. 114. Baſnag. an 46. 34. Valeſ. in Euſeb. Cotel. in Conſt. Ap. lib. 6. c. 7. Tillem. n. t. 4. in Philip. Florent. Martyr. 1. Maii. Bolland. ibidem.

De geſtis Philippi Apoſt.

19. In libro de vita, & obitu Sanctorum, qui Iſidori Hiſpalenſis nomen præfert, habetur, Philippum in Galliis prædicaſſe; quam traditionem plerique in Gallia ſcriptores ſequuntur.

tur. Sed ut notatum jam a Baronio, pro *Gallis*, *Galatis* legendum eſt; Nam ut cætera omittamus, Sulpicius Severus affirmat, Apoſtolorum neminem in Gallias penetraſſe; *Felicem Græcium*, ait, *quæ meruit audire Apoſtolum prædicantem! ſed nequaquam a Chriſto Gallias derelictas, quibus donaverit habere Martinum*. Si Philippum Apoſtolum audiſſent Galli, nihil erat, quod Græcis inviderent. Eumdem Apoſtolum, Martyrem fuiſſe uno ore prædicant Latini, & Græci Scriptores; & ejus paſſionis acta plurima circumferuntur; ſed omnia incerta. Nicetas Paphlago in oratione encomiaſtica ipſum crucifixum tradit: *Virum juſtum ſuſpendunt, ac pedes quidem ſurſum, deorſum vero venerandum caput habebat*; quibus Martyrologium Romanum addit: *Crucifixus, lapidibus obruitur*. At cum hæc ignoraverit Polycrates, Clemens Alex., Euſebius, qui de Philippo Apoſtolo loquuti ſunt, nos quoque malumus ignorare, quam dubia ſequi. Quoad annum vero, quo Philippus Apoſtolus martyrio coronatus eſt, in Euſebii Chronico, Olymp. 207. anno quarto, cui anno Chriſti 52. reſpondet, hæc leguntur: *Philippus Apoſtolus apud Hierapolim Aſiæ civitatem Cruci affixus lapidibus obruitur*. Ita ex verſione Hieronymi in editione Veronenſi. Verum hæc in editione Scaligeriana deſiderantur; ideoque ſequentium ſæculorum additamentum eſſe, quod nec Euſebio, nec Hieronymo tribui poſſit, judicant Eruditi.

JESU CHR. AN. 40.

Demarca epiſt. ad Valeſium de primis Galliæ Epiſcopi. Euſebii hiſt. p. 41. præfica. Sulp. Sev. Dialog. lib. 3. c. 1. Pag. 147. edit. Veron. Launojus de Senten. Sulp. Sever. Bull. dis. 1. Matt. Combef. act. ne. vi. 55. Patrum.

Hier. op. tom. 8. edit. Veron. Tillem. tom. 1. hiſt. Eccleſ. not. in Philip. pag. 640.

20. De regionibus a Thoma Apoſtolo fide illuſtratis, variant antiqui. Parthiam fortitum fuiſſe, ſcribit apud Euſebium Origenes; quod ab Auctore Recognitionum confirmatur: *Denique apud Parthos ſicut nobis Thomas, qui apud illos Evangelium prædicat, ſcripſit; non multi jam erga plurima matrimonia diffunduntur; nec multi apud Medos canibus objiciunt mortuos ſuos*. Nec ab eo diſſidet Socrates: *Cum Apoſtoli, prædicationis cauſa, ad Gentes profecturi, eas inter ſe ſortito dividerent, Thomas quidem Parthiæ Apoſtolatum ſortitus eſt*. Fortunatus etiam in carmine primo libri primi hæc habet:

De S. Thoma Apoſtolo.

Euſeb. lib. 3. r. Recognit. lib. 9.

Socrat. lib. 1. cap. 19.

Bellica Perſidis Thomæ ſubjecta vigori
Fortior efficitur vitta thiara Deo.

Præter Parthiam, Indiam quoque aſſignant Thomæ nonnulli, uti Hippolytus, Gregorius Nazianzenus: *Quid Paulo cum Gentibus commune, Thomæ cum India?* Mortem obiiſſe Cala-

Nazianz. Or. 21.

JESU CHR. AN. 40.

miniæ apud Indos, ſcribit Hippolitus: *Thomas abjetina lancea quatuor ſuis corporis partibus confixus eſt Calaminæ, quæ eſt urbs Indica*. De mortis loco conſentit, & apud Hieronymum, Sophronius: *Thomas Apoſtolus, quemadmodum traditum eſt nobis, Partois, & Medis, & Perſis, & Germanis, & Hircanis, & Bactris, & Magis prædicavit Evangelium Domini; Dormivit in civitate Calaminæ, quæ eſt Indiæ*. In voce Germanis mendum irrepſiſſe, & legendum *Caramanis* non immerito viri clariſſimi ſuſpicantur. De hac Thomæ in Indiam peregrinatione, & de urbe Calamina, ubi martyrio dicitur coronatus, plura habent Lemoine, & Combefiſius, ad quos, ne longiores ſimus, lectorem remittimus. Urbem Calaminam, eamdem ac Maliapuram eſſe in India aliqui aſſerunt, ut apud Oſorium, Silveſtrem Epiſcopum, videre eſt: *In eadem Civitate*, ait, *quam diximus appellari Maliapuram & nunc poſtquam a Luſitanis frequentari cæpit, D. Thomæ civitas appellatur, erat in colle ſacellum ædificatum, eo quod affirmarent incolæ in eo loco Thomam fuiſſe a Religionis hoſtibus interfectum*. Hanc Kircherius traditionem ſuo tentat ſuffragio commendare, ejuſque hic verba lubet referre: *Porro ex Caphurſtan Divum Thomam penetraſſe dicitur, Guzaratam minorem, non longe a Regno Caſimir, de quo ſupra, a Labor triduano itinere ad Septentrionem ſuſcepto diſſitam... Fertur relatione digna fide in Eccleſiæ Maliaporenſis Archivio litteras adhuc Syriaca lingua in pervetuſto pergameno ſcriptas conſervari, quibus Sanctus Thomas Epiſcopos in dictis a ſe conſecratos, ideſt, in Canduhar, Chabul, Caphurſtan, Guzaratæ minori, cæteriſque conterminis locis, ad Concilium Maliaporenſe evocarat*. De Calamina hoc addit Kircherius: *Thomas ſanguinem ſuum fudit Maliapore urbe Regia, ac Metropoli Narſingæ, quod Malabarum annales tradunt. Etſi quidam in Calamina diſſimilia Indiæ urbe hoc contigiſſe aſſerunt, patebit quare, ubi, quis locus fuerit Calamina, prius aperuimus. Nota itaque nullam hujus nominis urbem teſte Malabarum Chronico, nec hodie reperiri in India, nec olim repertam fuiſſe. Sed loco Calaminæ Calurmina legendum eſſe. Quam vocem conflat Malabaricum compoſitam ex* Calur, *&* Mina, *quarum hæc ſupra, illa Petram ſignificat, quaſi dicat ſupra Petram. Eſt autem Maliapuræ, eo in loco ubi S. Apoſtolus martyrio affectus traditur, ingens quædam Petra, quam in hunc uſque diem Calur Malabarica lingua vocant. Dum igitur Malabarum fuſti eum Calaminæ paſſum eſſe tradunt, ea*

voce

De Thomæ Apoſtoli prædicatione in India.

Steph Lemoine not. in Hipp. Combef. act. novif.

Oſorius hiſt Lu. ſit lib. 3. rerum Indic.

Kircherius China illuſt. p. 79.

voce nequaquam urbem particularem, ſed vicinam Maliapuræ petram Calvi dictam, quam Apoſtolus orationis gratia, quotidie aſcendere ſolebat, & ſupra quam, dum orationi incumberet, poſtea occiſus eſt, intelligebant. Quo autem tempore Maliapuram Thomas petierit, docent myſtici characteres in cruce inſcripti, quos explanavit de Jeſuitarum grege Joannes Lucena: *Anno trigeſimo, vigeſima die Decembris poſt Legis Chriſtianæ factam toto Orbe promulgationem S. Apoſtolus Thomas in Maliapura mortuus eſt.* Quæ mira ſane eſt Epoca. De ea Thomæ Maliaporam Legatione, Baronius: *Qui apud Indos*, inquit, *reperti ſunt Chriſtiani in Regione Narſingenſium, firma traditione affirmant, Thomam Apoſtolum in illis regionibus Evangelium prædicaſſe.* Nos hanc traditionem cum viris eruditiſſimis omnino rejicimus; primo quia hujuſce peregrinationis ignari fuerunt quotquot ex veteribus de S. Thoma ſcripſerunt, ideſt Origenes, Auctor Recognitionum, Ruffinus, Socrates: Cumque Iberes Conſtantini ætate Chriſti notitia imbuti ſint, qui fieri poteſt, ut Thomas Indis Orbe Romano longe remotioribus Evangelium miniſtraverit? Inſuper nec veteribus, nec recentioribus hæc urbs, Calamina, nota unquam fuit, quam ex ſagitta, qua confixus dicitur Thomas e calamo formata, Calaminam dictam fuiſſe, ſuſpicatur Lemoine. Porro dum Nazianzenus, æque ac Hieronymus Thomæ Indiam aſſignant, Æthiopiam intelligunt Africæ conterminam; quæ a Veteribus India vocabatur, ubi poſtea Edeſſus, Frumentiuſque Evangelium quarto ſæculo prædicarunt, ut ſuo loco narrabitur.

Jesu Chr. an. 40.

Vide Mamach. tom. 2. Orig. Chriſt. Pag. ad an. 327. num. 10. Tillem. n. 4. in S. Thoma.

21. In Aſiaticam Indiam temporibus Apoſtolorum Evangelium prædicatum fuiſſe, ex Veterum traditione non conſtat; quinimo in interiorem Indiam Apoſtolorum neminem penetraſſe, hiſtorici teſtantur: *In ea diviſione Orbis*, ait Ruffinus, *quæ ad prædicandum verbum Dei ſorte per Apoſtolos celebrata eſt, cum aliæ aliis provinciæ obvenirent, Thomæ Parthia, & Matthæo Æthiopia, eique adhærenti citerior India Bartholomæo, dicitur, ſorte decreta. Inter quam Parthiamque media, ſed longo interior tractu, India ulterior jacet, multis, variiſque linguis, & gentibus habitata, quam vetat longe remotam nullus Apoſtolicæ prædicationis vomere impreſſerat, quæ tamen temporibus Conſtantini Fidei ſemina ſuſcepit.* Cum agitur teſte Ruffino Conſtantini tantum tempore in interiore India prædicatum fit Evangelium; quomodo Thomas Apoſtolus uſque Maliapuram, Narſimque penetraſ-

An Apoſtoli in Indiam prædicaverint.

Ruffin. lib. 1. 9.

JESU CHR. AN. 40.

netrasse dicetur? Cum Ruffino sentit Socrates, dum ait: *interior India, quam Gentes accolunt plurimæ, ante Constantini tempora nondum Christi fide fuerat illustrata*. Piget referre miracula, quibus Thomæ Apostolatum in Indiam illustrant recentiores, uti apud *Kyrcherium* videre est. Quo anno, aut mortis genere martyrium Thomas subierit, ne incerta narremus, dicere præmittimus. Ex Martyrum albo Thomam expungebat Heracleo Valentinianæ hæresis assecla, teste Clemente Alex.: At Theodoretus, aliique Patres inter Martyres S. Thomam adnumerant; cujus reliquiæ Ædessæ in Mesopotamia servabantur, testibus Ruffino, Theodoreto, aliisque. Baronius, ut hæc a veteribus tradita cum Maliapurensi inventione corporis S. Thomæ conciliaret, ejusdem corporis medietatem Maliapuræ, alteram Ædessæ fuisse contendit. At cum hactenus non constet de hac corporis S. Thomæ divisione, ac translatione Maliapurensi, hinc eam traditionem cum Combefisio, aliisque rejicimus.

Socrat. l. 1. 19. Kircher. Chin. illustr. p. 79. Clem. Alex. strom. lib. 4. Theod. de curand. Græc. eff. lib. 8. Gaudent. serm. 17. Nilus apud Phot. God. 276. Ruffin. lib. 11. Theod. ut supra Asterius orat. 10. Apud Chrisost. hom. 32. to. 6. Combef. act. 3. navig. Mamach. Pagius, Tillem. ut supra.

21. Sancto Bartholomæo Indiam contigisse, memorant Veteres. *Pantænus ad Indos usque*, ait Eusebius; *penetrasse dicitur, ibique Evangelium Matthæi, quod adventum ipsius jam prævenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse, quibus scilicet Bartholomæus, unus ex duodecim Apostolis, ut fama est, prædicaverat, & Evangelium Matthæi hebraicis conscriptum litteris reliquerat.* Consentit & Hippolytus: *Bartholomæus cum Indis prædicasset, eisque conscriptum a Matthæo Evangelium exposuisset, crucifixus est & ipse capite deorsum verso.* Alii tamen excoriatum eum fuisse tradunt, quæ utpote dubia, sicuti & alia plurima, quæ de ejusdem Apostoli martyrio in ejus Actis habentur, præterimus.

De S Bartholomæo. *Ruf. lib. 10. 19. Socrat. lib. 1. 19. Nicetas Paphlag. apud Combef. act. Euseb. lib. 5. 10.*

22. Æthiopibus Matthæum, qui & *Levi* dictus est, & a Marco *Alphæus*, prædicasse, a veteribus quoque traditum: *Matthæo*, ait Ruffinus, *obtigit Æthiopia*, & Socrates: *Matthæus Æthiopiæ Apostolatum sortitus est. Obdormivit Hiera Parthorum civitate*, addit Hippolytus. Quæ autem Æthiopia, an Meridionalis, vel Septentrionalis Matthæo contigerit, dubium est, sicut Martyrii genus, annus, & locus.

De Apost. Matthæo. *Tillem. art. 3. Gregor. Turon. de glor. Martyr. Sur., Bollan. 24. Aug. Allatius de Simeonibus.*

23. Jacobus Alphæi Frater Domini, qui & Justus nominatur, in exteras non abiit provincias, sed, uti jam diximus, Hierosolymorum Episcopus creatus est. Adeo autem sanctitatis fama floruisse memorant, ut eum Judæi ipsi honore maximo pro-

De Jacobo Apost. & Hierosolym. Epis.

profecuerentur, Hegeſippo, & Joſepho teſtibus. Atque hic præſertim memoriæ prodidit in tanta apud Populum æſtimatione Jacobum fuiſſe, ut propter illatam ipſi necem, putaverint, excidiſſe Hieroſolymam fuiſſe, & Judaicum populum acerbiſſima clade affectum. At de ejus vitæ inſtitutione plura inferius, cum de ejus Martyrio agendum erit.

Jesu Chr. an. 40. *Euſ. lib. 2 23. Joſeph. antiq. lib. 20. cap. 8.*

24. De altero quoque Jacobo Joannis Fratre, quem Herodes gladio occidit, anno 42. differemus. Id tantum hoc loco notandum, tres a Græcis Jacobos recenſeri: Jacobum ſcilicet Alphæi; Jacobum Fratrem Domini; & Jacobum Fratrem Joannis. Latinorum tamen traditio duos tantum Jacobos agnoſcit, utroſque Apoſtolos, Fratrem ſcilicet Domini, qui & Alphæus dicebatur, & Joannis Fratrem; atque horum tantummodo in Eccleſia memoria celebratur. Quam ſententiam, utpote a Veteribus traditam, ſecuimur: *Duos item Jacobos fuiſſe, ferunt, unum cognomento Juſtum, qui de Templi faſtigio præceps dejectus, Fullonis veſte cæſus occubuit, alterum, qui capite abſciſſo migravit e vita.* Hæc Euſebius, cui ſubſcribunt Hieronymus, Auguſtinus, aliique innumeri ex antiquis, & recentioribus; Bollando tamen, aliiſque nonnullis Græcorum opinio magis arridet.

An duo, vel tres Jacobi Apoſtoli. *Conſt. Apoſt. lib. 2 59. Niceph. lib. 2. 3.*

25. Simon Cananæus, qui & Zelotes, quem & Judam nominatum fuiſſe, teſtatur Hieronymus, in Meſopotamiam profectus Evangelium illic annunciavit; addunt Græci Ægyptum, Africam, & Brittaniam eum perluſtraſſe, ac tandem in Perſia obiiſſe. At hæc, quæ de Simonis Apoſtolatu Græci proferunt, incerta omnino ſunt, ne dicam falſa; etenim a Romana Eccleſia in Africanam, & Brittanicam Evangelicæ fidei lucem derivaſſe oſtendunt Uſſerius, & Scheleſtratus. Neque minus falluntur, qui Simonem Apoſtolum cum altero Simone Jacobi in Sede Hieroſolymitana Succeſſore confundunt; fuit hæc Sophronii, & Pſeudo Iſidori, in libello de vita & obitu Sanctorum, ſententia, quam Florentinius poſtea recentiori memoria ſequutus eſt; Euſebii tamen auctoritate refellitur, qui licet de Simone Hieroſolymitano Epiſcopo, plurima habeat, nunquam tamen Apoſtolum fuiſſe affirmat; & capite antecedenti Apoſtolorum hiſtoriæ obitu Ss. Joannis, & Philippi finem imponere quodammodo videtur.

Hier. in Hel. vid. c. 7. Aug. in Creſcon. lib. 2. 37. Tillem. not. 1. p. 613. Pearſ. Annal. p. 58. Bellan. die 1. Maii. De Simone Apoſtolo. *Hier. ad Galat. Niceph. lib. 2. 40. Auguſt. Ep 43. Innoc. Ep. ad Decentium. Scheleſtrat. diſſert. 1. de Eccleſ. Afric. Uſſerius antiq. Britt cap. Florent. Martyrol. pag. 76.*

26. Duo adhuc ſuperſunt Apoſtoli, Thaddæus ſcilicet, qui & Judas, & Matthias, qui Judæ proditori in apoſtolatu

Euſ. lib. 3. 32.

De Thaddeo, ſeu Juda.

JESU CHR. AN. 40. *Hieron. in Matth. 10 Euſ. lib. 1. 13.*

latu ſucceſſit. De Thaddæo hæc ſcribit Hieronymus: *Thaddæum Apoſtolum Eccleſiaſtica tradit Hiſtoria, miſſum Ædeſſam ad Abgarum Regem Choſdrænæ, qui ab Evangeliſta S. Luca, Judas Jacobi, & alibi appellatur Lebbeus.* At Euſebius Thaddæum, qui Ædeſsam ivit, non Apoſtolum, ſed e ſeptuaginta diſcipulis fuiſse diſerte tradit: *Thaddæum unum ex ſeptuaginta Chriſti Diſcipulis Ædeſſam Thomas Apoſtolus miſit, ut Chriſti doctrinam illis Gentibus nunciaret.* De profectione Thaddæi, ſive Apoſtoli, ſive Diſcipuli ad Abgarum Regem, infra, ubi & de Epiſtolis ab eo ad Chriſtum datis, & acceptis a Chriſto, agendum erit. Monemus interea alium ab Apoſtolo Thaddæum eumdemque ex 70. Chriſti Diſcipulis plurimos admiſiſſe. At unum tantum fuiſſe vero eſt ſimilius, & Hieronymi ſententiæ tota Latinorum Eccleſia conſentit, quæ unius memoriam tantum recolit.

Niceph. Doroth. in Synopſi.

Tillem. n. 2. p. 652. Bar. Martyrol. 28. Octob.

De Matthia Apoſtolo.

27. Ad Matthiam tandem Apoſtolorum ultimum devenimus, de quo præter ea, quæ de ejus Apoſtolatu habentur in Actis Apoſtolorum, vix quidquam ab antiquis traditur. Ex ſeptuaginta Diſcipulis fuiſſe, ſcribit Clemens Alex: De Gentibus, quibus Evangelium prædicavit, & de mortis genere, ac tempore, multa a recentioribus referuntur, ſed incerta omnino, ac etiam fabuloſa. Sed de diviſione, & itineribus Apoſtolorum hactenus; ut enim Baronii verbis utamur, *Res difficilis inveſtigatu, brevitate tractanda magis eſt, quam fabulis involvenda, & commentis exageranda*, quippe cum minime pietatem deceat fabulis Fidelium mentes enutrire, & in admirationem rapere. Quæ vera, eadem pia ſunt, ac pietatem fovent: *Non ſit nobis Religio in phantaſmatibus; melius eſt enim quodcunque verum, quam quidquid fingi poteſt*, ajebat Auguſtinus in libro de vera Religione.

Clem. Alex. Strom. 4.

Bolland. die 24. Febr.

Bar. an. 44. 41.

An ad omnes Gentes iverint Apoſtoli.

28. Expoſitis jam Apoſtolorum in Orbem Terrarum peregrinationibus, non injucunde quæritur, num ad omnes omnino Gentes perrexerint, ita ut ſtrictim accipiendum ſit illud Jeſu Chriſti mandatum: *Euntes, docete omnes gentes, & prædicate Evangelium omni creaturæ*; ſive potius per Synecdochem, qua pars maxima pro toto uſurpatur, ſive per hyperbolim, ita ut quantum per Apoſtolos fieri poterat, ubique prædicandum eſſet Evangelium. *Sunt, qui propagatam ubique terrarum*, ait Pagius, *Evangelii notitiam Apoſtolorum ævo ſcribant, quod multo ſincerius, in proprio nimirum ſenſu, Apoſtoli verba intelligan-*

Matth. 28. Marc. 16.

Pag. ant. 2. an. 44.

ligantur. Quod si quis dicat, non potuisse Apostolos transvehi in novum Orbem, & in Peruanas, ac Mexicanas Regiones, respondet Torniellus in Annales veteris Testamenti anno Mundi 1931. num. 45. Americam cum aliis Orbis partibus habitatis, præsertim cum Asia, qua late patet, aut occultis semitis continuari, aut brevi aliquo Freto dissilingui: in medio Oceani cursu non raras esse Insulas, quasi scalarum vice per has vias ferri & homines, & bruta potuisse, aut naufragio præter spem in vastissimas illas plagas appelli; nec forsan defuisse Angelorum obsequia, cum Angelis de prædicatione Evangelii cura, Deo jubente, fuerit. Neque dissimulandum est, Veterum nonnullos ita loqui, quasi ubique locorum, atque gentium propagata sit ab Apostolis Christi notitia. Videantur Justinus, Irenæus, Arnobius, Hieronymus, & ex recentioribus plurimi.

JESU CHR. AN. 40.

Justin. Dialog. cum Tryph. Iren. lib. 1. hæres. 3. Arnob lib. 2. Hær. Epist. 3. ad Heliodor. Georg. Mochius oran. de evang. in Americ. pro. pag. Lipsiæ 1625. Vincius Millell. Sacror. tom. 2.

29. Alii contra, quorum veriorem sententiam judicamus, toto Orbe prædicatum fuisse Evangelium Apostolorum ævo, omnino negant. Ex veteribus afferri possunt Ruffinus, Theodoretus, Socrates, ex quibus habetur, neque Iberorum gentem, neque ulteriorem Indiam ante Constantini Magni tempora Evangelica luce fuisse illustratas; quamvis neutra tam vasto maris spatio, quale illud est ad Americam usque, disjungeretur. Augustinus quoque testatur Gentes ætate sua fuisse, quibus nondum Evangelii notitia pervenerat: *Non desunt adhuc ultimæ Gentes, & ut perhibetur, paucissimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum.* Idem ferme a Prospero Augustini coævo traditum legimus: *qui dicit, quod non omnes vocentur ad gratiam, sed de his loquitur, quibus Christus annunciatus non est, reprehendi non debet. Quia scimus quidem in omnes fines Terræ Evangelium destinatum. Sed non putamus jam in omnibus Terræ finibus prædicatum; nec possumus dicere, quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi Matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.* Eo tamen temporis intervallo, quod ab Apostolis ad Prosperum interfecit, amplissimos fuisse constat Evangelicæ prædicationis progressus. Et Tertullianus quidem testatur, magno Gentes numero Christo fidem addidisse. *In quem enim alium universæ Gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim & aliæ Gentes crediderunt Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrigiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphiliam, immorantes Ægyptum, & Regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem,*

Aug. de nat. & grat. cap 2.

Prosper. Sent. 4

Tertull. adverss. Judæos pag. 164. edit. Pamelii.

JESU CHR. AN. 40.

inhabitantes? Romani, & Incolæ tunc & in Hierusalem Judæi, & cetera Gentes: Ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita. In tanta Populorum multitudine, qui Christiana Religione tenebantur, præteriisset ne Tertullianus Americanos, quorum fides eo gloriosior fuisset Ecclesiæ, quo magis erant orbe divisi, & vel ipsis Romanis ignoti? Accedit, quod Justinus Hamexiabiorum, Scemitarum, Nomadum; Arnobius vero Insularum, & Provinciarum omnium, quas Sol oriens, atque occidens lustrat, meminerunt, de America tamen omnino silent.

Ex Patribus plurimi Antipodas esse negarunt.

30. Præterea Philosophorum, qui Antipodas esse tuebantur, opinioni Patres illudunt: *Quid illi*, ait Lactantius, *qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant? Num aliquid loquuntur? Aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora, quam capita.* Consentit Lactantio Augustinus: *Quod vero & Antipodas esse fabulantur, idest homines a contraria parte Terræ, ubi Sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est.* In eadem fuit opinione Hieronymus Commentario in Ezechielem cap. 1. *Qui Philosophorum stultam sequuntur sapientiam, duo hemisphæria in duobus Templi Cherubim, nos & Antipodas, quasi supinos, & cadentes homines suspicantur.* Constat itaque, Veteribus fuisse persuasum, Americanis, qui nobis sunt Antipodes, Evangelium minime fuisse allatum, uti pluribus adnotat Mamachius. Atque hyperbolice dicta, vel de Apostolis eorumque successoribus usque ad consumationem sæculi intelligenda esse, quæ habentur in Psalmo: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Verum qui plura de Christianismi in singulis regionibus ortu nosse cupit, adeat Cl. F. Thomam Mamachium, qui altero originum Christianarum volumine rem fuse, & ingeniose persequitur.

Aug. de Civit. Dei lib. 16. cap. 9.

Mamach. tom. 2. Orig. Christ.

Orig. in Matth. hom. 23. Mamach. ut sup. p. 330.

De Gestis Apostolorum suppositiis.

31. Quæ porro ab Apostolis, post ipsorum separationem gesta fuerunt, non nisi divinando assequi possumus. Quæ enim circumferuntur Apostolicæ Historiæ monumenta, commentitia sunt, & tenebras augent potius, quam dispellunt. De iis tamen non inutile erit paucis agere, ut genuina monumenta ab apocryphis dignoscere Lector possit. Atque inter hæc recensendum

dum in primis occurrit Itinerarium Petri, sub Clementis nomine, sive Recognitionum vel Clementinarum Liber. Huic adjungendi actus nomine Andreæ, Thomæ, Philippi, Pauli, & Theclæ, quos omnes suo Decreto Gelasius proscripsit; ejusdemque omnino generis sunt circuitus Joannis ab Hæreticis conficti, teste Philastrio. Atque de commentitiis Apostolorum actibus agens Innocentius Epistola ad Exuperium, hæc habet: *Cætera, quæ sub nomine Matthiæ, sive Jacobi Minoris; vel sub nomine Petri, & Joannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ a Nexocharide, & Leonide Philosophis, & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.* Gelasius vero de eodem Leucio ita statuit: *Libri omnes, quos fecit Leucius discipulus Diaboli, apocryphi.* Fuisse hunc secta Manichæum, atque actus Apostolorum scripsisse, Augustinus eos refellens, testatur. Ceterum multo ante Manetis hæresiarchæ ætatem, & ipsis fere Apostolorum temporibus conficta fuisse eorumdem acta constat ex Epiphanio hæc de Encratitis scribente: *Utuntur & scripturis primo loco, quæ dicuntur Andreæ, & Joannis actiones, atque Thomæ.* Rursum circuitus Petri ab Ebionitis interpolatos fuisse, & acta præterea Apostolorum conficta, in quibus multa adversus Paulum mendacia continebantur, Epiphanius ipse memoriæ prodidit: *Actus vero Apostolorum alios esse dicunt, in quibus habentur multa impietate ipsorum referta.*

32. In Apocryphorum censum referendæ præterea sunt vitæ Apostolorum sub nomine Abdiæ Babylonii, itemque Prochori nomine actus Joannis Evangelistæ; liber passionum Apostolorum Seleuco inscriptus, quæ Lini nomine circumfertur passio Petri Apostoli, Manichæismo infecta. Sed qua ratione hæc omnia, vel his similia Augustinus refellat, audiamus; disputans enim contra Marcionitam, sic ait: *Sane de Apocryphis iste posuit testimonia, quæ sub nominibus Apostolorum Andreæ, Joannisque conscripta sunt, quæ si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas usque ad nostra deinceps tempora perseverat;* Et alibi contra Faustum: *Legunt*, inquit, *Scripturas apocryphas Manichæi, a nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas; quæ suorum scriptorum temporibus in auctoritatem Sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si Sancti, & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos ve-*

JESU CHR. AN. 40.

Gelas. decret. de libris Apocr. tom. 2. Concil. Hard. pag. 938. Philastr. de Hæres. c. 89. Coustan. Epist. Rom. Pont. f. Innocent. Epist. ad Exup. cap. ult. pag. 796.

Gelas. ut sup.

Aug. de Fide contra Manich. c. 4. & 38.

Epiph. hæres. 47.

Epiph. hæres. 30.

Epiph. ibid.

Apostolorum vitæ Apocryphæ.

Aug. contra ad. vers. legis lib. 1. cap. 20.

Aug. contra Faustum lib. 22. cap. 79.

JESU CHR. AN. 40.

ra loquutos esse cognoscerent. Ex quibus facile profecto quisque intelligit, quam caute in Apostolica Historia versari oporteat, ut vera a falsis, certa ab incertis secernantur.

Scripta supposita nomine Apostoli Petri.

33. Quoniam vero de his agere instituimus; recensitis jam his, quæ de rebus gestis Apostolorum sunt falso supposita, operæ pretium erit ea quoque scripta connumerare, quæ sub Apostolorum nomine in vulgus prodierunt. Et ut ab his, quæ

Hier. de Script. Eccles. in Petro.

Principi Apostolorum falso tributa sunt, auspicemur: *Petri nomine*, inquit Hieronymus, *feruntur quinque libri, quorum primus Actuum Petri inscribitur, alius Petri Evangelium, tertius Prædicationes Petri, quartus Apocalypsis, quintus Liber Judicii*.

Euseb. hist. lib. 3. cap. 3. Clem. Alex. lib. 6. Strom. Orig. in Joan. cap. 13.

Recenset eosdem Eusebius. Clemens vero Alexandrinus tam operis, quod Petri prædicatio, quam alterius, quod Petri Apocalypsis inscribebatur, fragmenta recitat, & post ipsum Origenes. In quibusdam Ecclesiis Palæstinæ, in die Parasceves, quædam recitari solita ex Petri Apocalypsi, auctor est Sozomenus.

Sozom. hist. lib. 7. c. 19. Euseb. lib. 6. cap. 12.

Commentarium, cujus titulus erat, *Evangelium Petri* primus omnium Serapion Episcopus Antiochenus, quod hæreses contineret, & ab Hæreticis probaretur conscriptum, Fidelibus interdixit. Librum inscriptum, *Judicium Petri*, Rufinus existimavit eumdem esse cum eo, qui dicebatur, *Liber Pastoris*. Origenes vero alium refellit sub titulo *Doctrina Petri*.

Orig. in Periarch.

Scripta nomine Pauli.

Galat. in Dexter. de lib. Apocr. ut sup.

34. Pauli quoque nomine multa fuere suppositа; ac primum Evangelium, itemque Apocalypsis, quæ damnat Gelasius; Cum enim Paulus interdum dicat, *secundum Evangelium meum*; falsum nomine Pauli fuit editum Evangelium. Præterea cum in

2. Corinth. 12. Galat. 2.

Epistola ad Corinthios, se a Deo revelationes accepisse, testatus sit, & suas quoque revelationes Galatis commemoret, ejus nomine revelationes sunt editæ; quas apud Tarsum Ciliciæ in ædibus Pauli, arca marmorea reconditas, Theodosii Imperat. temporibus Deo revelante inventas fuisse Hæretici affirmabant, teste Sozomeno. A Cajanis porro hæreticis confictum fuisse Librum, quem dicebant, Ascensum Pauli, accepta inde occasione, quod idem Apostolus se dicat ascendisse usque ad tertium Cœlum, & audivisse arcana verba; eoque Libro Gnosticos hæreticos usos esse, auctor est Epiphanius. Actus insuper Pauli, tanquam ab eo scripti circumferebantur, quorum meminit Origenes. Neque vero hæc edita solummodo Pauli nomine; sed & Epistolæ præter canonicas confictæ, nempe tertia ad Corinthios, tertia ad Thessalonicenses, & alia Laodicensibus inscripta.

Sozom. lib. 7. cap. 19.

Orig. in Joan. tom. 27.

35. Uti

35. Uti Petro & Paulo, sic etiam reliquis Apostolis constat scripta quædam falsa fuisse tributa. Et Joanni quidem, Cerinthi opera, Apocalypsis ab ea prorsus diversa, quæ totius Catholicæ Ecclesiæ consensu & auctoritate probatur. Præterea libellus de Transitu Virginis. Andreæ, Bartholomæo, Jacobo, Thaddæo, Barnabæ, Marco, suum cuique Evangelium. Thomæ præter Evangelium Apocalypsis; Matthæo liber de Infantia Salvatoris; Matthiæ cum Evangelio Traditiones; quæ omnia Gelasiano Decreto proscribuntur. Philippi Apostoli itidem nomine inscriptum fuisse Pseudo-Evangelium, quo utebantur Gnostici hæretici, auctor est Epiphanius. Ad hæc Stephani quoque inscriptione insignitas Revelationes Hæretici ediderunt, quas idem, qui supra, Gelasius condemnat. Addiderunt & Gnostici librum titulo *Stirpis Mariæ*, horrendis refertum mendaciis, uti Epiphanius docet; Cajani vero, testibus eodem Epiphanio & Theodoreto, nomine Judæ proditoris, quem laudabant, Pseudo-Evangelium composuere. Neque unius, alteriusve tantum Apostoli, sed omnium simul nomine sua Hæretici scripta consignarunt. Ferebantur namque volumina, inscripta *Doctrina Apostolorum*, & *Laus Apostolorum*, quæ Gelasius damnavit, & Cerinthianorum, Ebionitarum, Valentinianorum, Gnosticorum, aliorumque, sed Manichæorum præsertim, commenta fuisse constat. De his enim, præter illa, quæ Cyrillus, Augustinus, & alii retulerunt, hæc S. Leo: *Apostolicas paginas quædam inferendo violaverunt Manichæi ipsi, confingentes sibi sub Apostolorum nominibus, & sub verbis Salvatoris ipsius multa Volumina falsitatis.* Hactenus recensitis apocryphorum deliramentis adjungendæ sunt, ascensio Isaiæ, & Apocalypsis Eliæ, de quibus ita Hieronymus: *Apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occasione hujus testimonii ingeruntur Ecclesiis Christi. De quibus vere dici potest, quod sedeat Diabolus in insidiis cum divitibus in Apocryphis, ut interficiat innocentem.* Et iterum: *Insidiatur in Apocrypho, quasi Leo in spelunca sua: insidiatur, ut rapiat pauperem. Ascensio enim Isaiæ, & Apocalypsis Eliæ hoc habent testimonium. Et per hanc occasionem, multaque hujuscemodi Hispaniarum, & Lusitaniæ deceptæ sunt mulierculæ oneratæ peccatis, quæ ducuntur desideriis vanis, semper addiscentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. ut Basilidis, Balsami, atque Thesauri, Barbelani quoque, & Leusiboræ, ac reliquorum nominum portenta susciperent.*

Scripta aliis Apostolis supposita.

Epiph. hæres. 26.

Epiph. hær. 26. idem hæres. 38. Theod. lib. 1. Hæret. Fabul.

Cyrill. Catech. 6. Leo serm. 4. de Epiph.

Hieron. in Isaj. c. 64.

36. Non

JESU CHR. AN. 40.

Christi nomine scripta confecta.

36. Non his tamen finibus sese impiorum licentia continuit; sed multo longius progressa fuit. Nam a Christo Redemptore nostro librum de Magia ad Petrum, & Paulum Apostolos scriptum fuisse, quidam sive Hæretici, sive Gentiles horrende plane, ac nefarie mentiti sunt; quos ita Augustinus turpissimi, ac patentissimi mendacii arguit: *Ista isti dejiciunt, ut in illis libris, quos eum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama ubique percrebuit. Quod existimando, se ipsos produnt, quid diligant, & quid affectent; quandoquidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia, nescio, quæ illicita noverat, quæ non solum disciplina Christiana, sed etiam ipsa terrenæ Reipublicæ administratio jure condemnat. Et certe, qui tales Christi libros legisse se affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur? Quid quod etiam divino judicio sic errant quidam eorum, qui talia Christum scripsisse vel credunt, vel credi volunt, ut eosdem Libros ad Petrum, & Paulum dicant, tanquam ejistolari titulo prænotatos? Et fieri potest, ut sive inimici Nominis Christi, sive qui ejusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus auctoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi, & Apostolorum nomine scripserint; in qua fallacissima audacia sic excæcati sunt, ut etiam a paucis, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum Christianas litteras norunt, merito rideantur. Cum enim vellent tale aliquid fingere, Christum scripsisse ad Discipulos suos cogitaverunt, ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur; tanquam ad illos, qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur: & occurrit eis Petrus, & Paulus. Credo, quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt; quia merita Petri, & Pauli etiam propter eumdem passionis diem celeberrimum solemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum, & Apostolos ejus non in sanctis Codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Nec mirum si a pingentibus fingentes decepti sunt. Toto enim tempore, quo Christus in carne mortali cum suis Discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus ejus, quem post passionem suam, post Resurrectionem, post Ascensionem, post missum de Cælo Spiritum Sanctum, post multorum Judæorum conversionem, & mirabilem fidem, post lapidationem Stephani Diaconi, & Martyris, cum adhuc Saulus appel-*

Aug. de consens. Evang. l. 1. c. 9. & 10.

Mos pingendi cum Christo Apostolos.

JESU CHR. AN. 40.

appellaretur, & eos, qui in Chriſtum crediderant, graviter perſequeretur, de Cœlo vocavit, & ſuum diſcipulum, & Apoſtolum fecit. Quomodo igitur potuit libros, quos, antequam moreretur, eum ſcripſiſſe putari volunt, ad Diſcipulos, tanquam familiariſſimos, Petrum, & Paulum ſcribere, cum Paulus nondum fuerit diſcipulus ejus. Hæc, & alia Auguſtinus de Libris apocryphis Petri, aliorumque Apoſtolorum geſta narrantibus, de quibus conſule, ſi lubet, præ cæteris Alberti Fabricii Codicem Pſeudopigraphum nov. Teſtam.

De Abgari Epiſtola ad Jeſum Chriſtum. *Euſeb. lib. 1. cap. 13.*

37. Jam vero de Abgari ad Chriſtum Epiſtola, hujuſque ad eum reſponſione, paulo diligentius inquiramus. Rem ita refert Euſebius: *Cum Jeſu Chriſti, admiranda opera ubique jam celebrarentur, in remotiſſimis etiam Regionibus, Rex Abgarus, qui Gentibus trans Euphratem poſitis præerat, cum gravi morbo, & qui humana ope curari non poterat, conſumeretur; ſimul atque de Jeſu nomine ubique diffuſo, ac de ſtupendis ejus miraculis, quæ omnium teſtimonio firmabantur, accepit, miſſis per Tabellarium litteris, ſupplex eum rogavit, ut ſe morbo liberaret. At ille tum quidem vocanti minime eſt obſecutus. Litteras tamen ad eum ſcribere non recuſavit, quibus unum e diſcipulis ſuis, qui ipſum ſanaret, miſſurum ſe eſſe pollicebatur, neque ipſi ſolum, ſed omnibus, propinquis, & familiaribus ſalutem præſlaturum. Nec multo poſt ad exitum perducta ſunt, quæcunque ei promiſſa fuerant. Nam poſt Reſurrectionem Chriſti, ejuſque in Cœlos aſcenſum, Thomas, unus e duodecim Apoſtolis, divino quodam impetu impulſus, Thaddæum, unum e ſeptuaginta Chriſti Diſcipulorum numero, Ædeſſam miſit, ut Chriſti doctrinam illis Gentibus nuntiaret; Ejuſque opera Servatoris noſtri promiſſu exitum ſortita ſunt. Cujus quidem rei teſtimonium habemus ex ipſius Ædeſſæ, in qua tum regnabat Abgarus, tabulariis deſumptum. Siquidem in monumentis publicis, in quibus antiquitates Urbis, & res Abgari geſtæ continentur, hæc etiam ad noſtram uſque ætatem conſervata reperimus. Operæ pretium igitur fuerit, ipſas epiſtolas audire, quas ex Archiviis depromptas e Syrorum lingua fideliter tranſtulimus in hunc modum: Abgarus Princeps Ædeſſæ Jeſu Servatori bono, qui in finibus Hieroſolymorum apparuit, ſalutem. Nunciatum eſt mihi de te, & de curationibus, quas abſque herbis, & medicamentis operaris. Fama enim eſt, cæcis viſum, claudis greſſum abs te reſtitui, leproſos mundari, dæmo-*

JESU CHR. AN. 40.

dæmones, & immundos ſpiritus expelli, diuturnis morbis oppreſſos ſanari, mortuos denique ſuſcitari. Quæ cum omnia de te audirem, ſic in animum induxi, aut te revera Deum eſſe, qui e Cœlo delapſus, hæc efficias, aut certe Dei Filium. Proinde ad te ſcripſi, orans, ut nos inviſere, morbumque noſtrum ſanare, non graveris. Audio enim, Judæos tibi obtrectare, & inſidias in caput tuum ſtruere. Eſt mihi civitas parva quidem illa, ſed ornata, quæ noſtrum utrique ſufficiat. Et hæc quidem ita ſcripſit Abgarus, cum divini luminis radius eum modice tum quidem colluſtraſſet. Nunc Epiſtolam, quam ei Jeſus per eumdem Tabellarium reſcripſit, audiamus, brevem illum quidem, ſed virtutis, & efficaciæ pleniſſimam. Quæ ſic habet:

Jeſu Chriſti Epiſtola ad Abgarum.

38. *Beatus es Abgare, qui in me credideris, quem non vidiſti. De me enim ſcriptum eſt, eos, qui me viderint, non creditуros in me, ut ii, qui non viderint, credentes vitam accipiant. Quod vero ad me ſcribis, ut ad te proficiſcar, hic neceſſe habeo omnia implere, propter quæ ſum miſſus, iiſque demum abſolutis, ad illum, qui me miſit, reverti. Cæterum cum primum ad eum me recepero, ex Diſcipulis meis aliquem ad te mittam, qui & morbum tuum curet, & vitam tibi, tuiſque omnibus præſtet.* Hactenus Jeſu Chriſti epiſtola ad Abgarum, & Abgari ad Jeſum Chriſtum, ex Ædeſſenæ Eccleſiæ Archivio. De Thaddæo deinde ad Abgarum miſſo hæc ſequuntur:

Euſeb. ibid. ut ſup.

Poſt aſcenſum Jeſu Chriſti Judas, qui etiam Thomas dictus eſt, Thaddæum Apoſtolum (non ex duodecim, ſed latiori ſignificatione) *unum e Septuaginta ad Abgarum miſit.* Ubi Ædeſſam advenit Thaddæus, apud Tobiam Tobiæ filium divertit. Poſtquam vero fama de ejus adventu, & miraculis increbreſcere cœpit, nunciatum eſt Abgaro, adveniſſe jam Apoſtolum, quem a Jeſu mittendum per litteras receperat. Quare accito Tobia: *Accepi*, inquit, *virum apud te diverſari, qui plurima edit miracula, illum velim ad me adducas.* Poſtridie itaque Tobias, aſſumpto Thaddæo, ad Abgarum perrexit; Cumque ingreſſus eſſet, Abgarus Proceribus ſuis circumſeptus, in ipſo intrantis Thaddæi vultu divinum, neſcio, quid videre ſibi viſus eſt; quo conſpecto, Thaddæum ſtatim adoravit. Abgaro profitenti ſe in Chriſtum, & Patrem ejus credere, Thaddæus manum impoſuit in Nomine Domini Jeſu. Quo facto ſtatim Rex morbo convaluit, ſed præterea Abdus quidam podagra laborans, qui ſupplex Thaddæi pedibus advolutus, & benedi-

ctio-

ctionem ab eo per impositionem manus accepit, repente sanatus est.

JESU CHR. AN. 40.

39. Cum porro Thaddæum Abgarus vehementer rogaret, ut sibi Christi doctrinam exponeret; respondit Thaddæus: *Nunc quidem parcam dicere, quandoquidem ad Verbum Dei palam omnibus nuntiandum sum destinatus. Crastina vero die congrega mihi omnes cives tuos, & verbum Dei coram illis prædicabo.* Quamobrem, ut prima luce ad audiendam Thaddæi prædicationem cives convenirent, Abgarus edixit; & paulo post: *Aurum, & argentum Thaddæo dari jussit*, qui tamen accipere recusavit, hæc addens: *cum nostra dimiserimus, cur aliena capiemus. Acta sunt hæc anno quadragesimo & trecentesimo* Æræ Seleucidarum, juxta quam Valesius Eusebii locum restituit; æræ vero vulgaris 29. Æra enim Seleucidarum, uti jampridem a viris doctissimis animadversum, Annis 311. Christianam antecedebat. Hactenus Eusebius, qui rursus in Historia rem ita confirmat: *Iisdem temporibus, quæcumque Servator noster Osdroenorum Regi promiserat, ad effectum perducta sunt. Thomas enim divino quodam motus afflatu, Thaddæum Christianæ doctrinæ præconem, & nuntium Ædessam misit, ut ex Monumentis ibidem repertis paulo superius ostendimus. Hic cum ad ea loca perveniisset, & Abgarum in Christi nomine sanavit, & omnes ejus regionis Incolas miraculorum novitate percutit. Cumque illos hujusmodi admirandis operibus satis præparasset, & ad cultum, veneration emque divinæ Christi potentiæ perduxisset, tandem salutaris doctrinæ auditores reddidit. Abhinc universa Ædessenorum Civitas, quippe quæ non vulgare Servatoris nostri erga se benevolentiæ indicium possideat, ejus nomini hactenus dicata permansit.* Eusebio congruunt S. Ephrem Syrus Ædessenæ Ecclesiæ Diaconus, qui epistolæ Abgari ad Jesum Christum in testamento meminit, Darius Comes epistola ad Augustinum, Evagrius, Damascenus, & septima Synodus Œcumenica, aliique plurimi, qui & epistolas, & Abgari curationem memorant.

Thaddæus Abgaro Evangelium prædicat. *Euseb. l. 1. 13.*

Vales. Not. in cap. 13. lib. 1.

Norisi. Pag. Tillem. Basnag. Euseb. lib. 2. cap. 1.

S. Ephrem vita Bed. die 1. Febr. pag. 62. Inter epist. Aug. 263. Damascen. l. 4. Fidei orth. 15. Evag. hist. lib. 4. 26. Synod. 7. act. 5.

40. Neque veterum tantum, sed recentiorum quoque quamplures, quæ hucusque retulimus, uti vera & genuina propugnant. Nituntur autem potissimum testimonio Eusebii, cujus tanta est in Ecclesiastica Historia auctoritas, ut ejus, & merito quidem, Parens appelletur. Eusebii fidem, industriamque in Ecclesiasticis monumentis perquirendis, expendendisque, & nos

An epistola Abgari ad Jesum Christum genuina sit.

Baron an. 31. Tillem tom. 1. p. 360. 515.

JESU CHR. AN. 40.

profecto suspicimus, ac vehementer commendamus. Sed non adeo, ut numquam scribendo aliquid erraſſe exiſtimemus: *Solis Scripturarum libris* (ita vere ſapienterque Auguſtinus), *qui canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam; alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per auctores canonicos, vel probabili ratione perſuadere potuerunt.* Ab Euſebio itaque recedimus, & cum eruditiſſimis Viris Hiſtoriam de Abgari Chriſtique epiſtolis, & Thaddæi legatione incertam putamus. Principio enim annorum nota falſa deprehenditur, ut a viris doctis adnotatum eſt. Præterea apud Evangeliſtas, qui rem tantam numquam certe præteriiſſent, altum de ea ubique ſilentium. Rurſus ea in epiſtolis Abgari, & Jeſu Chriſti occurrunt, quæ earumdem falſitatem aperte demonſtrant: Quod enim ibi legitur: *Beatus es Abgare, qui in me crediderit, quem non vidiſti*, facile intelligitur ex illo Joannis ſuiſſe deſumptum: *beati, qui non viderunt & crediderunt.* Verum ut eas epiſtolas inter apocryphas rejiciamus, ea maxime nos ratio movet, quod Jeſu Chriſti epiſtola inter canonicas ſcripturas minime recenſeatur; quod eam ante Euſebium ex Patribus nemo noverit; quod denique apocryphis ſcriptis Gelaſius in Romana Synodo accenſuerit. Certe Auguſtinus, quidquam a Jeſu Chriſto ſcriptum ſuiſſe ignoravit: *Sed prius*, inquit, *diſcutiendum eſt, quod ſolet nonnullos movere, cur ipſe Dominus nihil ſcripſerit, ut aliis de ipſo ſcribentibus neceſſe ſit credere.* Si nihil itaque Jeſus Chriſtus ſcripſit, ergo neque ad Abgarum epiſtolas dedit, neque recepit. Quæ ſi confictæ ſunt, utique & Thaddæi Legatio tota corruit, quæ in harum epiſtolarum veritate tota ſubſiſtit. Thaddæum Ædeſſæ prædicaſſe Evangelium omnino non negamus, cum nos lateat quo potiſſimum in loco Apoſtolorum plerique ſuo munere functi fuerint. Sed ad Abgarum miſſum, apud Tobiam quemdam divertiſſe, deindeque Regem cum tota Ædeſſenorum gente Chriſtiana fide imbuiſſe, credere ſane non poſſumus; ex Dione enim conſtat Ædeſſenorum Regulum, Abgarum nomine, Trajani ætate vixiſſe, cujus filius Imperatori illac tranſeunti cariſſimus extitit; eum autem, uti & Patrem, alieniſſimo a Chriſtianis ſacris animo fuiſſe, non obſcure indicat, dum tradit, in Imperatoris conſpectum, barbarico more indutum, ſaltaſſe.

41. Ca-

Valeſ. in not. ad c. 13. l. 1. & c. 1. lib. 2. Euſeb. l. 1. Noldenius inſt. maj. p. 50. Aſſemann. Tom. 1. Bibl. th. Orient. Auguſt. Epiſt. 81. ad Hier. Nat. Alex. Sæc. 1. diſſ. 3. Baſnag. an 29. num. 37. & ſeq. Du Pin diſſert. in nov. teſtam. lib. 2. c. 6. Jacob. Baſnag. hiſt. Judæor. tom. 1. c. 18.

Aug. de conſ. Evang. lib. 1. 7.

41. Cajus Caligula Faſtos ſolus hoc anno Kalendis Januarii aperuit, collega enim deſignatus die ultima Decembris obiit, neque Imperatore abſente Prætores Senatum convocare, vel Senatores collegam eidem dare auſi ſunt: Ea ſe dignitate die 12. Januarii Imperator abdicavit. Interea de inſania ſua nil remittens, abſumpta in ſpectaculis, & largitionibus immodicis pecunia, in Gallias profectus eſt, ſpecie quidem belli cum Germanis gerendi; revera tamen ut Gallias expilaret. Vix enim ultra Rhænum progreſſus, in Gallias ſtatim revertitur, & hiſtrionico tantum more, bellum cum Germanis gerens, ſerio ſubditis, iiſque ditioribus indixit, quorum plurimos necavit; nullo alio crimine obnoxios, niſi quod pecuniis abundarent. Dum vero fictitium bellum gereret, graviſſimo objurgavit edicto Senatum, Populumque Romanum, quod, eo tot diſcriminibus objecto, ipſi intempeſtiva convivia, circum, & theatra, amænos que receſſus frequentarent. Tandem ad Oceani littora acie directa, quaſi cum undis præliandum eſſet, repente militibus, ut conchas colligerent, galeaſque, & ſinus implerent, imperavit, ſpolia Oceani dictitans, Capitolio debita: Trophæa quidem tot victoriis, ac tanto Imperatore digna. Denique Gallia relicta hoc anno die 31. Auguſti Urbem ovans ingreditur, in Senatum furens, quod triumpho fraudatus fuiſset. Cajo ſcelerum miniſter & ſocius aderat Protogenes. Hic Curiam ingreſſus Scribonium Proculum infeſto vultu intuitus: *Quid*, inquit, *tu me etiam ſalutas, tanto Imperatoris odio flagrans*. Hæc audientes reliqui Senatores, Proculum ſtylis ſuis aggrediuntur, ac diſcerpunt. Quo facinore delectatus Cajus, Senatum amicitiæ ſuæ reſtituit.

Jesu Chr. an. 40. Cajus Galliarum Provincias aſſligit, in Urbem redit.

Dio lib. 59. Sveton. in Cajo.

Suet. in Cajo.

42. Furenti Imperatori id unum præ cæteris cordi erat, ut divinam ſibi majeſtatem adſereret, uti jam anno ſuperiore adnotavimus. Quare poſtquam templum ſibi Romæ extruendum curavit, ac ſimulacra numinum, quæ religione, & arte in Imperio præſtabant, juſſit in Urbem aſportari, ut capite præciſo ſuum imponeret; Petronio Syriæ Præſidi mandavit, ut Hieroſolymis etiam ſibi ſtatuam erigeret. Qua de cauſa, cum inter Alexandrinos Cives, & Judæos ſeditio exorta eſset, Judæi Alexandriæ degentes Philonem, Alexandrini vero Appionem Grammaticum illorum infenſiſſimum hoſtem, legatos ad Cæſarem miſerunt. Rem geſtam ſummatim ita Joſephus perſequitur. *Cum inter Judæos, & Græcos, Alexandriam habitantes, exorta eſſet ſedi-*

De legatione Judæorum ad Cajum.

Joſeph. l. 18. c. 10.

JESU CHR. AN. 40.

ſeditio, terni ab utraque parte delecti legati ad Cajum miſſi ſunt; Appion vero Alexandrinorum legationis princeps multa in Judæos juſtavit crimina, interque cetera, quod Cæſarem non proſequerentur debitis honoribus; nam cum, quam late patet Orbis Romanus, Cajo extruantur templa, & altaria, & pari honore colatur cum ceteris numinibus, ſolos iſtos turpe putare dedicare illi ſtatuas, aut jurare per nomen Cæſaris. His acerbe invecto Appione, multiſque aliis, quæ ad exaſperandum Cajum facerent, Philo e Judæorum Legatis potior, vir per omnia clariſſimus, Alexandri Alabarchæ frater, & non imperitus philoſophiæ, parabat cauſam ſuæ gentis agere; Sed repulſus eſt a Cæſare, jubente, illum abire, & per iracundium vix temperante ab injuria. Quapropter ejectus convitio, converſus ad Judæos affectatores: Nunc, inquit, oportet bono eſſe animo, quando Cajus iratus eſt; nunc enim Deus nobis contra illum aderit. Philo tamen, qui legationis Judæorum princeps fuit, non tres, ſed quinque miſſos fuiſſe teſtatur: Egregium ipſe de ſua Legatione ad Cajum commentarium ſcripſit, ex quo aliqua ad hiſtoriam ſpectantia hic referre nec inutile, nec injucundum Lectori futurum ſperamus. Cum itaque veniſſent Romam legati, poſt fruſtra tentatam gratiam Heliconis, Imperatoris liberti, quem Alexandrini in ſuas jam partes pertraxerant; *Placuit offerri Cajo Libellum, continentem ſummam calamitatum, & earum deprecationum: id erat ferme compendium ſupplicationis prolixioris, quam per Agrippam Regem paulo ante miſeramus: nam is forte fortuna venerat Alexandriam, navigaturus in Syriam in ſuum Regnum, quod ab Imperatore acceperat. Sed ignorabamus etiam tum quam fulgeremur. Ex quo enim primum orum ſolvimus, putabamus nos inventuros reddentem jura Judicem: at ille erat hoſtis implacabilis, alliciens, ut tum videbatur vultu hilari, & appellationibus comibus. Exceptos enim nos primum in Campo Martio, cum e maternis hortis exiret, reſalutavit, & dextera innuit ſe propitium: miſſoque ad nos Romulo, qui legationibus admittendis præerat, pollicitus eſt, ſe cogniturum noſtram cauſam per otium; ita ut tota corona circumſtantium gratularetur nobis, tanquam voti compotibus, atque etium noſtrates, quotquot ex aſpectu de rebus judicant. Ego vero, qui plus per ætatem, & eruditionem ſapere videor, ſuſpectu habebam illa, quæ exhilararant alios. Sic enim cogitabam: Quid ſibi vult, quod cum tot adſint Legationes propemodum ex omnibus Orbis Regionibus, ait, ſe nos ſolos*

Quid Legati Romæ egerint.

Philo legat. ad Cajum.

los auditurum ? nec enim neſcit, nos eſſe Judæos contentos, ſi æquaremur ceteris. Ceterum prærogativam ſperare apud alienigenum juvenem, & liberæ poteſtatis dominum, non procul abfuerit ab inſania: atque utinam judicem præſtet partibus, non patronum illis, nobis adverſarium. Hæc reputans, trepidabam, inquietus noctu, & interdiu. Ita mœrentem me, gementemque (nec enim tutum erat interpellari Principem), alius caſus inopinatus repente perterruit, non parti Judæorum, ſed univerſis periculum afferens. JESU CHR. AN. 40.

43. *Veneramus ex Urbe Putcolos, Cajum ſequuti: deſcenderat enim ad Mare, morabaturque circa eum Sinum, nunc hanc villam viſendo, nunc aliam, quæ ibi multæ ſunt, & ſplendidæ. Nos vero de agenda noſtra cauſa ſollicitos, quippe qui accerſiri expectabamus, continuo accedit quidam ſuffuſis, trepidiſque oculis obtuens, & anhelus; cumque paululum ſe duxiſſet, (adſtabant enim quidam in proximo) audiſtis ne, inquit, novi quidpiam ? Simulque conatus rem eloqui, fletu oborto impeditus eſt; deinde rurſus exorſus narrare, iterum atque tertio fuit ad eumdem modum inhibitus. Nos vero conſpectu ejus territi obſecrabamus, indicaret, quamobrem veniſſet; non enim veniſſe propalam ſtendi gratia: quod ſi quid eſſet dignum lacrymis, faceret nos earum participes, aſſuetos jam calamitatibus. Tandem ille, crebro ſingultiens, periit nobis Templum. Jubet Cajus poni ſibi Coloſſum in adytis intimis, adſcito in titulum Jovis cognomine. Nobis vero attonitis miraculo, & in veſtigio præ ſtupore hærentibus, (muti enim ſtabamus & enerves, defectis corporis viribus) ſupervenerunt alii doloris ejuſdem nuntii: deinde omnes ſimul conclave ingreſſi, & incluſi, deplorabamus fortunam privatam, atque publicam, ſuggerente dolore querimonias, nihil enim calamitoſis loquacius. Tædebat enim, ac pœnitebat, quod ad deprecandum injurias, quas quotidie patereremur, medio hiemis trajeciſſemus vaſtu maria, ignari nobis imminere tempeſtatem in terris longe ſæviorem jactatione maritima.* Hæc Philo, qui etiam de geſtis Jamniæ adverſus Judæos, deque aliis Judæorum calamitatibus plura addit.

De ſtatua in templum inferenda nuntium. *Philo, & Joſephus ut ſup. cap. 11.*

44. De Statua dein, Caji juſſu, in Hieroſolymitano Templo locanda, hæc ſubdit: *Dum ſtatua coloſſea Sidone pararetur, honoratiores Judæorum Sacerdotes, & Magiſtratus advocat Petronius indicaturus eis Caji mandata, ſimulque ſua-*

Petronii exhortatio ad Judæorum Sacerdotes, & Magiſtratus.

JESU CHR. AN. 40. *Joseph. ut sup. 11.*

suasurus, ut patienter ferrent jussa Domini, & caverent mala imminentia; paratum enim esse robur exercitus Syriaci ad edendas per totam eorum regionem strages maximas: putabat enim si horum præmolliret animos, posse per eos moveri ad obsequium cæterum multitudinem. Sed valde sua opinione deceptus est: perculsi enim ad primam ejus rei mentionem, tanquam in præsenti calamitate, obmutuere, quasi e fonte profundendo lacrymas, capillos, barbasque vellendo cum lamentis hujusmodi: en quo, nimis beati, senescendo pervenimus, ut quod nemo majorum unquam vidit, nos spectaremus: quibus tandem oculis? hos enim prius abjiciemus cum ærumnosa vita, & miserabili, quam tantum nefas inspiciamus, quod nec auditus, nec mens sustinet. Interea, qui in sancta Urbe ceteraque regione famam hujus conatus audierant, velut de communi sententia coorti, tesseram dante dolore publico, profecti sunt uno agmine, desertis oppidis, castellis, & ædibus, continuatoque itinere ventum in Phoeniciam, ubi tunc agebat Petronius. Id Petroniani quidem conspicati cursim ei renuntiarunt, caveret sibi a turbis, infestum agmen existimantes; moxque nullis stipata satellitiis multitudo Judæorum, ceu nubes repente supervenit, totam Phoeniciam occupans; ut miraculo esset nescientibus gentis frequentiam. Ac primum tantus clamor cum fletu, planctuque sublatus est, ut hebetaret aures præsentium; nam & postquam desiit, durabat ejus sonitus. Sequutæ sunt compellationes, ac preces, quales dictare solent calamitosa tempora. Erant autem distributi in sex ordines, seniorum, juniorum, puerorum; rursum alia parte, anuum, mulierum, virginum. Ubi vero Petronius in loco superiore conspectus est, universi ordines velut ad unum edictum humi procumbunt, supplices cum ululatu quodam flebili; jussique surgere, & accedere propius, vix tandem surrexerunt, & conspersi multo pulvere, defluentesque lacrymis accedebant reductis in tergum more damnatorum ambabus manibus.

Quid Judæi supplices ad Petronium. *Josephus ut sup.*

45. *Dum Senatus* (ipsum scilicet Concilium septuaginta duorum Seniorum, Sanhedrin appellatum) *stans sic loquutus est: Inermes, ut vides, adsumus, ne quis dicat, nos venire hostiliter: manus autem, pro armis a natura datas, retro fleximus otiosas, præbemus & corpora ad certos ictus ferire volentibus. Uxores, & liberos, familiasque adduximus; supplices tibi, & per te Cajo advolvimur, domi relicto nemine, orantes, ut aut omnes*

JESU CHR. AN. 40.

omnes ſervetis, aut omnes internecione deleatis. Sumus, Petroni, natura pacis cupidi, & ſtudio, ad quam nos trahit cura alendorum liberorum ex noſtris laboribus. Cajo Imperium adepto primi ex tota Syria gratulati ſumus, Vitellio, cujus ſucceſſor es, tunc in noſtra Urbe degente, qui ſuper hac re litteras acceperat, & a nobis ad ceteras civitates fama delatum nuntium pertulit; primum noſtrum templum excepit pro Imperio Caji victimas; ut primum, aut etiam ſolum privaretur religione patria. Decedimus urbibus, cedimus privatis ædibus, & poſſeſſionibus; ſupellectilem vel pretioſiſſimam ultro vobis in prædam offerimus, eo animo, ut nos putemus non dare, ſed accipere. Unum pro his omnibus petimus, ne quid in templo novetur, utque ſervetur tale, quale a majoribus nobis eſt traditum. Id ſi non impetramus, necundos nos præbemus, ne videamus vivi, quod eſt morte gravius. Audimus, pedeſtres, equeſtreſque adverſus nos parari copias, ſi dedicationem impediamus. Nemo ita inſanit, ut ſervus ſe opponat Domino: libenter jugulabimur, cædant, macten, fruſtratim concidant, ſine certamine ac ſuo ſanguine agant quidquid libet victoribus. Quid opus eſt exercitu? Nos ipſi egregii Sacerdotes immolabimus victimas, adducemus ad Templum mulieres uxoricidæ, fratres, ſororeſque fratricidæ, pueros, puellaſque, innocentem ætatem, puericidæ (tragicis vocabulis utendum eſt in tragicis calamitatibus). Deinde in medio eorum ſtantes abluto cognato ſanguine (num talia lavacra ad inferos properantibus conveniunt) admiſcebimus & proprium, noſmetipſos jugulando inſuper. Morientium hoc mandatum ultimum erit: ne Deus quidem nos accuſet, qui utriuſque rationem habuerimus, & Imperatori debitæ reverentiæ, & ſacrarum legum cuſtodiæ, id fiet, ſi vitam haud vivendam contemſerimus. Hæc, aliaque plurima coram Petronio cum dixiſſent, ad miſerationem commotus Præſes, habita cum Aſſeſſoribus conſultatione, licet iram Imperatoris, & implacabilem ſævitiam noſceret; tamen conſilium iniit, quo & Judæis ſimul faveret, quantum poſſet, & Imperatoris juſſa exequeretur. Mandavit enim Statuæ Opificibus, ne properarent, *ſed darent operam, ut ſtatua ſummo expoliretur artificio, & quantum fieri poſſet, experirentur exemplaria laudatiſſima, quo ſit durabilior: Nam opera extemporanea non temere diuturna fieri, accurata ætatem ferre melius. Ceterum legationem mittere non eſt conceſſum Judæis: nec enim ipſis tutum eſſet rem committere domino, qui poſſit omnia.*

Inte-

JESU CHR. AN. 40.

Interim poſtulatis nec annui, nec renui placuit, quod utrumque periculoſum eſſet, ſed litteras ad Cajum mitti ſine accuſatione Judæorum, diſſimulatis eorum accuſationibus: cauſam autem dilatæ dedicationis referri in Opifices, quibus neceſſe ſit duri certum ſpatium temporis; eas moras afferre poſſe amplioris dilationis occaſionem, & fortaſſe tandem ipſum Cajum exorari ſe paſſurum. His a Petronio acceptis epiſtolis, Imperator in Præſidem ira exarſit; verum ea diſſimulata ipſi reſcripſit, commendans ejus in agendo ſolertiam, jubenſque, *ne ullam curam dedicationis ſtatuæ omitteret; jam enim meſſes convectæ eſſe poterant, & ceſſabat illa, ſeu vera, ſeu affectata excuſatio.* Namque inter cetera Petronius Cajo ſignificaverat, dilatam a ſe aliquantulum ſtatuæ dedicationem fuiſſe, ne Judæi in deſperationem acti, matureſcentes meſſes incenderent.

Agrippa Rex Cajum Imper. adit.

46. Interea, *advenit Agrippa Rex more ſuo Cajum ſalutaturus, plane ignarus epiſtolæ Petronii, quidve Cajus reſcripſiſſet: Conſpiciebat tamen ſtatim e vultus nubilo, eum lutentem iram coquere; retractabatque intra ſe, ne quid magnum, aut parvum dicto, factove commiſerit, quod illum offenderet; cumque nihil inveniret, colligebat id, quod erat; iraſci eum aliis; ac rurſum cum animadverteret illum torve in ſe ſolum intueri, metuebat; & ſæpius volens rogare, cohibuit ſe, ne forte minas alio tendentes temeraria curioſitate in ſe converteret. Tunc Cajus, ut erat callidus ex aſpectu deprehendere cogitationes hominum, poſtquam vidit timentem, hæſitantemque: Dubitas, inquit, Agrippa? hanc tibi ego dubitationem eximam. Tumdiu mecum verſatus, ignoras me oculis non minus, quam voce loqui ſolere? Boni, honeſtique cives tui, qui ſoli ex omni hominum genere dedignantur Cajum habere pro Deo, videntur jam mortem ſibi per contumaciam quærere; dum, me jubente, in ipſorum Templo conſecrari Jovis ſimulacrum, populariter ex Urbe, agriſque occurrerunt ſpecie ſupplicum, ſed revera mandatum meum proculcaturi. Plura intonaturus erat, cum Rex anxius, & præ metu per ſingula momenta colore mutato, rubicundus, luridus, lividus, a vertice ad calcem horrore corripitur; & tremore membra quatiente, ſolutiſque nervis collapſus fuiſſet, ni eum ſuſtentaſſent proximi; qui juſſi domum illum retulerunt, nil ſentientem, & ſubitanea vi mali ſopitum, ac ſtupidum. At Cujus magis etiam exaſperabatur in Gentis odium: Si Agrippa, inquit, familiaris, & amiciſſimus, plurimiſque devinctus beneficiis,*

Philo ut ſup. cap. Joſephus ut ſup. cap. 11.

Agrippa deficit ſenſibus.

ciis, tantum tribuit patriis ritibus, ut ne verbo quidem eos violari ferat, sed deliquio pene exanimatus sit, quid expectandum est ab aliis, qui nihil habent, quod se in diversum retrahant? Agrippa vero tota die, parteque insequentis maxima, gravi sopore pressus, sui compos non erat. Tandem sub vesperam, paululum erecto capite, ægreque diductis palpebris, caligantes etiam tum circumferebat oculos, circumstantium facies vix dum noscitans; rursumque somno redditus, jam sanior quiescebat, ut apparebat e respiratione, & corporis habitu. Aliquanto post expergefactus sciscitabatur: Ubi nunc sum? num apud Cajum? adest ne ipse Dominus? Responsum est: Bono sis animo, domi es; Cajus non adest: satis dormisti, erige te in cubitum, agnosce præsentes, omnes sunt domestici, amici, liberti, famuli, dilecti, & tui amantissimi. Tum vero cæpit respicere, singulos condolere aspiciens. Cumque Medici jussissent, turbam secedere, ut unctionibus, & cibo tempestivo corpusculum ejus reficerent: scilicet, inquit, curandum est vobis de parando mihi victu delicatiore: an non sufficit misero fumem pellere usu rerum vilissimarum, simplicissimarumque? quas ipse non admitterem, nisi levis quædam spes me teneret extremi auxilii ferendi genti infelicissimæ. Hæc cum lacrymis loquutus, necessario cibo contentus fuit sine obsoniis; ac ne vinum quidem sibi misceri passus, aquam tantum gustavit: Habet, inquit, miser venter, quod reposcebat debitum: mihi quid faciendum, nisi Cajus suppliciter interpellandus de rebus præsentibus? sumptisque tabellis, scribit litteras, quarum hæc summa est:

JESU CHR. AN. 40.

47. His epistolis Agrippa Rex Cajo Imperatori expositis, Judæos Caji familiam semper coluisse, Sacrificia pro ejus incolumitate grato animo semper Hierosolymis obtulisse, multas in Orbem Terrarum deductas esse Judæorum colonias, proindeque convenire amplissimæ Caji fortunæ, collato in unam Civitatem beneficio devinciri urbes alias, ut bene merentis gloria ubique locorum celebretur: Hierosolymitanum Templum nullam unquam admisisse sive picturam, sive statuam, cum sit Deo domicilium. M. Agrippam, Caji avum, illud donis honorasse. Tiberium Templi religionem perpetuo servasse incolumem. Augustum vero rescriptis suis Judæorum rebus non solum favisse, sed & ex redditibus suis quotidianas victimas Hierosolymis Deo obtulisse: Unum itaque se petere, incolumitatem scilicet ritus patrii; secus alterutrum sequi, aut appel-

Agrippæ Regis Judæorum epistola ad Cajum Imperatorem.

Philo ut supra.

JESU CHR. AN. 40.

landum ſuorum proditorem, aut inter amicos Caji poſt hac non eſſe habendum, quo utroque nil infelicius eſſe poſſe. *Deprecantur itaque*, ſubjungit Agrippa, *pro noſtris legibus Imperatores apud Imperatorem, Auguſti apud Auguſtum, Avi, proavique apud Nepotes, plures apud unum tantum dicentes: Noli decreta noſtra, quæ in hanc uſque diem permanſerunt, facere irrita. Etenim ut nihil infauſtum antiquationem earum ſequatur; tamen incertitudo futuri temporis non ſinit ſecuros eſſe vel audaciſſimos, modo ne ſint plane contemptores numinis.*

Agrippa recolit accepta beneficia.

48. *Si vellem enumerare, quæ in me contuliſti beneficia, dies me deficeret, nec opus eſt, me id obiter facere; ſed ut ego taceam, res ipſæ loquuntur. Exemiſti me ferreis vinculis, quis neſcit? Obſecro, Imperator, ne me aſtringas gravioribus: illa partem premebant corporis, at hæc vereor, ne totam onerent animam. Impendentem mihi mortis metum depuliſti, & metu præmortuum ceu redivivum excitaſti e funere. Velis, Imperator, hoc beneficium eſſe perpetuum, ne tuus Agrippa vitam abrumpat: alioqui videbor ſervatus, non ut viverem, ſed ut novis calamitatibus inſignis morerer. Donaſti mihi Regnum, qua ſorte nulla inter mortales felicior; id cum prius unam regionem non excederet, adjunxiſti mihi mox majorem alterum, Traconitim, & Galilæam. Ergo cum ſuperflua ditione me auxeris, Domine, noli adimere, quæ ſunt neceſſaria: noli productum in lucem clariſſimam rurſus in tenebras altiſſimas abjicere. Libenter cedo iſti ſplendori, nec priſtinam fortunam deprecor: Unum peto pro cunctis ceteris, incolumitatem ritus patrii. Quid enim de me loquentur vel Tribules, vel univerſi homines? Alterutrum enim ſequetur; aut ut appeller meorum proditor, aut ut inter tuos amicos poſthac non habear: quo utroque quid poteſt eſſe infelicius? Nam ſi adhuc in amicis numeror, proditionis inſimulabor, ſi nec patriam indemnem, nec Templum inviolatum præſtitero. Num vos præpotentes ſoletis amicorum ad Imperatoriam opem confugentium rebus conſulere. Quod ſi qua in re animo tuo moleſtus ſum, noli me vincire, ut Tiberius: ſed ne toties vincula timeam, jube mox interimi: quid enim mihi vita opus eſt, cui ſpes unica ſalutis fuit in tua benevolentia? Hás litteras obſignatas mittit Cajo, & incluſus domi expectabat anxius de eventu, ſollicituſque, ne illum interpellaret parum commode; num non mediocris periculi jecerat aleam, nimirum de libertate, ſaluteque non ſolum Terram Sanctam incolentium, verum etiam omnium*

omnium in toto orbe diſperſorum Judæorum. Ille inter legendum nunc offendebatur, quod cæpta non ſuccederent, nunc flectebatur, vel jure ipſo cauſæ tam bonæ, vel adjunctis precibus: & Agrippam partim laudabat, partim incuſabat: vitio vertebat, quod Tribules ſuos nimis diligeret, ſolos contumaciter averſantes ipſius conſecrationem: Laudabat, quod non celaret ſuam ſententiam, id quod ajebat indicium generoſi animi. Mitigatus igitur, ut videbatur, reſpondit clementius, & Agrippæ donavit ceu maximam gratiam, ne fieret dedicatio: Simulque juſſit ſcribi P. Petronio Syriæ Præſidi, ne quid in Judæorum Templo novaret. Ne tamen ſolida eſſet ea gratia, terrorem admiſcuit, ſic ſcribens: Jesu Chr. an. 40.

49. *Quod ſi extra unam Metropolim in finitimis urbibus quicumque volentes altaria, templave, aut ſtatuas, imagineſve mihi, meiſque ponere vetiti fuerint: quiſquis obſtiterit, plectatur* continuo, aut ad me mittatur. Hæc Cajus ad Petronium; pergit Philo: *Id vero nihil aliud erat, quam ſeditionum initium, bellorumque civilium, & gratiæ, quæ videbatur conceſſa ſimpliciter, obliqua quædam abrogatio. Nam Adverſarii magis in odium Judæorum, quam in Caji honorem repleturi putabantur totam regionem anathematibus: hi contra violari ſuos ritus in conſpectu ſuo non paſſuri, etiamſi eſſent patientiſſimi, ut Cajus, ſi quis ſe moveret, ſevere puniens, rurſum in Templo dedicari juberet ſtatuam ſuam. Sed divina providentia juſtiſſimi numinis factum eſt, ut nemo finitimorum quidquam moveret, occaſionemque præberet.* Vix tamen Judæis hæc profuerunt, cum Cajus Romæ juſſerit alterum fieri Coloſſum æreum inauratum in Templo locandum. Quid Cajus ad Petronium.

50. Quo autem modo Legatos iterum audierit, ſic idem Philo commemorat: *Tum nos introducti* (in Villam ſcilicet Mecænatis) *ad primum conſpectum eum reverenter adoravimus, & Imperatoris, Auguſtique appellatione ſalutavimus. Ille reſalutavit tam comiter, ut de vita, nedum de cauſa deſperaremus. Ringendo enim rogavit: vos ne eſtis illi Diis inviſi, qui me, omnium confeſſione Deum declaratum, ſoli aſpernamini, mavultiſque veſtrum innominatum colere? Simulque ſublatis in Cælum manibus, erupit in vocem, quam ne audire quidem fas eſt, nedum proloqui verbis totidem, ac mox exorta eſt adverſæ partis ingens lætitia, quod hoc audito jam tum ſe victores in hac cauſa fore ominarentur: ituque geſtiebant, & exultabant præ gaudio, deorum omnium acclamantes ei cognomina. His appellationibus humanam* Legati a Cajo iterum admiſſi.

JESU CHR. AN. 40.

naturam excedentibus gaudentem conſpicatus Iſidorus Sycophanta amarulentus: Magis, inquit, deteſtareris, Domine, homines iſtos, eorumque Tribules, ſi ſcires eorum erga te impietatem, atque malevolentiam; omnibus enim pro ſalute tua votivas cædentibus victimas, iſti ſoli non ſuſtinuerunt ſacra facere: Cum dico iſti, de cunctis Judæis loquor. Exclamavimus unanimiter: Domine Cai, calumniis petimur, immolavimus hecatombas, libatoque ad aram ſanguine, carnes domum non retulimus ad epulas, ut quorumdam eſt mos, ſed integras victimas exurendas ſacro igni tradidimus, idque ter: primum, quando ſucceſſiſti in Imperium: iterum, quando gravem illum morbum evaſiſti, cui totus Orbis condoluit: tertio, votum pro victoria Germanica. Eſto, inquit, ſacra feciſtis, ſed alteri, nec pro me: quid igitur prodeſt? mihi certe non ſacrificaſtis. Ibi nos horror pervaſit hac nova voce attonitos, qui ſe in cute quoque exeruit.

Cajus de eſu Porcinæ carnis compellat Judæos.

51. *Ille interim villas obibat, inſpectans aulas, & conclavia in imis Ædibus, & in Cœnaculis quorumdam locorum, reprehendens vitia, & mandans, quid mutari vellet in melius: nos vero aſſectabamur eum ſurſum deorſum protruſi, & cavillis, conviciiſque petiti ab Adverſariis, non aliter, quam biſtriones in ſcenis; nam hoc quoque negotium erat quædam fabula. Judex perſonam accuſatoris ſumpſerat; Accuſatores agebant nequam Judicem, ſimultatis, non veritatis memorem. Sub tanto autem accuſatore ſimul atque Judice neceſſarium eſt ſilentium. Nam hoc quoque quoddam defenſionis genus eſt, præſertim quando nihil ei gratum reſpondere poteramus, linguam cohibente ritu patrio, orique clauſtra imponente. Ubi vero quædam mandata dedit de ædificiis, ſerio, graviterque interrogavit: Cur abſtinetis a porcina? Ad hanc percunctationem rurſus riſus magnus adverſariorum exortus eſt, partim gaudentium, partim ut feſtivo, falſoque dicto arridentium, & ſic quoque captantium dominicam gratiam, adeout quidam e famulitio moleſte ferrent tam contemptim eos ſe coram Principe gerere; quo præſente vel ſubridere, periculoſum ſit aliis, præterquam admodum familiaribus. Cumque nos reſpondiſſemus, eſſe mores alibi alios, & adverſariis itidem, ut nobis, interdictum uſum verum quarumdam; alius vero quidam ſubjeciſſet, multos ne agnina quidem veſci ubique parabili. Ridens ille, recte, inquit, inſuavis eſt enim. Tandem non ſine ſtomacatione, cupio ſcire, inquit, quod jus illius civitatis prætenditis. Nobis vero exorſis ora-*

JESU CHR. AN. 40.

*oratione*m, *cum ex primo guſtu intelligeret aſferri quædam non contemnenda, & allatum iri vehementiora, abrupit ſermonem, & curſu ſe in magnam aulam proripuit; obambulanſque juſſit claudi feneſtras vitro candido, ſimili ſpecularibus lapidibus, quibus lux admittitur, ventus, & ſol excluditur. Poſtea ad nos lento gradu acceſſit, & moderatius jam rogavit: Quid dicitis? Nobis autem deinceps rem in compendium contrahentibus; rurſum procurrit in aliud cubiculum, ubi tabulas antiquæ picturæ jubebat reponi. Cumque ad hunc modum cauſæ noſtræ actio interrumperetur, immo fruſtatim concideretur; laſſi, deſperanteſque, nec aliud quam mortem expectantes, & vix animi compotes præ anxietate, ſuppliciter ad Deum verum confugimus, ut nos e falſo nominati Dei minis eriperet. Qui nos miſeratus, furorem ejus mitigavit. Itaque depoſita jam ferocia, tantum hoc præfatus: Homines iſti non tam mihi videntur mali, quam miſeri; quia ſibi perſuaderi non ſinunt, me eſſe naturæ divinæ participem; abiit, ſimulque nos juſſit abſcedere.* Quis tandem fuerit legationis exitus, haud ſatis liquet; ſed cum Cajus anno ſequenti occiſus fuerit, irrita omnino evaſerunt, quæ in Judæos Alexandrinos, & de collocanda ſtatua in Hieroſolymitano Templo, ab ipſo decreta, vel molita fuerunt.

De Apione Alexandrin. Legato.

52. Apion autem, qui Alexandrinorum cauſſam agebat, contra Judæos commentarium ſcripſit calumniis, mendaciis, ac blaſphemiis refertum, quod duobus libris refutavit Joſephus, qui hæc de infelici ejus exitu memoriæ prodidit. *Recte mihi videtur Apion propter patriæ ſuæ leges, pœnas dediſſe blaſphemiæ. Etenim neceſſario circumciſo circa genitalia, vulnera ei fuƈta nihil profuerunt, & putrefaƈtis, in magnis doloribus expiravit;* Quam arrogans ille eſſet, ex Plinio quoque Juniore intelligimus: *Apion grammaticus, quem Tiberius Cæſar Cymbalum Mundi vocabat, cum publicæ famæ tympanum potius videri poſſet, immortalitate donari a ſe ſcripſit, ad quos aliqua componebat.* De eodem Apione ita Gellius: *A vitio, ſtudioque oſtentationis ſit loquacior, in prædicandis doƈtrinis ſuis venditator,*

Joſeph. contra Ap. lib. 2.

Præf. ad Hiſt. Plinii ſenioris.

Gellius lib. 5. 14.

Calumniæ Apionis in Judæos.

53. Hæc ideo de Apione breviter recenſuimus, quod impiæ ab eo in Judæos vulgatæ calumniæ, in Chriſtianos etiam promanarint. Quæ enim Chriſtianis nefarie objiciebantur de capitis aſinini cultu, Apion, auƈtore Joſepho, de Judæis commentus fuerat. *In hoc enim Sacrario Apion præſumpſit dicere Aſini*

Tertull. in Apolog. cap. 16. Joſeph. lib. 2. contra Apion.

JESU CHR. AN. 40.

ni caput collocaſſe Judæos, & id colere, ac dignum facere tanta religione; & hoc affirmat eſſe depalatum, dum Antiochus Epiphanes & expoliaſſet Templum, & illud caput inveniſſet ex auro compoſitum, multis pecuniis dignum.

De Philone Judæo.

54. Apioni fuit Philo diſſimillimus: *Vir enim erat*, inquit Joſephus, *per omnia clariſſimus, Alexandri Alabarchæ frater, & non imperitus Philoſophiæ, de genere Sacerdotum.* De ipſo ita Hieronymus. *A nobis inter Scriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſia, in noſtrorum laude verſatus eſt. Ajunt, cum ſecunda vice veniſſet ad Claudium, in eadem Urbe loquutum eſſe cum Apoſtolo Petro, ejuſque habuiſſe amicitias, & ob hanc cauſam etiam Marci, diſcipuli Petri, apud Alexandriam ſectatores ornaſſe laudibus.* Chriſtianis autem non faviſſe modo, ſed eorum quoque ſuſcepiſſe religionem, Photius ſcripto reliquit: *Ferunt, eumdem Chriſtianis etiam ſacris initiatum, ab his tandem dolore quodam, atque iracundia deſciviſſe. Addit etiam ab hoc auctore omnem allegoricum ſcripturæ ſermonem in Eccleſiam promanaſſe.*

Hier. de Vir. Illuſt. cap. 11.

Photius Cod. 105.

Judæorum Res ubique afflictæ.

55. In Hiſtoria legationis ad Cajum, & geſtorum Petronii Syriæ Præſidis, a Philone quandoque Joſephus diſſentit. Refert enim Judæos Petronium conveniſſe *circa ſementis tempora*; tres tantum Hebræorum ad Cæſarem Legatos fuiſſe; Cajum Petronio de Judæis non reſcripſiſſe, & alia levioris quidem momenti, quæ ſecus a Philone traduntur. Verum potius quam Joſepho, qui tunc triennis tantum erat, Philoni fides habenda, res a ſe ipſo, vel ipſo ſpectante, geſtas memoranti: Nec mirum ſane Scriptores cetera præſtantiſſimos in quibuſdam rerum circumſtantiis inter ſe diſcrepare. Ceterum Res Judæorum, ubique hac ætate ad interitum volvebantur. Non enim Alexandrinos tantum, aut Palæſtinos Judæos divina vexabat ultio, ſed & eos etiam, qui trans Euphratem verſabantur Babylone, & Seleuciæ; *nam conſpirantibus ſimul Syris cum Græcis illic agentibus, omnes ſupra quinquaginta millia virorum ex improviſo occiſi ſunt; adeo ut, ne ullus quidem evaſerit, niſi quem amici, aut vicini ſervarit miſericordia.*

Joſeph. antiq. lib. 18. cap. 12.

JESU

JESU CHRISTI AN. 41. PETRI APOST. 10.
CLAUDII IMP. I.
COSS. CAJO AUG. IV., ET CN. SENTIO SATURNINO.
AN. URB. 794. OLYMP. 205. AN. I.

JESU CHR. AN. 41.

1. Quantum, & quorum potiſſimum ſtudio, Evangelica fides Antiochiæ propagaretur, paucis, diſtincte tamen Lucas enarrat: *Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur, & ad Græcos annunciantes Dominum Jeſum, & erat manus Domini cum eis, multuſque numerus credentium converſus eſt ad Dominum. Pervenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ eſt Hieroſolymis ſuper iſtiis: & miſerunt Barnabam uſque ad Antiochiam. Qui cum perveniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gavuſus eſt: & hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu Sancto, & fide. Et appoſita eſt multa turba Domino. Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæreret Saulum; quem cum inveniſſet, perduxit Antiochiam: Et annum totum verſati ſunt ibi in Eccleſia, & docuerunt multam turbam; ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani.*

Fidelium numerus Antiochiæ augetur; iique Chriſtiani vocantur. *Act. 11.*

2. Variis hucuſque nominibus Fideles appellati fuerant: *Credentes* ſcilicet, *Fratres*, *Diſcipuli*, ut in Actis, *Sancti* etiam, ac *Fideles*. Tandem vero Chriſtiani, quò nomine cæteris digniore in poſterum uſi ſunt; eo enim Fidelium cum Chriſto conjunctio deſignatur; nam ſicuti a *Chriſmate Chriſtus*, *ſic Chriſtiani a Chriſto*, ait Auguſtinus. In Antiochena itaque Eccleſia a Petro primum fundata, a Diſcipulis aucta, a Barnaba multiplicata, & Pauli prædicatione fœcundata, feliciſſimum Chriſti nomen Fidelibus eſt communicatum, ut Chriſtiani dicerentur. Hujus autem nominis hanc cauſam affert Auctor dialogi cum Ariano, ſub Athanaſii nomine; quem Vigilium Tapenſem fuiſſe, tradit Chiſletius; quia ſcilicet exortis jam hæreſibus, nullo diſcrimine omnes uno vocabulo appellabantur Diſcipuli. *Tunc Apoſtoli convenientes Antiochiæ omnes diſcipulos uno nomine, ideſt Chriſtianos appellant, diſcernentes a communi diſcipulorum vocabulo.* Alii vero a Concilio Apoſtolico Antiochiæ habito hoc nomen diſcipulis inditum fuiſſe tradunt; cujus primo canone decernitur, ut fideles in poſterum Chriſtiani

De variis Chriſtianorum nominibus. *Act. cap. 9. 32. c. 10. 45. et c. 11.*

Apud Athanaſ. tom. 2. pag. 634.

Turrian. in Can. Apoſt. lib. 1. c. 25.

JESU CHR. AN. 41.

ſtiani appellarentur; at Auctor diſputationis contra Arianos ſub Athanaſii nomine nimis ab Apoſtolico ævo diſtat, ut quidquam ex eo certi in hac re definiri poſſit; nec majoris auctoritatis eſt Concilium ab Apoſtolis hac de re Antiochiæ habitum, utpote ſuppoſititium. Eo autem nomine non fortuito fideles appellatos, ſed certa ratione, ipſiſque Apoſtolis auctoribus ex eo eruitur, quod a Petro, vel Paulo id conſtitutum fuiſſe Patres teſtentur, Chryſoſtomus nempe, Œcumenius, Leo, aliique plurimi. De hujus nominis præſtantia, cum plurima tradantur, Niſſeni tantum ſententia contenti erimus, qui ait: *Bonus Dominus noſter Jeſus Chriſtus nos, qui in ipſum credimus, adorandi nominis ſui participes fecit, ut ſive divites, ſive nobiles, ſive obſcuri, ſive inopes, ſive doctrinæ, aut dignitatis inſignibus exornati ſimus, nulla tamen ex re, quæ nobis adſit, nominemus; Sed his omnibus rejectis, de uno nomine ipſius proprie appellemur Chriſtiani. Cum igitur hanc nobis e Cœlo gratiam attulerit, operæ pretium eſt, ut prius muneris magnitudinem conſideremus, quo meritas largitori Deo gratias habeamus. Deinde tales in omni vita nos præſtemus, quales requirit hujuſce nominis excellentia.*

Chriſtianorum nomen ab Apoſtolis derivatum.

Chryſoſt. Œcumen. in Act. Apoſt.

Greg. Niſſ. de perfect. Chriſt. tom. 3. p. 275.

3. Qui autem a Chriſto Chriſtiani dicebantur, aliquando ex ignoratione nominis a Gentilibus Chreſtiani ſunt dicti, ſicut dicebant Chreſtum, Chriſti loco; in quam rem Tertullianus hæc habet: *Quæ accuſatio vocabulorum, niſi ſi aut barbarum aliquod ſonat vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum? Chriſtianus vero (quantum interpretatio eſt) de unctione deducitur. Sed & cum perperam Chreſtianus pronunciatur a vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuavitate vel benignitate compoſitum eſt. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* Et Lactantius: *Sed exponenda*, inquit, *hujus nominis ratio eſt propter ignorantium errorem, qui cum immutata littera Chreſtum ſolent dicere &c.* Ut apud Svetonium etiam, & Lucianum legitur. Sed etſi fideles paſſim Chriſtiani dicerentur, quandoque tamen Fratres ſunt appellati, quo nomine ab ipſo Chriſto Apoſtoli dignati ſunt. Hujus porro appellationis adverſus obloquentes Ethnicos rationem reddidit Tertullianus: *Sed & quod Fratres nos vocamus, non alias opinor infamant, quam quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectione ſimulatum eſt. Fratres autem etiam veſtri ſumus jure naturæ, matris unius, etſi vos parum homi-*

Chriſtiani aliquando Chreſtiani dicti, & fratres.

Tertull. Apol. cap. 3.

Sveton. in Claud. cap. 25. Lucian. in Philop. Matth. 23. Luc. 22. Joann. 20. 21. Tertull. Apol. cap. 39.

homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum ſpiritum biberunt Sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expaverint veritatis! Sed eo fortaſſe minus legitimi exiſtimamur, quia nulla de noſtra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penet vos fere dirimit fraternitatem. Itaque quia animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores: in iſto loco conſortium ſolvimus, in quo ſolo cæteri homines conſortium exercent, qui non amicorum ſolummodo matrimonia uſurpant, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant; ex illa credo majorum, & ſapientiſſimorum diſciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui uxores ſuas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant, liberorum cauſa creandorum, neſcio quidem, an invitas: quid enim de caſtitate curarent, quam mariti tam facile donaverunt? O ſapientiæ Atticæ, o Romanæ gravitatis exemplum! Leno eſt Philoſophus, & Cenſor: quid ergo mirum, ſi tanta charitas conviolatur? Hæc Tertullianus, & his ſimilia Athanagoras Philoſophus Chriſtianus, Juſtinus, & Minucius Felix.

JESU CHR. AN. 41.

Athanag. orat. pro Chriſt. Juſtin. Apol. ad Ant. min. Paum.

Chriſtiani a Judæis Nazareni dicti.

Act. 24.

4. Judæi vero, quia Chriſtum Nazarenum appellatum ſciebant, ignominiæ cauſa Chriſtianos Nazarenos nuncupabant. Quare Tertullus cauſam Judæorum agens adverſus Paulum coram Felice Procuratore Judææ, hæc ait. *Invenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones omnibus Judæis in univerſo Orbe, & auctorem ſeditionis Sectæ Nazarenorum.* Quod nomen cum ad poſteros Judæos dimanaſſet, eoſdem ter in die Chriſtianis, & Chriſto ea voce maledixiſſe, teſtatur Hieronymus his verbis: *Ipſe bonus Paſtor poſuit animam ſuam pro Ovibus ſuis, & contempſit eam; qui abominationi eſt genti Judæorum, cui ter in ſingulos dies ſub nomine Nazarenorum maledicunt in Synagogis ſuis.* Epiphanius vero id a Judæis factum, ait, adverſus hæreticos, qui una cum Evangelio Moſaicam legem ſervabant; quique Nazaræi dicebantur. *Non ſolum Judæi hos odio habent; ſed exurgentes mane, & meridie, & circa veſperam, ter in die, quando preces perficiunt in Synagogis ſuis, deteſtantur ipſos, ac execrantur, dicentes: Maledic Deus Nazarenis.* Verumtamen cum ex Apoſtolorum Actis perſpicue appareat, omnes Chriſtianos a Judæis dictos fuiſſe Nazarenos,

Hieron. in Iſai. cap. 49.

Epiph. hæreſ. 29.

JESU CHR. AN. 41.

ipſos potius, quam Hæreticos, eo nomine nuncupatos, hujuſcemodi imprecatione deſignatos fuiſſe cenſemus. Hoc eodem nomine Mahometani quoque Chriſtianos hodie appellant.

Chriſtiani Catholici etiam vocati.

5. Sicut credentium Chriſto fuit nomen peculiare, ut Chriſtiani dicerentur, ita iiſdem cognomen eſt inditum, ut Catholici nominarentur, quo ab Hæreticis diſtingui poſſent, qui communi vocabulo Chriſtiani dicebantur, licet ab Eccleſia diſſiderent; de quo nomine adverſus Novatianos hæc Pacianus: *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus vero cognomen. illud me nuncupat: iſtud oſtendit: hoc probor: inde ſignificor: Et ſi reddenda poſtremo Catholici vocabuli ratio eſt, & exprimenda de Græco interpretatione Romana: Catholicus ubique unum, vel (ut Doctiores putant) obedientia omnium nuncupatur*; & paulo poſt. *Ergo qui Catholicus, idem obedient: qui obedient, idem eſt Chriſtianus: atque ita Catholicus Chriſtianus eſt*, Sed de *Catholici* cognomine alias, & de Chriſtiani nomine modo ſatis.

Pacian. adSymp. Novat. Epiſt. 1. Bibioth. Pp. to. 4. p. 309.

Cajus occiditur.

6. Ut ad extremum dementiæ venit Cajus Caligula, Chereæ, & Cornelii Sabini prætorianæ militiæ Tribunorum inſidiis occiditur: *Nono Kal. Februarias*, ait Svetonius, *hora quaſi ſeptima, cunctatus an ad prandium ſurgeret, marcente adhuc ſtomacho pridiani cibi onere, tandem & ſuadentibus amicis egreſſus eſt*, e theatro ſcilicet, ut ad prandium iret; At ubi ad locum venit, quo eum conjurati expectabant, occiſus eſt Januarii die 24., poſtquam imperaſſet annos tres, menſes decem, dies aliquot: Cujus cadaver clam in Lamianos hortos aſportatum, tumultuario rogo ſemiuſtum levi ceſpite obrutum eſt ſic comperit reipſa ſe non eſſe Deum, ut deliraverat hactenus. Periit una cum Cajo, & Uxor ejus Cæſonia a Lupo Centurione percuſſa, & filia ejus parieti illiſa.

Claudius Cajo ſuccedit.

7. Cajo ſucceſſit Claudius Druſi filius annos natus quinquaginta, tenuitque Imperium (quod invito fere Senatu, ſed factione Prætorianorum militum obtinuerat) per annos treſdecim, menſes octo, dies aliquot; ut autem imperare cæpit, Judæos periculo, & timore, in quo hactenus ſub Cajo tuerant, liberavit, & Agrippam Regem, qui aliquot abhinc annis, ideſt anno Jeſu Chriſti 38., in Regnum ſuum redierat, multis auxit honoribus, & ditionibus. De his audiendus eſt Joſephus: *Claudius porro ablegatis militibus, quicumque ſuſpecti eſſe poterant, edictum propoſuit, quo Agrippam in Regno per*

Joſeph. antiq. lib. 19. 4.

per Cajum ante conceſſo confirmabat, collaudans ſimul ejus operam, & induſtriam: addita inſuper Judæa, & Samaria, quod olim ad ejus avi Herodis Regnum pertinuiſſent; has igitur velut familiæ debitas reſtituit: Abilam autem, & finitimam ejus ditionem in Libano, quæ Lyſaniæ fuerat, adjunxit de ſuo. Fœdus deinde Regis cum Romano populo in æs inciſum eſt in Urbis foro medio; & paulo poſt: *dimiſit etiam Alexandrum Lyſimachum Alabarcham veterem amicum, & olim procuratorem ſuæ matris Antoniæ, quem Cajus iratus vinxerat; cujus filio Marco Berenice deſponſata fuerat Agrippæ filia.* Poſthæc de rebus Judæorum addit:

Tumultus Alexandrini ſedati.

8. *Per idem tempus, quod morte Caii Judæi, qui erant Alexandriæ, animos ſumpſiſſent, & jam ad arma ventum eſſet; idem Claudius per epiſtolam mandat Ægypti Præſidi, ut ſeditionem illam compeſcat, & ad preces Agrippæ Regis mittit edictum Alexandriam & in Syriam.* Hæc cum ſcribat Joſephus, dicatque ad hæc agenda perſuaſum fuiſſe Claudium, non tantum Agrippæ, ſed & Herodis Regum precibus; non quidem Herodes hic ille putandus eſt Tetrarcha, jam (ut vidimus) redactus in ordinem, & multatus exilio: Sed alius Herodes Rex Chalcidis, ejuſdem Agrippæ Regis frater, ut idem Joſephus inferius declarat. Ejuſdem quoque Herodis Agrippæ fratris meminit Dio his verbis: *Agrippæ Regnum auxit, honores Conſulares tribuit, fratrique ejus Herodi Prætoriam dignitatem, & principatum quemdam conceſſit; in Senatumque ingredi eos, ac gratias ipſis græce agi mandavit: hæc Claudii actiones laudatæ erant ab omnibus.* Sed jam pro Judæis edictum a Claudio datum hic deſcribamus; eſt autem hujuſmodi:

Joſeph. antiq. lib. 20. cap. 1. in fin.

Dio lib. 60.

Edictum pro Judæis Alexandriam miſſum. *Joſeph. ut ſup.*

9. *Tiberius Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus Trib. poteſt: edicit. Quoniam cognitum habemus, Alexandrinos Judæos jam inde ab initio jus ejus civitatis ex æquo cum Alexandrinis cæteris conſecutos a Regibus, ſicut patet ex inſtrumentis ſuper hoc conſcriptis, & conſtitutionibus Regiis, poſt adjectamque Imperio noſtro per Auguſtum Alexandriam manſiſſe illis ſua jura integra, conſervata per miſſos illuc diverſis temporibus Præſides, nullamque de eorum jure controverſiam extitiſſe, cum Aquila præfuit Alexandriæ: permiſſumque eis ab Auguſto, ut in defuncti Ethnarchæ locum alium ſuis ſuffragiis ſubſtituerent, ut quiſque in ſuis Ritibus maneat, neque cogatur Reli-*

JESU CHR. AN. 41.

gionem patrium deſerere : cæterum Alexandrinos concitatos contra concives ſuos Judæos Caii Cæſaris temporibus, propter inſolentem illius inſaniam, dum contra patriam gentis Religionem pro Deo coli ab eis poſtulat, & recuſantibus infenſus eſt : Volo inconcuſſa eſſe jura eorum a Caii inſania, eiſque jus eſſe perſeverandi in patriis Ritibus. Jubeoque utramque partem, quoad fieri poteſt, dare operam, ne quid turbarum commoveatur ; idque propoſito hoc edicto ita ſtatuo. Hæc erant, quæ in illo edicto continebantur. In reliquum autem Orbem Romanum hæc edixit :

Alterum Claudii edictum pro Judæis. *Joſep. ut ſup.*

10. *Tiberius Claudius Auguſtus Germanicus Pont. Max. Conſul deſignatus ſecundum edicit. Petentibus a me Agrippa, & Herode Regibus mihi amiciſſimis, ut permitterem Judæis, in Imperio noſtro degentibus, uti ſuo jure quemadmodum antea, ſicut & Alexandriam habitantibus conceſſimus : libenter precibus eorum annuimus, non deprecatorum tantum cauſa, ſed quia ipſos dignos judicamus hoc noſtro beneficio propter ſervatum populo Romano fidem, & amicitiam. Æquiſſimum igitur cenſeo, nullam ne Græcum quidem urbem negare illis jus ſuum : quandoquidem & ſub Divi Auguſti principatu conſervatum eis fuit integrum. Licebitque in poſterum Judæis per totum noſtrum Imperium ſparſim habitantibus uti majorum ſuorum moribus. Quos jam nunc moneo, ut hac noſtra gratia contenti, modeſtius ſe gerant, neque conſpuant Religiones externarum gentium : ſuis autem ſuo arbitratu vivant legibus. Atque hoc meum edictum civitatibus, coloniis, & municipiis Italicis, ac provincialibus per Magiſtratus publicari volo, ad Reges quoque, atque Dynaſtas tranſmitti, non minus triginta continuis diebus ita proponendum, ut ab omnibus humi ſtantibus poſſit perlegi.* His edictis Alexandriam, & per totum Imperium dimiſſis, Claudius Cæſar declaravit, quomodo *in Judæos animatus fuerit*. Hæc porro conceſſa quidem Judæis, qui tum Alexandriæ, tum etiam in cæteris Romani Imperii provinciis agerent : non iis tamen, qui Romæ eſſent. Illi enim a Claudio Imperatore primum cohibiti, demum (ut ſuo loco dicemus) Urbe ſunt pulſi. Namque Dio ſub Conſulibus anni primi Claudii hæc narrat : *Cum Judæi adeo iterum Romæ frequentes fierent, ut difficulter ſine tumultu propter multitudinem Urbe poſſent exigi, non ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam tolerantes, non paſſus eſt con-*

Joſeph. antiq. lib. 19 cap. 5.

Judæi Romæ cohibiti.

Dio lib. 60.

convenire. Nec mirum; nam & cætera conventicula abolevit. *Et quia intelligebat* (inquit idem Auctor) *nihil profici, si quæ res vulgo interdiceretur, niſi vita quoque ejus quotidiana transformaretur; Cauponum tabernas, in quas coeuntes potabant, demolitus eſt: edixitque ne quis carnem elixam, aut aquam calidam venderet; in quoſdamque contra delinquentes animadvertit. Sic igitur conjurationes timens, omnino conveniendi ſimul occaſionem quacumque ex cauſa amputavit.* JESU CHR. AN. 41.

21. *Poſt hæc vero*, inquit Joſephus, *mox Agrippam ad curam ſui Regni miſit, auctum majoribus honorihus, commendatumque per litteras Præſidibus provinciarum, ſimul & Procuratoribus omnibus*. Hic etſi anno Caji Caligulæ 2. ſeu Chriſti 38. rediiſſet, ut ſuo loco diximus, Romam tamen paulo poſt revenerat, iterumque hoc anno in Judæam reverſus eſt, ut narrat Joſephus. *Ille autem, ut re bene geſta, magna celeritate reverſus eſt: & quamprimum pervenit Hieroſolymam, votiva ſacrificia perſolvit, nihil omittens eorum, quæ lege præſcripta ſunt. Unde & multos Nazaræos tonderi mandavit, & catenam auream a Cajo donatam, pondere parem illi ferreæ, quæ regias manus vinxerat, monumentum adverſæ fortunæ mutatæ in proſperam ſuſpendit in ſacrario ſuper Gazophilacium: quæ doceret ſpectatores & ſublimia poſſe corruere, & Deum valere omnia erigere denuo*. Poſt aliqua: *votis igitur Deo redditis, Agrippa Theophilum Anani filium ſubmovit a ſummo Sacerdotio, & Boethi filium Simonem cognomine Cantharam in ejus locum ſubſtituit*. Et iterum: *Conſtituto deinde Pontificatu, Rex Hieroſolymitis benevolentiæ gratiam detulit, remiſſo eis tributo, quod ſoliti erant in ſingulas ædes pendere: decorum putans, ſi non pateretur ſe vinci amore mutuo. Paulo poſt Dorenſes*, ait Joſephus, *quidam juvenes natura temerarii, religionis ſpecie, poſuerunt in Judæorum Synagoga ſtatuam Cæſaris, quod Agrippam Regem vehementer commovit ad iracundiam, quod ea res perditum iret inſtituta patria. Quare ſine mora ad Petronium Syriæ Præſidem profectus, queſtus eſt de Dorenſium audacia: qui & ipſe non minus ægre ferens hoc facinus, ut impium, novatoribus illius aſperius ſcripſit*, Dorenſem Magiſtratum objurgans ob illatas Judæis injurias, rogansque, ut criminis auctores ſibi tradantur, ne in poſterum ſeditionis materiam præberent, adjunxitque epiſtolæ Claudii edictum pro Judæis Alexandri-

Reditus Agrippæ in Judæam.

Joſeph. l. 19. 5.

Petronii epiſt. ad Dorenſ., apud Joſeph.

JESU. CHR. AN. 42.

drinis, quo, quæ eſſet Auguſti in Judæos voluntas, ſatis clare patebat.

JESU CHRISTI AN. 42. PETRI APOST. AN. 11.
CLAUDII IMPERATORIS AN. 2.
COSS. CLAUDIO CÆSARE II., ET CÆCINA LARGO.
ANN. URB. 795. OLYMP. 205. AN. 2.

Herodes Agrippa Eccleſiam perſequitur, Jacobum occidit, & Petrum in carcerem mittit.

1. Ut ad Regni ſui curam Agrippa Rex Judæorum rediit, Judæis gratificari cupiens, quorum religioni impenſe favebat, adverſus Eccleſiam perſecutionem excitavit, qua Jacobus Apoſtolus Joannis frater, Zebedæi filius, occiſus fuit; eumdemque exitum & Petrus, in carcerem jam conjectus, habuiſſet, ni Deus eum Angeli opera liberaſſet. Geſta ſunt hæc circa Faſchalia feſta, de quibus Lucas: *Eodem tempore miſit Herodes Rex* (idem eſt ac Agrippa) *manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem, quia placeret Judæis, appoſuit, ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum; quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo.* De Petri carcere, & liberatione agemus inferius; nunc, quæ Jacobi ſunt, proſequamur. De hujus martyrio hanc hiſtoriam ex Clemente Alexandrino refert Euſebius: *De iſto Jacobo rem prorſus memoria dignam refert Clemens in ſeptimo inſtitutionum libro, prout eam a majoribus acceperat. Ait enim, eum, qui Jacobum judicio obtulerat, (ideſt accuſatorem) cum illum vidiſſet Chriſti fidem libere confitentem, commotum viri conſtantia ſe quoque chriſtianum eſſe affirmaſſe. Ambo igitur, inquit, ſimul ad ſupplicium ducti ſunt. Cumque inter eundum rogaſſet Jacobum comes, ut ſibi veniam daret, pauliſper moratus Jacobus, pax tibi, inquit, ſlatimque illum oſculatus eſt. Ita ſimul ambo capite truncati interiere.* Hæc ex Clemente Euſebius. Alia plura de Iacobi martyrio traduntur ab auctore de paſſionibus Apoſtolorum ſub falſo Abdiæ nomine, quæ utpote dubia præterimus. Veroſimiliora ſunt, quæ de Jacobo, & Joanne fratre ejus ſcribuntur ab Epiphanio tradente, ipſos & perpetuam ſervaſſe virginitatem, & carnis concupiſcentiam fortiter ſuperaſſe auſteriſſima vita; ita ut Nazaræorum more, nec capillos unquam tonderent, nec balnea

Act. 12.

Euſeb. lib. 2. 9.

Valeſ. ad hunc locum.

De paſſion. Apoſtol. in Jacobo.

nea frequentarent, sed a carnium, & piscium esu abstinentes, & unica contenti tunica, Apostolicam vitam glorioso martyrio consecrarint.

JESU CHR. AN. 42.

2. Hispanorum plurimi in ea olim opinione erant, ut crederent Jacobum Zebedæi filium in Hispanias migrasse, ibique prædicasse Evangelium, Hierosolymam deinde reversum martyrio ibidem coronatum, cujus reliquiæ in Galitiam postea translatæ fuerint; quam traditionem calculo suo probaverat Baronius, dum notas in Martyrologium Romanum scripsit, ad quas lectorem suum anno 44. remittit: Sed re melius considerata, anno 816. num 70. eamdem Hispanorum traditionem de Jacobi prædicatione omnino improbavit, unaque cum Baronio omnis fere eruditorum cœtus, utpote ex turbulento fonte manantem; cujus testes non proferunt Hispani, nisi obscuri nominis auctores, nimirum pseudo-Isidorum, de vita & morte Sanctorum cap. 73., & Tulpinum quemdam, vel dubias Calixti II. Papæ epistolas, qui sæculo duodecimo floruit, vel tandem Toletanum Breviarium: addunt etiam nobile monumentum Cæsaraugustæ extructum, templum scilicet S. Mariæ de Pilar nuncupatum. At & supracitati auctores, & B. Mariæ templum, tantæ antiquitatis non sunt, ut eam confirmare possint traditionem. Ut enim argumentum ex antiquorum omnium silentio petitum prætereamus, quod satis hisce traditionibus evertendis sufficit, eamdem traditionem Rodericus Ximenius Toletanus Archiepiscopus in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. impugnavit, dum de Primatu cum Compostellano Archiepiscopo disputaret, negavitque aperte, Compostellanam Ecclesiam a Jacobo Apostolo fundatam fuisse; obmutuitque Compostellanus, cum nil haberet, quod suæ faveret causæ. Præterea cum vix ab annis aliquot Gentibus ad fidem ostium patefactum fuisset, in Hispanias usque peregrinari vix potuit S. Jacobus, ut iterum Hierosolymam rediret. Sed & Innocentius Papa primus, ex Apostolis neminem, sed Petri discipulos tantum in Hispaniis prædicasse, testatur. Ignoravit itaque & Jacobi prædicationem; qua ignorantia tenebatur & Paulus Apostolus, dum ad Romanos scribens, suum desiderium exponit in Hispanias proficiscendi, non ut super alieno fundamento ædificaret, sed ubi nondum Christus annunciatus fuerat: *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus* (Orientis scilicet) *cupiditatem autem habens veniendi ad vos... cum in Hispa-*

An Jacobus Hispanis prædicaverit.

Bar. an. 816. n. 70. 71. Martirol. Rom. die 25. Julii Bell. ibid. Joan Mariana lib. 4. de reb. Hisp. de Aguirre dissert. 4. in app. ad Concil. Hisp. Henricus Flores in sua Hispania sacra. Tillem. n. 6. 7. in Iacob. Baylet die 25. Julii. Efflut epist. ad Rom. 15. Nat. Alex. dis. sert. 15. Sæc. I. Bzjnag. an. 44. 5. Mamach. Antiq. Christ tom. 2. Hard t. 7. Concil pag. 82. Innoc. epist. ad Decent. tom. 2. Concil. p. 225. & apud Coustan. Epist. ad Rom. 15.

JESU CHR. AN. 42.

ſpaniam proficiſci cæpero, ſpero, quod præteriens videam vos, & a vobis illuc deducar. An autem voti ſui compos Apoſtolus fuerit, videbimus infra; nunc ſatis ſit traditionem de Jacobi peregrinatione in Hiſpaniam confutaſſe.

Quo anno Jacobus martyrio occubuit.

Act. 9. 26. ad Gal. 1. 19.

3. Quo autem anno Jacobus ab Herode Agrippa gladio percuſſus martyrium obierit, non una omnium ſententia eſt. Aliqui enim Jacobum jam mortuum fuiſſe putant eo tempore, quo Paulus Hieroſolymam advenit (anno ſcilicet 37.), ubi neminem Apoſtolorum ſe vidiſſe memorat, niſi Petrum, & Jacobum fratrem Domini. At alibi tunc eſſe poterat Jacobus Joannis frater; etenim nec Joannem, alioſque Apoſtolos ea in Urbe Paulus viſit, qui tamen mortui nondum erant: Joannes certe vitam adhuc retinebat, idemque de aliis dicendum. Alii anno æræ vulgaris 44. S. Jacobi mortem contigiſſe arbitrantur, quo & Agrippam obiiſſe tradunt, cui ſententiæ favet Euſebius, dum narrata Jacobi morte, Agrippæ interitum mox ſubdit. Idemque & S. Lucas teſtatur. At ut a Tillemontio adnotatum eſt, ab Hiſtoricis ſæpe, quæ aliquo temporis intervallo diſſita ſunt, ita conjunguntur, ut ex eorum narratione eodemmet tempore facta videantur. Itaque etſi S. Lucas Jacobi martyrio Herodis obitum conjungat, non tamen eodem anno utrumque contigiſſe dicimus; ſed labenti anno 42. Jacobi martyrium, anno vero 44., Claudii quarto, Herodis obitum alligamus; quod & Joſephi teſtimonio confirmatur, qui plurima ab Agrippa geſta commemorat tum Beryti, tum Tiberiade, dum ex Hieroſolyma Cæſaream properaret, ut videre eſt *cap. 7. & 8. l. 19. Antiq. Jud.* Hanc porro ſententiam eo libentius amplectimur, quod ex Euſebio ſcimus, labenti anno S. Petrum Romam profectum, & ſequenti 43. in eam ingreſſum fuiſſe, ut deinceps videbimus; quod & clariſſimus Fogginius, aliique invictis confirmant argumentis.

Uſſer. an. 44. Baſnag. an. 44. 3. Baſilet die 25. Julii. Act. 12. Euſeb. lib. 2. cap. 10. Tillemont. not. 29. in Petrum.

Euſeb. in Chron. Tillem. not. 19. in Petrum: Bar. an. 49. Foggin. de itin. B. Petri exercit. 7. p. 156. Mamach. antiq. Chriſt. tom. 2.

Petrus ab Angelo liberatur.

Act. 12.

4. Sed ad Petrum Herodis juſſu carcere incluſum jam redeundum eſt: *Et Petrus quidem*, ait Lucas, *ſervabatur in carcere, oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Periclitante Eccleſiæ ſummo Paſtore, tota concuti viſa eſt Eccleſia; hinc etſi alios Apoſtolos carcere detentos alibi inveniamus, de nullo tamen ipſorum tantam ſollicitudinem habuiſſe legimus, quantam in Petri diſcrimine. Audivit Deus preces eorum, & vinctum ſuum non deſpexit: *Cum enim*, proſequitur Lucas, *producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dor-*

dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Unde quæso, adnotat Baronius, tanta hæc diligentia, & tam exquisita custodia? *Jam alias Judæi experimento didicerant, Angelum Domini Petrum, ac cæteros Apostolos simul vinctos eduxisse de carcere. Timens itaque Herodes, ne, quod semel factum erat, iterum eveniret, stulte admodum tot artibus Dei consilium, & sapientiam eludere conatus est*, sed quid tum ille, qui *reprobat consilia Principum? ecce* (ipsomet Luca auctore) *Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum dicens:* Surge velociter; *& ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere & calcea te caligas tuas, & fecit sic; & dixit illi: circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat enim se visum videre. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum: & continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.* Quæ scribit Lucas, Angelum duxisse Petrum ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, non eo sensu sunt accipienda, ut carcer extra civitatem esset, sed cum duplici circumderetur muro Hierosolyma, intermediæque essent munitissimæ turres, quæ intra civitatis ambitum continebantur, ex earum una ductus est Petrus per portam carceris ferream, ut Ecclesiam de ejusdem salute sollicitam visitaret. Porro de eadem ferrea porta ab Angelo tunc referata hæc cecinit Arator:

Act. 5. 19.

Bar. an. 44. 4.

Psalm. 32.

Act. 12.

Arat. in Act. Apost. lib. 1.

Ferrea, quid mirum, si cedunt ostia Petro!
Quem Deus æthereæ custodem deputat aulæ,
Ecclesiæque suæ faciens retinere cacumen,
Infernum superare jubet; De catenis vero, quibus fuit vinctus, hæc addit, cum jam Romam translatæ essent:

. . . . . *Manet omne per ævum*
Pignoris hujus apex, & sideris obtinet instar,
Corpore quod Petrus sacravit, & Angelus ore;
His solidata fides, istis tibi Roma catenis

JESU CHR. AN. 42.

Perpetuata ſalus: harum circumdata nexu
Libera ſemper eris, quid enim non vincula præſtant,
Quæ tetigit, qui cuncta poteſt abſolvere?

Hæc Arator de Petri catenis, de quibus alibi fortaſſe agemus, cum de earumdem inventione tractandum erit. Ipſarum præconium habetur ſermone 29. de Sanctis, Auguſtino tributo, qui Romano Breviario in feſto S. Petri ad vincula legitur; Lovanienſibus tamen dubius fuit, & a Maurinis in appendicem rejectus, ac Fauſto potius Semipelagiano adſcriptus.

Petrus inviſit ſuos.

5. E carcere eductus Petrus, *venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes. Pulſante autem eo oſtium januæ, proceſſit puella ad videndum, nomine Rhode. Et ut agnovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, ſed intro currens nuntiavit ſtare Petrum ante januam. At illi dixerunt ad eum: Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus eſt. Petrus autem perſeverabat pulſans. Cum autem aperuiſſent oſtium, viderunt eum, & obſtupuerunt. Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit quo modo Dominus eduxiſſet eum de carcere. dixitque: nuntiate Jacobo & Fratribus hæc. Et egreſſus abiit in alium locum.* Hæc Lucas, qui addit: *Facta autem die erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum eſſet de Petro. Herodes autem cum requiſiſſet eum, & non inveniſſet, inquiſitione facta de cuſtodibus, juſſit eos duci*, ad ſupplicium ſcilicet; eos enim juſſu Herodis fuiſſe ſtrangulatos, tradit Petrus Alexandrinus Epiſcopus, & Martyr.

Agrippa in cuſtodes Petri animadvertit. *Ep. canon. Petri Alex. can. 13. apud Theod. Balſ.*

6. Petrus itaque ab Herodis manibus tanto miraculo ereptus, cum in Judæa conſiſtere non poſſet, alio proficiſcendum cenſuit, juxta illud Jeſu Chriſti, *cum vos perſecuti fuerint in una Civitate, fugite in aliam*; & non ſine Dei impulſu Romam venit. Quas vero in ea peregrinatione Eccleſias viſitaverit, nobis non conſtat; de quibus plurima ex Metaphraſte Baronius refert. Ex Agapſti Romani Pontificis epiſtola, quæ in Synodo quinta recitata eſt, id tantum ſcimus, Epiſcopos a Petro in Oriente conſtitutos fuiſſe. *Et hoc dignitati ſuæ* (Mennæ ſcilicet) *addere credimus, quod a temporibus Petri Apoſtoli nullum alium unquam Orientalis Eccleſia ſuſcepit Epiſcopum manibus noſtræ Sedis ordinatum.* In quibus autem Eccleſiis ii Epiſcopi ſint ordinati in incerto eſt, cum Orientalis Eccleſia multis conſta-

Petrus Apoſtolus, relicta Judæa, Romam pergit. Epiſcopos in Oriente ordinat.

Bar. an. 44. 10. 11.

Hard. concil. tom. 2. p. 1226.

ret

ret diœcesibus, quin imo nec omnino certum, an Petrus in hac potius, quam altera peregrinatione, in Oriente Episcopos ordinaverit. JESU CHR. AN. 42.

7. Imperante autem Claudio, Petrum Romam advenisse edocuit jampridem S. Leo: *Ad hanc ergo urbem, Beatissime Apostole Petre, venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Apostolo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, sylvam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis oceanum constantior, quam cum supra mare gradereris, ingrederis. Nec Mundi Dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaveras Sacerdotis ancillam. Numquid aut judicio Pilati, aut sævitia Judæorum minor erat vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris; nec æstimabas errori cedendum, dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos*; & paulo post: *Jam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras. Jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras. Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras: nec aut dubius de provectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, tropæum Crucis Romanis arcibus inferebas, quo te divinis præordinationibus anteibant & honor potestatis, & gloria passionis.* De Petri adventu Romam. *S. Leo Serm. 2. in natal. Apost. Petri, & Pauli tom. 1. edit. Baller.*

8. Hæreticorum tamen plurimi a Fogginio, & Mamachio citati, ne Romanum Pontificem Petri Successorem agnoscere cogerentur, Petrum Romæ unquam fuisse negarunt. Verum traditio de Romano Petri itinere, atque Pontificatu, tot innititur argumentis, ut ad facti evidentiam vix majora desiderari possint. Occurrit itaque primo S. Clemens ipsius Petri discipulus, & in Romana Cathedra Successor, qui epistola prima ad Corinthios, Ecclesiæ Romanæ nomine data, SS. Petri, & Pauli martyrium ob oculos ponens, hæc subdit: *Viris istis* (ideſt Petro, & Paulo) *sanctæ vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui supplicia multa, & tormenta propter emulationem passi exemplar optimum inter nos extiterunt.* Quibus verbis Sanctus Pontifex innuit, Romanos (quos Neronis, aut Domitiani furor morti tradidit) ad martyrium alacres reddidisse Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli & institutionem, & exemplum. At si Romam non advenerunt Sancti Apostoli Petrus, & Paulus, quomodo & ibidem martyrium subire potuerunt, & fideles sancte picque instituere, ut martyrio De itinere S. Petri Romano ex veterum testimonio. *Foggin. exercit. 1. & Mamach Tom. 5. Orig. Christ. Petri Constantii notæ in op. Cardin. Cortesii. Clemens Rom. Coustan p. 12.*

JESU CHR. AN. 42.

tyrio eſſent apti? Clementem S. Ignatius Antiochenus Epiſcopus & Martyr excipiat, qui ad Romanos ſcribens, dum Smyrnæ eſſet, ut illos rogaret, ne ejus martyrio obſtarent, ſtatim addit: *Non ut Petrus, & Paulus præcipio vobis*; quibus verbis Sanctus Martyr ſatis clare innuit, ſe in ea fuiſſe ſententia, Petrum, & Paulum Romæ Evangelium prædicaſſe, ideoque ipſe Romanis præcipere quidquam velut extraneus non audebat, ſed tantum rogabat. Scio equidem novatorum quoſdam has epiſtolas Ignatio abjudicare; at qua fronte id egerint, videri poteſt apud Fogginium, Natalem Alexandrum, Nourry, alioſque ex catholicis; & ex hæreticis Hammundum, Pearſonium, Uſſerium, Baraterium, prima hæreticorum lumina, de quibus plura ſuo loco dicenda reſervamus. Poſt Ignatium idem teſtatur Papias Hierapolitanus Epiſcopus, Joannis Apoſtoli auditor, & Polycarpi contubernalis ex Irenæo lib. 5. cap. 33., eadem habet & Euſebius lib. 2. cap. 15., dum narrat, qua cauſa S. Marcus Evangelium ſuum Romæ ſcripſerit, quod Petrus calculo ſuo comprobavit: refert etiam, primam Petri epiſtolam Romæ ſcriptam fuiſſe, & Babylonis nomine Urbem indicaſſe. Idipſum teſtatur antiquiſſimus auctor libri prædicationis Petri, quem Clemens Alexandrinus ſæpe citat, & Stromatum lib. 6. ex eo opere multa tranſcribit, cujus hæc ſunt verba apud Lactantium: *Sed & futura aperuit iis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt, & ea prædicatio in memoriam ſcripta permanſit, in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum eſſe dixerunt, ut poſt breve tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Judæos, & civitatem eorum ſolo æquaret, ipſos autem fame, ſitique confectos obſideret &c.*

Ignat. epiſt. ad Rom.

Voſſius, Blondell. Daillæus, Salmaſius.

Pearſ cap. 7. p. 33. Uſſer. in Ignat. ep. Barat. diſſ. 1. de Conſtit. Apoſt. pag. 230.

Lactan. inſt. l. 4. 21.

9. Præterea Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus in epiſtola ad Romanos ſub Sotere Romano Pontifice circa ann. 164. ſcripta apud Euſebium, de prædicatione Petri, & Pauli Romæ hæc habet: *Ita & vos ex tanta admonitione veſtra plantationem Romanorum, & Corinthiorum a Petro, & Paulo factam commiſceuiſtis. Ambo enim in urbe noſtra Corintho plantantes nos ſimiliter docuerunt, ſimiliter autem & in Italia audacter docentes, circa idem tempus martyrium paſſi ſunt.* Irenæus quoque Polycarpi, & Papiæ diſcipulus, teſte Hieronymo, poſtmodum Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus, qui Romanæ Eccleſiæ res apprime noverat, eamdem docet veritatem pluribus in locis; inter alia, hæc ad rem noſtram habet: *Quoniam valde longum*

Alii teſtes hujus traditionis.

Dionyſius Corinth. Epiſcopus. Euſeb. lib. 2. cap. 25.

Iren. lib. 3. de Hær. cap. 3.

JESU CHR. AN. 42.

gum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ &c. en a quibus instituta fuerit Romana Ecclesia; & paulo ante: *Matthæus in Hebræis ipsorum linguâ scripturam edidit Evangelii, cum Petrus & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam.* Irenæo coævi fere sunt & Cajus presbyter, & Clemens Alexandrinus. Primus sub Zephirino Pontifice scribens hæc de Apostolorum prædicatione Romæ, eorumque martyrio habet in dialogo cum Proclo Montanista: *Ego vero Apostolorum trophæa possum ostendere, nam si in Vaticanum, aut ad viam Ostiensem pergere libet, occurrent tibi trophæa eorum, qui Ecclesiam hanc fundaverunt.* Et Clemens libro sexto Institutionum apud Eusebium eadem de Evangelii prædicatione per D. Petrum Romanis exhibita testatur. Idemque Tertullianus tum Catholicus, tum Montanista: *Si autem Italiæ adjacet, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur*, & libro de baptismo: *Nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tiberi tinxit*: Et in Scorpiaco: *Vitas Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit; tunc Petrus ab altero cingitur, cum Cruci adstringitur*: demum adversus Marcionem cap. 5. *Videamus quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium & Petrus, & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* Eruditissimus vero Origenes, qui sub Zephirino Romæ fuit, de S. Petro hæc habet apud Eusebium: *Qui ad extremum Romæ existens Cruci suffixus est, capite deorsum demisso; sic enim ut in Cruce collocaretur, orraverat.* Eadem fere Petrus Alexandrinus habet epistola sua canonica *canone nono*. S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus Cathedræ Petri sæpe meminit: *Post ista adhuc*, inquit, *navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem*; & alia epistola: *Cum Fabiani locus, idest cum locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret*: & Lactantius: *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit* & paulo post: *Petrum Cruci affixit, & Paulum interfecit*; Librum de mortibus persequutorum Lactantio inscripsit Balutius ejusdem operis primus editor; at Nourry præfatione in eumdem Librum, & ap-

Lib. 3. 1. pag. 174. edit. Mossuetii.

Euseb. l. 2 25.

Lib. 2. 15.

Lib. 3. 14.

Tertull. de præscript. c. 36.

Origenes, Petrus Alex. Cyprianus. Euseb. lib. 3. & lib. 6. 14.

Epist. ad Cornel. & epist. 52.

Lactant. de mort. Persecutorum.

JESU CHR. AN. 42.

Euseb. lib. 2. cap. 25. Athanas. Apol. de fuga tom. 1. Arnob. adversus Gentes lib. 2. Epiph. Hæres. 27. 4. Ambros. Serm. de Basilicis non tradendis. Hier. in catal. V. ill ep. 17. Augustin. contra Parm. Theodor. Hist. lib. 7. epist. 112. ad Leon. M. Lib. de Hæresibus.

Epiſcoporum ordo in Romana Eccleſia a B. Petro incipit.

Iren lib 3. 3. & lib. 4. 63. Tertull. de præscript. 32.

& apparatu ad Biblioth. max. Patrum L. Cæcilii eſſe contendit; hinc orta eſt quæſtio de ejuſdem libri auctore. Vide fratres Ballerinos tom. 4. oper. Noriſii edit. Veron. pag. 38.; dum autem ait Lactantius Petrum Nerone imperante Romam advenisse, intelligendum eſt de ſecundo Petri adventu ſub Nerone Imperatore. Quæ fuerit Euſebii ſententia, jam ſupra vidimus, dum aliorum teſtimonia exſcripſimus, quibus hæc ſunt addenda de Apoſtolorum Cœmeteriis: *Ac Paulus quidem Romæ capite truncatus, Petrus vero Cruci suffixus fuisse eodem regnante* (Nerone) *traduntur: quam quidem narrationem abunde confirmant Petri, Paulique nomine insignita monumenta, quæ in Urbis Romæ Cœmeteriis etiamnum visuntur*. Euſebio conſentiunt Athanaſius, Arnobius, Epiphanius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Oroſius, Optatus, Theodoretus, ſexcentique alii, quorum etiam nomina recenſere longum eſſet.

10. Tot veterum teſtimoniis, quibus luce clarius patet, S. Petrum Romanam inſtituiſſe Eccleſiam, quam & ſanguine ſuo decoravit, adde ineluctabile argumentum, quo ſancti Patres ſæpe uſi ſunt, ad retundendam Hæreticorum proterviam, cui iidem directe reſpondere nunquam ſunt auſi; argumentum inquam ex Epiſcoporum ſucceſſione petitum, dum catalogum Romanorum Pontificum texentes, a S. Petro initium ducunt. Sic Irenæus: *Habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt in Ecclesiis, & Successores eorum usque ad nos*. Et Tertullianus: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant Ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, & antecessorem; hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnorum Ecclesia Polycarpum a Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum*. Eodem argumento utuntur Origenes, Cyprianus, Epiphanius, atque Optatus contra Donatiſtas, qui de Cathedra Petri agens, ſucceſſionis ordinem a Petro uſque ad Damaſum, vel Siricium digerit, Donatiſtas deinde his verbis interpellat: *Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare*. Cumque Macrobium Epiſcopum ſuæ ſectæ Romæ adeſſe gloriarentur Donatiſtæ, eorumdem Epiſcoporum originem recenſens Optatus, brevem hanc tantummodo Donatiſtarum Epiſcoporum ſeriem texuit. Primus in Urbe Epiſcopus Vi-

Orig. Præf. in Periarchon. Cyprian. tract. de lapsis. Epiph. hæres. 61. & 69.

Victor Garbienſis, cui ſucceſſit Bonifacius Ballitanus, Bonifacio Encolpius, Encolpio Macrobius: addit poſtea, Macrobio ſucceſſit Lucianus, & huic poſtremo Claudianus; at Victor illorum primus Epiſcopus, *erat*, inquit, *illic filius ſine Patre, tyro ſine Principe, diſcipulus ſine Magiſtro, ſequens ſine antecedente*; & S. Auguſtinus contra eoſdem Donatiſtas: *Numerate Sacerdotes ab ipſa Petri Sede, & in ordine eorum Patrum, quis, cui ſucceſſit, videte*; & alibi: *Tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt Reſurrectionem ſuam Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*. Et S. Fulgentius *eam fidem laudat, quæ uſque nunc per ſucceſſorum ſeriem in Cathedra Petri Apoſtoli Romæ, vel Antiochiæ, in Cathedra Marci Evangeliſtæ in Alexandria, in Cathedra Joannis Evangeliſtæ Epheſi, in Cathedra Jacobi Hieroſolymæ ab ipſorum Epiſcopis prædicatur*. In qua fiducia a Patribus traditum ſit, S. Petrum Romanam fundaſſe Eccleſiam; quo argumento contra hæreſes omnes utebantur, nec quiſpiam ex tot Hæreticorum grege uſquam inventus eſt, qui Petrum Romæ ſediſſe negare auſus fuerit. Reſervata hæc deliramenta erant Hæreticis ſequioris ævi, Lutheranis nimirum, & Calvinianis. Sed alia adhuc ſuppetunt argumenta, quibus evincitur, S. Petrum Romæ fuiſſe, de quibus inferius hoc anno agendum, ſcilicet de epiſtola Petri, ubi videbimus Babylonis nomine Romam indicaſſe; ejuſque victoria de Simone Mago parta, ut alia plurima omittamus; & ne plura in eamdem rem addere cogamur, conſulat Lector jam citatos Auctores, aut ex proteſtantibus celebriores, nempe Scaligerum in Euſeb. Chron., Blondellum de Primatu Eccleſiæ, Hammondum diſſert. v. de Epiſcopis, Pearſonium pag. 32. 43., Joannem Clericum Hiſt. Eccl. an. 68., Samuelem Baſnagium Annal. an. 64., Baratterium de ſucceſſione Rom. Pontif.

JESU CHR. AN. 42.

Aug. in Pſalm. contra partem Donati.

Lib. contra epiſt. Manich. cap. 6., & ep. 42.

Fulgent. de Trinit. cap. 1.

11. Ne hoſtem vero fugere videamur, præcipua ſaltem argumenta, quibus Petri ad Urbem adventus impugnatur, exponamus; ex iis enim quoque conſtabit, eos non veritatis amore, ſed odio in Romanum Pontificem, & Romanam Sedem, in eam deſcendiſſe ſententiam. Ait itaque Spanhemius, hoc de Petri itinere Romano commentum ex duabus fabulis manaſſe; ſcilicet ex victoria de Simone Mago per Petrum parta, & ex inſita opinione, quod Babylonis nomine, unde Petrus primam ſcripſit Epiſtolam, Romam deſignaverit. At quis Spanhemio dixit,

Hæreticorum argumenta, quibus Petri adventus Romam impugnatur.

JESU CHR. AN. 42.

dixit, ex hiſce tantum duobus factis conſtare adventum Petri in Urbem Romam? nonne potius ex omnium Sæculorum traditione id comprobatum eſt, atque teſtibus æqualibus fere, ac coævis, quibus fidem abrogare nec ſana mens, nec critica ars ſinit? Inſuper eſto, fabulæ ſint, quod Petrus Simonis potentiam extinxerit, aut Babylonis nomine Romam deſignaverit, (quæ tamen veriſſima ſunt) quis non videt, in eam faciles deſcendiſſe Patres ſententiam, ut ea facta pro veris haberent ex inſita ipſorum animis opinione, quod Petrus Romam venerit? Argumentum alterum ex ignorantia temporis, quo Petrus Romam advenit, deſumunt, eo quod anno ſecundo Claudii Euſebius, ſub Nerone vero Lactantius id factum aſſerant. At ſupra jam diximus bis Romam advenisſe Petrum, ſub Claudio ſcilicet, & iterum ſub Nerone; de primo adventu itaque loquitur Euſebius, de ſecundo Lactantius, ſive Auctor libri de mortibus perſecutorum. At concedamus de eodem loqui Euſebium, & Lactantium; dum de re ipſa conveniunt, cur de tempore ſolliciti ſumus? an quia tempus, quo advenit, incertum eſt, ſequitur nunquam advenisſe? Hoc ſi admittant Spanhemius, Salmaſius, Turretinus, actum de hiſtoria eſt; quot enim facta ſcimus, de quibus tempus, quo evenerint, ignoramus? Nonne veteres inter Chronologos, recenteſque magna contentione diſputatur de anno, quo Chriſtus vel in lucem editus eſt, vel quo in Crucem eſt actus? numquidnam nondum natus, vel mortuus eſt? nemo unquam tam abſurda ex ignorantia temporis admittet: eodem jure & dicimus Petrum Romam advenisſe, licet quoad tempus inter ſe auctores diſſentiant. Euſebium tamen, & Hieronymum præferimus, ex quibus ſcimus imperante Claudio anno ſecundo id factum, uno fere diſſentiente Lactantio, ſive Cæcilio in libro de mortibus perſequutorum, apud quem legitur, imperante Nerone Petrum Romam adventaſſe, licet commode, ut ſupra diximus, de ſecundo Petri adventu Lactantius poſſit intelligi. Reponunt tamen, ſi Petrus Romæ ante Pauli adventum, aut una cum ipſo in ea Urbe adfuit, nonne id innuiſſent vel S. Lucas, vel ſaltem S. Paulus in ſuis Epiſtolis Romæ ſcriptis, qui tamen de hoc omnino ſilent? At qui ſic argumentantur, omnes hiſtoricas veritates eo argumento evertunt, cum hiſtoricis omnibus familiare ſit, ſilentio multa præterire. Petrum inter, & Paulum aliquid diſſidii Antiochiæ fuiſſe ex Apoſtolo ſcimus, de quibus apud Lucam

Epiſt. ad Gal. 2. 11.

ne

ne verbum extat, licet Pauli gesta prosequi videatur. Quis negabit Christianos, inter quos Aquila, & Priscilla, una cum Judæis a Claudio Roma pulsos fuisse? tamen apud Scriptores sacros altum de ea re silentium. *Mirum non est*, ait Hieronymus, de Petri Antiocheno Episcopatu verba faciens, *si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit.* Quid ergo mirum, si Petri gesta silentio obvolverit, quæ agendi ratio apud Historicos omnes frequentissima est? JESU CHR. AN. 42.

Hieron. Comment. ad epist. ad Galat. cap. 2.

12. Insuper Claudius Salmasius ex eo, quod Paulus epistola ad Galatas diserte testetur, Petro concreditum fuisse Apostolatum circumcisionis, sibi vero Gentium, evidenter constare arbitratur, Pauli, non Petri fuisse Romæ Apostolicum exercere officium, ubi Gentibus præcipue, non Judæis evangelizandum erat: quod argumentum eidem magni momenti fortasse videtur. At si Hieronymum tantum legisset, ab ea difficultate se, lectoresque suos liberasset. *Occulta hic oritur quæstio* (ex verba Hieronymi, quibus tota vis argumenti corruit). *Quid igitur Petrus si invenisset ex Gentibus, non eos adducebat ad fidem? aut Paulus, si ex circumcisione aliquos reperisset, nec eos ad Christi baptismum provocabat? Quæ ita solvetur, ut dicamus principale singulis in Judæos, & Gentes fuisse mandatum, ut qui defendebant legem, haberent, quem sequerentur, qui legi gratiam præferebant, non deesset eis doctor, & prævius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christi ex cunctis Gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim & a S. Petro gentilem baptizatum fuisse Cornelium, & a Paulo in Synagoga Judæorum Christum sæpissime prædicatum.* Hactenus Hieronymus; quibus Salmasii argumentum de Apostolatu circumcisionis Petro concredito penitus evertitur; ex eo enim sequeretur, nec a S. Paulo, cui Gentium provincia demandata erat, Judæis Evangelium annunciatum fuisse; quod aperte sacræ Scripturæ adversatur, qua constat in Synagogis Judæorum Gentium Apostolum Christum sæpissime annunciasse: Cur ergo, quod licuit Paulo, post distinctum prædicationis officium, non licuerit & Petro? An Paulo plus concedendum est ad Judæorum, quam Petro ad Gentium salutem? Cum & ipse Petrus in Concilio Apostolorum dixerit: *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus*

Salmasii argumentum diluitur.

Salmat. appar. de Primatu Papæ.

Hier. comment. in epist. ad Galat cap. 2.

Qua ratione circumcisionis Apostolatus fuerit S. Petro, & Gentium S. Paulus.

Act. 14. v. 18. 4. 28.

JESU CHR. AN. 42. *Act. cap. 15.*

in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere: His adde, quod etiamsi verum esset, Petrum ad solos Judæos missum fuisse, negandum tamen non esset Romam venisse, cum & ibidem Judæorum plurimi essent, quos ad Christum perduceret. Sub Augusto certe Judæi suas habebant proseuchas, suam Synagogam. Unde cum post mortem Herodis legati quinquaginta Romam missi essent, *iis se adjunxerunt*, ut habet Josephus, *ex Judæis urbis Romanæ plures, quam octies mille*, a quibus teste Philone magna pars Urbis trans-Tiberim tenebatur, quorum non minor numerus fuit sub Tiberio, Cajo, & Claudio, quo imperante cum iterum Romæ frequentes essent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem Urbe possent arceri, non ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam tolerantes *vetuit convenire*. Itaque etsi Petrus Judæorum tantum Apostolus fuisset, Romæ non deerant Judæi, inter quos suo fungeretur Apostolatu. Longiores fortasse in hac quæstione fuimus; at argumenti dignitas nos impulit: si enim Petrus Romam non advenit, ut Novatores nonnulli contendunt, nec Pontifices Romani successores Petri dici possunt, ipsorum in tota Ecclesia Primatus omnino corruit, Ecclesia Catholica Acephalum Corpus erit, nullus jam in controversiis de fide, aut disciplina dirimendis Judex erit, dissensio, atque discordia impune grassabitur in Ecclesia; ut apud Novatores evenit, inter quos deficiente in controversiis legitimo superiore, & Judice, unaquæque Ecclesia suam fidem, suos mores habet; itaut alia sit fides & disciplina apud Luteri sectarios, alia apud Calvinianos, alia apud Zuinglianos, eritque in perpetuum in Anglicana Ecclesia, ut videre est apud Bossuetium de varietate Ecclesiarum Reformatarum; atque utinam exemplo saltem suo discerent tandem, fidei ac disciplinæ unitatem subsistere non posse, nisi in Ecclesia Catholica, quæ sub uno Capite, & Pastore Romano Pontifice S. Petri Successore a Christo Domino fundata, unitatem servat, contra quam portæ inferi non prævalebunt.

Joseph. lib. 17. 12.

Dio lib. 10.

De sessione Petri Romæ, & de Primatu Papæ inter cæteros vide Nat. Alex. diss. 4. sæculi primi, Orsi, Ballerini de vi, & ratione Primatus Rom. Pontif.

13. Ad expugnandum Simonem Magum Romam secundo Claudii anno venisse Petrum, Hieronymus tradit; præstigiis quippe suis Romanorum mentes adeo dementaverat Simon, ut ipsum pro Deo habuerint, eique statuam dedicaverint: *Interea*, ait Eusebius, *cum jam fides Servatoris nostri Jesu Christi ubique diffusa esset, hostis generis humani, Regiam Urbem sibi occupare satagens,*

Simo-

Simon Magus præstigiis suis Romanos excæcat.

Hier. de Vir. illustr. cap. 1. Euseb. lib. 2. c. 13. 14.

Simonem eo deſtinat. Cujus nefariis artibus auxilium, atque operam ſuam commodans, plurimos eorum, qui Romæ degebant, in errorem inductos ſibi mancipavit. Teſtatur Juſtinus &c., & capite ſequenti: *Statim ergo præſtigiator ille* (Simon ſcilicet) *divinæ lucis inſperato quodam ſplendore perculſus, ſimul ac in Judæa a Petro Apoſtolo convictus eſt, omniaque ejus maleficia patefacta, longiſſime trans mare fugam arripuit, ab orientis partibus ad occaſum profectus; neque aliter ſe libere, & ex animi ſui ſententia victurum eſſe ſperavit, tandem ad Urbem Romam delatus, ope atque adjumento ſubſidentis ibidem dæmonis brevi conatus ſuos tantopere promovit, ut illius civitatis homines ei tanquam Deo ſtatuam collocarint. Sed hæc non diu ex voto illi fluxerunt. Confeſtim enim ipſis Claudii Auguſti temporibus, benigna & clementiſſima Dei providentia fortiſſimum & maximum inter Apoſtolos Petrum, & virtutis merito reliquorum omnium Principem, ac Patronum, Romam adverſus illam generis humani labem, ac peſtem perducit. Qui tanquam ſtrenuus divinæ militiæ ductor cæleſtibus armis munitus, pretioſam illam lucis intelligibilis mercem ab Oriente ad eos, qui verſus occaſum habitabant, detulit, lucem illam & ſaluturem mentibus doctrinam, Regnum ſcilicet Cœlorum eis annuncians.*

Jesu Chr. an. 42.

14. Simoni autem dicatam fuiſſe a Romanis ſtatuam, & quidem in Tiberina inſula inter duos pontes, ante Euſebium tradiderat Juſtinus in ſua Apologia prima Antonino Pio Imperatori, ejuſque filiis adoptivis Marco Aurelio, ac L. Vero, Senatuique Romano inſcripta, qua hæc habet: *Dæmones immiſerunt Simonem quemdam Samaritanum e vico Littum dicto, qui ſub Claudio Cæſare, cum magica miracula, dæmonum in eo operantium arte, in Regia veſtra Urbe Roma edidiſſet, Deus exiſtimatus eſt, & a vobis tanquam Deus ſtatua honoratus, quæ ſtatua erecta eſt in inſula Tiberina inter duos Pontes, habens hanc Romanam inſcriptionem: Simoni Deo Sancto. Hunc Samaritani pene omnes, & ex aliis gentibus nonnulli primum Deum eſſe confitentur, eumque adorant; ac Helenam quamdam, quæ eum hoc tempore ubique aſſectata eſt, cum antea in lupanari proſtitiſſet, primam ejus notionem eſſe dicitant*; & iterum cap. 56. *Num cum apud Vos in Regia Urbe Roma imperante Claudio, ut jam dixi, Simon verſaretur, & Sacrum Senatum, & Populum Romanum ita admiratione perculſit, ut Deus exiſtimaretur, & Statua velut alii, qui a vobis coluntur Dii,*

Simoni Mago a Romanis ſtatua erigitur.

Juſtin. Apol. 1. c. 26., & 56 p. 59.

JESU CHR. AN. 42.

donaretur; Quapropter oramus, ut & Sacrum Senatum, & Populum Romanum una vobiscum hujus noſtri ſupplicis libelli cognitores adſciſcatis, ut ſi quis ejus doctrina implicatus ſit, veritate cognita, errorem poſſit effugere, & ſtatuam, ſi ita vobis placet, dejicere; ejuſdem ſtatuæ Simoni erectæ meminit apologia ſecunda, & in Dialogo cum Triphone, eique conſentit Irenæus: *Cum adhuc non credidiſſet Deo*, (Simon) *& cupidius intendit contendere adverſus Apoſtolos, uti & ipſe glorioſus videretur eſſe, & univerſam magicam adhuc amplius ſcrutans, itaut in ſtuporem cogeret multos hominum: quippe cum eſſet ſub Claudio Cæſare, a quo etiam ſtatua honoratus eſſe dicitur propter magicam: hic igitur a multis quaſi Deus glorificatus eſt &c.* Rurſus etiam Tertullianus in Apologetico Romanis exprobrat, quod inter cæteros homines, inter Deos relatos, Simonem Magum ſtatua donatum Sancti Dei titulo inſignita adorent; ſic enim ait: *Cum Larentinum publicum ſcortum, velim ſaltem Laidem, aut Phrynem, inter Junones, ac Dianas adoratis; cum Simonem Magum ſtatua, & inſcriptione Sancti Dei inauguratis &c.* Conſentanea his habentur apud Theodoretum, Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum, Auguſtinum, alioſque, itaut de hiſtoria tot tantorumque virorum teſtimonio comprobata nemo unquam ad ſæculum uſque decimum ſextum dubitaverit.

Iren. contra haer lib. 1. 23. p. 59.

Tertull. Apol. cap. 13.

Theod. lib. 1. hiſt. 1. Epiph. haeſ. 21. Cyrill. cath. 6. p. 56. Aug. lib. de haeſ. cap 1.

Simoni Magno ſtatuam erectam fuiſſe, fruſtra impugnatur.

15. At cum anno 1574., teſte Viro clariſſimo Petro Ciaconio, in eadem inſula Tiberina inter duos Pontes hæc inſcriptio inventa fuerit:

Semoni Sanco Deo Fidio Sacrum
Sex: Pompejus S. P. F. Col. Muſſianus
Quinquennalis decur. Bidentalis
Donum dedit.

Petavius, Natalis Alexius, Valeſ. ut. in exp. 15. lib. 2. Euſeb. i. Pagius an. 43. n. 6. Baſnag. an. 42. Salmaſius de Primatu Papae Mahenius inſt. majores. pag. 407.

Ex hoc lapide, qui ut baſis ſtatuæ ſuperpoſitæ inſerviebat, eruditi non pauci in eam deſcenderunt ſententiam, ut dicerent, Juſtinum domo Samaritanum, ob latinæ linguæ inſcitiam, & quadam nominis ſimilitudine deceptum, ſtatuam *Semoni Sanco* Sabinorum Deo dicatam *Simoni* Mago attribuiſſe, & ex eo deinceps falſam hanc traditionem in alios derivaſſe. Verum adverſantur merito alii, doctrina, & critices laude non ignobiles viri, qui contrariam omnino opinionem tuentur. Qui fie-

ri enim unquam poteſt, ajunt, ut Juſtinus Philoſophus vir tantæ eruditionis, ac ſcientiæ, uti ejus opera teſtantur, in re tam certa, ac omnibus nota errare potuerit, & Simonem confundere cum *Deo Sanco*, cujus cultus, ac ſuperſtitio ab incunabulis fere Urbis orta, & a Sabinis illata, ita apud Romanos invaluerat, ut non una, ſed plures adeſſent Romæ Deo Sanco ſtatuæ, nec in una Tiberina inſula, ſed & alibi, ut apud Gruterum, & Baronium videre eſt. Quid vero juvat erroris cauſam ex inſcriptionis ſimilitudine conjectari, cum utraque inſcriptio in multis etiam diſtingueretur; poterat quidem Semonis nomen cum Simone confundi; At unde ſimilitudo ex Semone Sanco Deo Fidio cum Simone Deo Sancto? Semoni Sanco ſtatuam dicaverat Sex. Pompejus S. P. F., Simoni vero Sancto Imperator, & Senatus, ut Juſtinus teſtatur: tot itaque differentiæ inter utramque inſcriptionem erant, ut vix ſanus, non eruditiſſimus Philoſophus, falli potuerit. Præterea hæc de Simone Deo Sancto, nec temere, nec inconſideranter Juſtinus protulit, ſed Imperatorem, & Senatum rogat, ut hujus rei cognitores adſciſcant, & ſtatuam deponant; quis porro credat hæc tanta confidentia a Juſtino prolata fuiſſe, quin perſpecta ea, certiſſimaque habuerit ex diuturno domicilio, quod Romæ habuit, utpote de re lippis, & tonſoribus nota; quin etſi erraſſet, dum hæc apologia prima ſcripſerat, cur in ſecunda non retractavit, vel in dialogo cum Triphone, cum de Simone Samaritano mentionem habet, ex eo vel ſaltem edoctus, quod plures Semonis Sanci & ſtatuas, & inſcriptiones Romæ videret? Cum itaque quæ de Juſtini errore ab aliquibus dicta ſunt, leviſſimis tantum conjecturis innitantur; hiſtoriæ a tot tantiſque viris teſtatæ præjudicium afferre nequeunt.

Jesu Chr. an. 42. *Tillem. n. 2. in Simonem. Nat. Alex. hiſt. Eccl. ſæc. 1. c. 11. Baron. an. 44. Mauriani in præfat. cap. 6. in Juſt.*

16. Jam reliqua, quæ adverſus eumdem Magum S. Petrus Romæ geſerit, exordiamur; de quibus hæc breviter Euſebius: *Cum Dei doctrina Romanos adventu ſuo illuſtraſſet, Simonis quidem vis ac potentia cum ipſo ſimul auctore brevi extincta, atque deleta eſt.* Eo uſque temeritatis advenerat Impoſtor ille, ut per aerem volare, atque in Cœlum quoque aſcendere ſe poſſe gloriaretur. Id etiam ab aliis Magis factitatum tradit Lucianus; & de Nerone, quem magicis artibus addictiſſimum fuiſſe ſcimus, narrat Dio Chryſoſtomus oratione de pulchritudine, cuidam volatum promittenti fidem adhibuiſſe: *Hoc vero maxime ſuperabat Nero, & nemo illi ulla de re, quam dicere*

Petri victoria contra Simonem. *Euſ. lib. 2. c. 15*

Plin. lib. 30. 2. Dio Chryſoſt. orat. 21.

JESU CHR. ÆN. 42.

ceret, contradicebat, neque impossibile ajebat, quod jusserat, ita ut cum quemdam volare jussisset, ille & promiserit, multoque tempore nutriebatur intus apud eum in aula, tamquam volaturus. Editum autem fuisse sub Nerone tale spectaculum, auctor est Svetonius, qui ait: *Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit.* Sed & Patrum aliqui, Ecclesiasticique scriptores sub Nerone Simonis volatum referunt, & Paulum victoriæ de Simone a Petro partæ consortem tradunt; quem sub Nerone tantum Romæ fuisse constat. Eaque de causa diu hæsimus, an sub Claudio Imperatore, vel sub Nerone hæc narranda forent; at Eusebii sententiam, Simonis interitum ad Claudii tempora referentis, veriorem cum Valesio putamus. Cum enim ex Justino, & Irenæo, & Cyrillo, aliisque constet, Simonem sub Claudio Romam venisse, & fraudulenta illic portenta edidisse, quibus in sui admirationem, & venerationem Romanos pertraxerat; cumque etiam constet, sub eodem Imperatore anno secundo illuc Petrum se contulisse, ad detegendas tanti impostoris fallacias, inverosimile omnino est, Simonem tamdiu præsente Petro fidei Christianæ insultasse, itaut a temporibus Claudii ad Neronis usque annum duodecimum impune magicis incantationibus Romanos cives dementaverit, per annos scilicet 23. circiter, cum præsertim Eusebio teste: *Simonis vis ac potentia cum ipso simul auctore brevi extincta, atque deleta est*; quæ consistere minime possent, si ad Neronis usque tempora diabolicis præstigiis Christianæ Religioni illusisset. Ceterum, sive sub Claudio, sive sub Nerone id acciderit, cum Latinorum, & Græcorum Patrum testimonio de lapsu Simonis magi firmata habeatur historia, vix interest, si de tempore inter se dissentiant, dummodo in re gesta conveniant; & ut antiquissimum auctorem Constitutionum Apostolicarum utpote incertum omittamus, Arnobius, qui Diocletiani temporibus scripsit, hæc habet: *Viderant (Romani scilicet) cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore dissatas, & nominato Christo evanuisse. Viderant, inquam, fidentem diis falsis, & ab iisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, & cruribus jacuisse perfractis; post deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defessum ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio. Quæ omnia vos gesta neque scitis, neque scire voluistis, neque unquam vobis necessaria judi-*

Svet. in Nerone 12.

Bar. an. 44. & 68. 16. Tillem. tom. 1. p. 176, & to. 2. pag. 36. Philast. de hæres. cap. 3. Sulpic. Sever. hist. lib. 2. Aug. Psalm. 9. Maximus Taurin. hom. 5 1. Vales in Notis ad cap. 15. lib. 2. Eusebii.

Eusch. lib. 15.

Arnob., Cyrill. Hier., Ambr., Aug. Isid. Pelus. Theodoret. Max. Taur., Philast. etc. Const. Apost. lib. 6. 9. Arnobius adversus gentes lib. 2. tom. 3. Biblioth. PP., et pag. 64. edit. Desiderii Heraldi.

judicaſtis. Hæc cum Arnobius ſcribat adverſus Gentes, nec de re aliqua in obſcuro geſta teſtetur, ſed Romæ in Orbis univerſi theatro; ſane quidem rem haud dubiam, quæve in controverſiam deduci vel a fidei hoſtibus poſſet, ſe memoraſſe ſignificat. JESU CHR. AN. 42.

17. Sed & Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus, qui Conſtantii temporibus vixit, hæc in eamdem ſententiam ſcripſit: *Cum vero error ſe latius ſpargeret, vitium illud correxit egregium par virorum, Petrus & Paulus Eccleſiæ Præſules illuc appulſi, Simonemque illum videlicet opinione Deum ſuperbe ſe oſtentantem ſubita morte perculerunt. Nam cum pollicitus eſſet, ſe ſublimem in cælos elatum iri, ac dæmonum vehiculo ſublatus per aera ferretur, genibus provoluti ſervi Dei, concordiæ telo per precationem adverſus Magum immiſſo, præcipitem ad terram dejecerunt. Neque ſibi res illa mira videatur, tametſi alioquin admiranda; Petrus namque erat is, qui Cæli claves circumferebat: nihil quoque miri; Paulus enim erat is, qui in tertium Cælum atque in Paradiſum raptus erat, audieratque arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex ſublimi aere illum exiſtimatum Deum ad terram dejecerunt, qui ſubterranea deprimendum.* Hucuſque Cyrillus; cui conſonans Epiphanius, *Naturæ*, inquit, *debitum in Romanorum urbe Simon perſolviſſe reperitur, quando in media Romanorum Urbe miſer ille collapſus, mortuus eſt*. Epiphanio conſentit Philaſtrius, Philaſtrio Auguſtinus, dum ad Caſulanum ſcribens tradit, ea occaſione Romæ inſtitutum fuiſſe jejunium Sabbati: *Eſt quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis eum perhibeant falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejuſdem Urbis Eccleſia jejunaverit, & conſecuto tam proſpero glorioſoque ſucceſſu, eumdem morem retinuerit, eumque imitatæ ſint nonnullæ occidentis Eccleſiæ*. Hæc Auguſtinus, qui præterea opera Petri Simonem extinctum, atque necatum fuiſſe affirmat, cum ait: *In qua Urbe beatus Apoſtolus Petrus eum vera Omnipotentis Dei virtute extinxit*. Et iterum: *Petrus Ananiam, & Sapphiram ejus uxorem mendaces occidit; & Simonem Magum tamdiu perſecutus eſt, donec morte perimeret*; Sulpicius Severus hæc eadem teſtatus ait: *Tam illuſtris illa adverſus Simonem Petri & Pauli congreſſio fuit. Qui cum magicis artibus, ut ſe Deum probaret, duobus ſuffultus Dæmoniis evolaſſet, ora-*

De Simonis volatu, & lapſu Patrum teſtimonia.

Cyril. Hier. catech. 6. p. 56.

Epiph. hæreſ. 21.

Auguſt. epiſt. 36.

Auguſt. de hæreſ. 1.

Idem contra Fulgent. Donatiſt. cap. 23 Sulp. Sev. hiſt. lib. 2. n. 30. Pag. 160. edit. Veron. 1754.

JESU CHR. AN. 42.

orationibus Apoſtolorum fugatis Dæmonibus delapſus in terram, populo inſpectante, diſruptus fuit. Et Theodoretus: *Rurſus Romam veniens divinus Petrus, fraudis eum pennis nudavit, qui cum eum tandem in miraculorum certamen provocaſſet; omnibus Romanis videntibus, eum ex magna altitudine deturbavit, cum oraſſet; & qui miraculum viderant, eos cepit ad ſalutem.* Sed & Iſidorus Peluſiota idipſum diſertis verbis teſtatur: *Quamobrem ſi te Simonis exemplum non terret, qui cum baptizatus fuiſſet, ac miniſtris Chriſti comitem ſe præbuiſſet, rurſum ad eas res, quæ ex materia conſtant, reverſus eſt (ob idque etiam ex alto miſer in mortem ſermone multorum celebratiſſimam præceps ruit, ut ex una ipſius ruina perſpicuum omnibus fiat, quibus ſuppliciis digni ſint, qui cæleſte curriculum mentiuntur) Simonis veſtigiis, animique inſtituto hære.* Hæc Iſidorus ad Lampetium ſcribens. Maximus vero Taurinenſis de his copioſius differens, dum cauſam necis Apoſtolorum declarat, hæc narrat: *Sed videamus cauſam, quare iſta perpeſſi ſunt: ſcilicet, quod inter cætera mirabilia etiam Magum illum Simonem orationibus ſuis de aeris vacuo præcipita ruina proſtraverunt. Cum enim idem Simon ſe Chriſtum diceret, & tanquam Filium ad Patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atque elatus ſubito magicis artibus volare cæpiſſet: tunc Petrus flexis genibus precatus eſt Dominum, & precatione facta, vicit magicam levitatem. Prior enim aſcendit ad Dominum oratio, quam volatus; & ante pervenit juſta petitio, quam iniqua præſumptio: Ante Petrus in terris poſitus obtinuit, quod petebat, quam Simon perveniret in cæleſtibus, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut victum illum de ſublimi aere depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxa illidens, ejus crura confregit; & hoc in opprobrium factæ illius, ut qui paulo ante volare tentaverat, ſubito ambulare non poſſet; & qui pennas aſſumſerat, plantas amitteret. Sed ne forte hoc mirum videatur, quod Magus iſte præſente Apoſtolo per aerem aliquandiu volitaverit; hoc patientia Petri fecit; permiſit enim illum ſublimius aſcendere, ut altius caderet: voluit eum in excelſum levari ad conſpectum omnium, ut ruentem illum de excelſo oculi omnium perviderent. Hæc igitur iniquitatis eſt elatio, ut in altum ſe ferat, in ſublime ſe erigat, ſed ſancta oratio omnem humiliat ſuperbiam, & univerſam dejicit vanitatem.* Aliqui etiam addunt, Simonem poſt caſum ob dolorem, & pudorem in deſperationem actum, ex alto ſe præ-

Ad. Peluſ. l. 1. epiſt. 13.

Maxim. Taurin. ſerm. 5 in Mat. Apoſtolor.

Philaſt. cap. 29. Epiph. hæreſ. 21. Aug. hæreſ. 1.

præcipitem dediſſe, ſicque vitam reliquiſſe; & teſte Gregorio Turonenſi ſæculo ſexto Romæ lapis aſſervabatur, ſupra quem Apoſtoli flexis genibus Deum deprecati fuerant, ut Simonem ex alto dejicerent. His innumeri afferri poſſent de eadem hiſtoria teſtes. At de re a tot tantiſque viris teſtata, ſicuti dubitare nefas ducimus, ita alia addere ſuperfluum judicamus.

JESU CHR. AN. 42. *Greg. Turon. lib. de glor. M. cap. 28.*

18. Claudius cum miti ingenio eſſet, Imperii ſui initio plurima laude digna peregerat. At ea in poſterum vitiis etiam plurimis deturpavit; nam, cum gladiatoriis ludis ad inſaniam uſque delectaretur, ad crudelitatem facilius inclinavit, impellentibus etiam Meſſalina uxore perditiſſima, & effrænatæ luxuriæ fœmina, & Narciſo liberto. Cædibus hoc anno initium fecit: Hinc cum nonniſi infauſta timerent Romani, ex iis aliqui auctore Annio Viciniano in Imperatorem conjurationem inierunt, in ſocietatem etiam adducto Camillo Scriboniano Dalmatiæ Præfecto, quæ ad exitum deducta fuiſſet, ſi Milites Camillo obtemperaſſent; at ea detecta Camillus voluntariam mortem elegit, alii ex Senatorio, & equeſtri ordine, crudeli morte perempti ſunt. Præ ceteris memoria digna habita eſt apud Gentiles Arria Conjux Cæcinnæ Conſulis, quæ una cum marito mori voluit, quinimmo & maritum trepidantem confirmavit, cum arrepto gladio ſe ſaucians, eique eumdem porrigens, *viden*, inquit, *fili*, *me non dolere*. Quod carmine ſuo Martialis luſit:

Conjuratio adverſus Claudium detegitur. *Suet. in Claud. Dio lib. 60.*

Marti. epigr. lib. 1. 14.

Caſta ſuo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
Sed tu quod facies, hoc mihi Pæte dolet.

19. Roma hoc anno cum fame vexaretur, Claudius copiæ alimentorum & in præſens, & in futurum proſpiciens, ædificavit ad Oſtia Tiberina portum, quo facilius Romam frumenta aſportarentur. De eodem tam magnifico opere, & Romanæ majeſtatis digno, hæc habet Suetonius: *Per tria autem paſſuum millia, partim effoſſo monte, partim exciſo, canalem abſolvit ægre, & poſt undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus ſine intermiſſione operantibus.* Hæc autem fames, quæ Romam afflixit hoc anno, ſicuti & altera anno undecimo ejuſdem Claudii, particularis fuit, ut teſtantur Tacitus, Suetonius, & Oroſius, non vero univerſalis ea, quæ ab

Roma fame vexatur, Claudius portum ad Oſtia Tiberina ædificat. *Suet. in Claud. 20.*

Tacit. l. 12. 43. Suet. in Claud. 18. Oroſ. l. 7. 6.

JESU CHR. AN. 42.

Agabbo in actibus Apostolorum prædicta fuit, quam anno quarto Claudii cæpisse manifestum est ex Eusebii Chronico, & Orosio. Hoc item anno rebellantibus iterum in Africa Mauris, per Suetonium Paulinum primo oppressi sunt, eorumque terræ ad Atlantem montem usque depopulatæ, deinde Corejus Sidius Geta, adversus Salabum Maurorum Ducem expeditione iterum suscepta, semel & iterum eosdem vicit, itaut pacis conditionibus subscribere cogerentur, ut narrat Dio.

Act. 2. 23. 25. Chron. Eus. & Oros. ut supra.

Dio lib. 60.

Vibius Marsus Præfectus Syriæ Petronio succedit.

20. Quod ad Res Judæorum attinet, Vibius Marsus hoc anno in Syriæ Præfectura Petronio successit, ut ex Josepho constat, quo tempore Rex Agrippa Hierosolymorum muros sumptu publico reficere, amplioresque, quam antea fuerant, ædificare curavit; quos inexpugnabiles omnino reddidisset, ni Marsus Syriæ Præses eam rem Claudio significasset, qui suspicatus Judæos novis rebus studere, Agrippæ scripsit, ut ab eo opere cessaret. Eodem fere tempore Simoni Cantharæ, cui Pontificatum abstulerat Agrippa, Jonatham Anani filium substituere voluit, qui oblatum honorem recusavit, rogato Rege, ut Matthiæ fratri summum Sacerdotium conferret, qua de causa Matthias Pontificatum adeptus est.

Joseph. l. 19. 6.

Joseph. antiq. lib. 19. 7.

JESU CHRISTI AN. 43. PETRI APOSTOLI AN. 12.
ROM. PONT. AN. 1. CLAUDII IMP. 3.
COSS. CLAUDIO AUG. III., ET L. VITELLIO II.
AN. URB. 796. OLYMP. 205. AN. 3.

De Romanæ Sedis institutione.

1. Hoc Jesu Christi anno 43. cum Petrus Apostolorum Princeps Romæ adesset, ibidem Sedem Pontificiam erexit, cujus rei memoria die 18. Januarii in Martyrologiis, & Sacramentariis non solum Romanæ Ecclesiæ, sed & Gallicanæ celebratur, in quibus missa propria, & præfatio ea die legitur de Cathedra Petri Romæ, idque etiam ante tempora Caroli Magni (cum Romana Liturgia nondum Gallicana Ecclesia uteretur), ut videre est apud Mabillonium. Extant etiam de ea solemnitate sermones duo apud Augustinum, qui Maximo Taurinensi adscribuntur a Maurinis; ejusdemque festi meminit Concilium II. Turonense anno 566. hisce verbis: *Sunt etiam, qui in festivitate Cathedræ D. Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post missas redeuntes ad domos proprias, ad Gentium reverteruntur errores.* Die autem 22. Februarii, qua nunc Antiochena

Boll. die 18. Jan. Florent. Martyr. p. 261.

Mabill. Lyturg. Gallic. p. 119. & 120. Serm. de Sanctis 15. & 16. nunc in app. Pag. not. in Bar. an. 570. 13.

na Cathedra celebratur, in Bucherii Martyrologio hæc leguntur: *Octavo Kalend. Martii Natale Petri de cathedra*; Utrumque festum habetur in Martyrologio Adonis, & in altero a Rosveido edito, & Concilio Lemovienſi anno 1031. Paulus vero IV. utrumque festum distinxit, & propriis diebus in Ecclesia celebrari jussit.

JESU CHR. AN. 43.

Pauli IV. diploma an. 1558. Apud Boll. die 18. Jan.

2. In Vaticano Templo extare adhuc Cathedram, qua Petrus Romæ sedit, traditione fertur. Apostolorum enim Cathedras religiosissime servatas fuisse, testis est Tertullianus: *Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur*. Et de Jacobi Cathedra Hierosolymis servata ad tempora Constantini, testis est Eusebius: *Sane*, inquit, *Jacobi illius Cathedram, qui primus Hierosolymorum Episcopus fuit, ad nostra usque tempora conservatam, fratres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia*. In actis vero passionis B. Marci eadem habentur de ipsius Cathedra, in qua (ut in actis Petri Alexandrini Episcopi legitur) ipse nunquam sedere voluit, sed quoties ad altare ascendebat, ut pacem populo daret, in scabello, quod erat ad pedes illius Cathedræ, residere consueverat; cumque mirarentur Clerici, ac laici, ideo se in ea Cathedra non sedere dixit, eo quod, quoties ad eam propius accederet, totus contremisceret, quasi cœlestem quamdam virtutem in ea sedentem conspiceret. Si itaque Jacobi, si Marci Cathedra ab antiquis in tanta veneratione fuit, nil mirum & Petri Apostolorum Principis Cathedram pari honore habitam fuisse.

Apostolorum Cathedræ servatæ.

Bar. an. 45. 11. Constantius de itinere D. Petri in notis ad opus correct. Tertull. de præscript. cap. 36. Euseb. l. 7. c. 19. et 22.

3. In scriptis autem Patrum Cathedræ nomen trifariam accipitur. Primo enim doctrinam indicat, qua significatione usurpatur a Hieronymo in epistola ad Damasum: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri, communione consocior*. Eademque mente epistola sequenti scripsit: *Ego interim clamito, si quis Catheræ Petri jungitur, meus est*. Recte quidem; nemo enim catholicus esse potest, nisi Petri doctrinæ adhæreat. Dum vero Optatus ait, Majorinum a Cathedra Petri, vel Cypriani recessisse, eorum doctrinam, & communionem abjecisse demonstrat. Hac de causa a Gregorio M. ea dicuntur e Cathedra Petri manare, quæ vera prædicantur: *Suavissime Sanctitas vestra*, inquit, *multa in epistolis suis de S. Petri Apostolorum Principis Cathedra loquuta est*,

De varia Cathedræ significatione.

Hier epist. 15. et 16.

Greg. lib. 6 ep. 37. ad Eulog. Alex. ep.

JESU CHR. AN. 43.

est, dicens, quod in ea nunc usque in Successoribus suis sedeat. Secundo Cathedræ nomine Episcopatus designatur, idque innumeris ferme veterum exemplis constat, quorum pauca tantum afferemus. Cum Rogatianum Episcopum sprevisset superbus Diaconus, sic illum compellavit Cyprianus: *Pro Episcopatus vigore, & Cathedræ auctoritate habetes potestatem, qua posses de illo statim vindicari.* Quid est Cathedræ auctoritas, si muneris non est, quo Rogatianus fungebatur? De Novatiano porro ad Rogatianum hæc scribit idemmet Cyprianus: *Quod Episcopo Cornelio in Catholica Ecclesia de Dei judicio, & Clero, ac plebis suffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram Cathedram collocare tentaverit.* Adultera illa Cathedra Episcopatus profecto est, quem immerito Novatianus usurpavit. Neque alia sane mens vel Hieronymo scribenti: *Novatianum Romanæ Urbis presbyterum adversus Cornelium Cathedram Sacerdotalem conatum esse invadere*; vel Optato ita Parmenianum adloquenti: *Videndum est, qui & ubi prior Cathedra sederit . . . igitur negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput.* Patet enim utrumque Cathedræ vocem usurpasse pro Episcopali Dignitate, quam Romæ Petrus exercuit: qua eadem significatione a Milevitanis quoque Patribus adhibitam certo scimus: *Placuit, ut quicumque negligunt loca ad suam Cathedram pertinentia &c.* Videatur & ejusdem Synodi Canon XXI. Tertio Cathedra Ecclesiam ipsam significat, legitimo Episcopatu gaudentem, quo sensu accipienda sunt verba Cypriani ad Cornelium Pontificem de Schismaticis, qui Romanæ Ecclesiæ opem imploraverant: *Navigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem.* Hinc etiam in capitulari scriptum: *Ut non liceat Episcopo principalem Cathedram suæ Parochiæ negligere, & aliam in sua Diœcesi magis frequentare*; quod & Africano Concilio Canone 38. jam statutum fuerat: *Rursum placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali Cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre.*

Cyprian. ep. 3.

Hieron de Vir. illustr.

Opt. lib. 2.

Concil. Milevit. 2. can. 24.

Cypr. epist. 59. p. 266.

Capitul. lib. 1. cap. 40.

Concil. Carth. 4. Hard. Concil. tom. 1.

De materia, & forma Cathedræ Episcopalis.

4. Episcoporum Cathedras & primis Ecclesiæ temporibus, & deinceps etiam ligneas fuisse in confesso est: *Cathedræ erant olim ligneæ*, ait Balutius, *etiam ævo Caroli Magni, ut ostendit hic locus ex veteri homiliario M. S. Ecclesiæ Lugdunensis. Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi. Hæc verba Domini non debemus carnaliter intelligere, ut credamus*

Balut. in Notis ad Capit.

Scri-

Scribas, & Phariſæos ſediſſe ſuper Cathedras ligneas, ſicut modo ſolent ſedere Epiſcopi, & Presbyteri in Eccleſia. Suas quidem Cathedras habebant & Presbyteri, verum in ſublimiore throno ſedente Epiſcopo, hinc iude in humilioribus cathedris adſidebant presbyteri, qui ſecundi Sacerdotii participes ab Optato Milevitano dicuntur. *Quid commemorem laicos? quid miniſtros plurimos? quid Diaconos in tertio; quid Presbyteros in ſecundo: ipſi Apices, & Principes omnium Epiſcopi:* Epiſcopi autem Cathedra altior erat, non modo quia presbyteris Epiſcopus dignitate præſtabat; ſed etiam, uti habet Auguſtinus, ut ex ſublimiori loco officii ſui memor eſſet: *Ut*, inquit, *in memoriam revocarent, altiore ſe in loco tanquam in ſpecula conſtitutos, quo oculorum acie pervigili, atque indefeſſa in tutelam gregis incumbant, tanto ceteris virtute, & probitate clariores, quanto magis eſſent ſedis honore, ac ſublimitate conſpicui.* Ceterum prioribus Eccleſiæ Sæculis parum eminuiſſe Epiſcopi Cathedras, ab Antiochena Synodo edocemur, quæ Paulo Samoſateno crimini tribuit, quod & tribunal, & ſublimem thronum, non ut Chriſti Diſcipulus ſibi ipſe conſtituiſſet. Quod & in alio Epiſcopo reprehenſione dignum exiſtimaſſe Sulpicium, videmus, dum de S. Martino hæc refert: *Illud non præteribo, quod in ſecretario nunquam Cathedra uſus eſt. Num in Eccleſia nemo unquam illum ſedere conſpexit, ſicut quendam nuper, teſtor Dominum, non ſine meo pudore vidi ſublime ſolio, quaſi regio tribunali, celſa ſede reſidentem. Sedebat autem Martinus in ſellula ruſticana, ut eſt in uſibus ſervulorum, quas nos ruſtici Galli Tripetias, vos Scholaſtici, aut certe tu, qui de Græcia venis, Tripodas nuncupatis.* Velis præterea, ſed plerumque lineis Epiſcoporum ſedes tegebantur; teſtatur id Auguſtinus in epiſtola ad Maximum; idemque monet Pontius Cypriani Diaconus, dum ejus martyrium enarrans, ait: *Sedile erat fortuito linteo tectum, ut ſub ictu paſſionis Epiſcopatus honore frueretur.* Hinc linteatarum Sedium nomen habuere. Qua de re inſignis locus eſt apud Pacianum: *An Novatianus, quem abſentem epiſtola Epiſcopum finxit, quem conſecrante nullo linteata ſedes accepit &c.*

JESU CHR. AN. 43.

Auguſt. in Pſal. 126.

Enſeb. lib. 7. 30.

Pacian. epiſt. 2. ad Sympr. Bibliothè PP. t. 4.

5. Illud porro ſingulare Romanæ Eccleſiæ, ſive Cathedræ a Petro erectæ fuit, quod præ cæteris Primatum in tota Eccleſia obtineret. Plurimæ quidem Apoſtolicæ Eccleſiæ, ſive Cathedræ fuerunt, quotquot ſcilicet ab Apoſtolis fundatæ ſunt;

De Rom. Eccleſiæ Primatu, & privilegiis.

JESU CHR. AN. 43. *Christ. Lup. in Tertull. cap. 20.*

sint; nullo quippe fundamento nixam arbitramur Christiani Lupi sententiam, qui inter Apostolicas Ecclesias, & Cathedras ita distinguendum opinatur, ut Apostolicæ Cathedræ tres tantum fuerint, Romana scilicet, Antiochena, & Alexandrina; contra vero Ecclesiæ plurimæ ab Apostolis institutæ, ut Ephesiorum, Corinthiorum, & Thessalonicensium &c. Sed licet Cathedræ plurimæ sint, una tamen est Ecclesia Catholica, uti Apostolico Symbolo profitemur; quæ cum toto Orbe diffusa sit, divino tamen consilio factum est, ut Romanus Pontifex cæteros anteiret, primatumque teneret. At de Ecclesiæ unitate, & Romanæ primatu audiendus Cyprianus: *Hoc erant*, inquit, *utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur. Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, & dicit: Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit; qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? quando & Beatus Paulus Apostolus hoc idem doceat, & Sacramentum unitatis ostendat, dicens: Unum corpus, & unus Spiritus; una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides; unum Baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus &c.* Hanc eamdem unitatem in Petri Cathedra agnoscendam alibi quoque, sed potissimum in Epistola ad Cornelium tradit: *Post ista adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est; a schismaticis & profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides (Apostolo prædicante) laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Et ad Antonianum de Cornelii Papæ ordinatione: *Factus est*, inquit, *Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cum nemo*

Cypr. de unit. Eccles.

Cant. 6.

Cypr. Epist. 59.

Cypr. Epist. 55.

nemo ante factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.

JESU CHR. AN. 43.

6. Quamobrem in Catholicorum censu non esse habendos, quotquot a Romanæ Ecclesiæ fide, & communione dissentiunt, ipse Cyprianus testatur Cornelio Papæ, de iis scribens, quos optabat ejusdem communioni consociare: *Scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoscerent, & tenerent.* Et ad Antonianum de eodem argumento: *Scripsisti etiam, ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem; ut deposita omni sollicitudine jam sciret te secum, hoc est, cum Catholica Ecclesia communicare.* Immo hæreticum habendum esse, qui cum eodem Romano Pontifice non communicat, pluribus in Epistola ad Magnum aperte significat, sed præsertim cum inquit: *Ecclesia una est, quæ una & intus esse & foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit: Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, & quem præter Sacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit, Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest.* Eadem ante Cyprianum docuit Irenæus: *Quonium*, inquit, *valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, & vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Optatus vero Milevitanus de Cathedra Petri egregie sane in hanc sententiam loquutus est: *Igitur negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse locatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas est appellatus: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.*

Catholicus ab hæretico quo signo dignoscendus. *Cyp. Epist. 49. & Epist. 55.*

Cypr. Epist. 69.

Iren. lib. 3. c. 3.

Opt. lib. 2. contr. Parm.

Ergo

JESU CHR. AN. 43. Communicatio cum Rom. Eccleſia quemque probat Catholicum.

Ergo Cathedra unica , quæ eſt prima de dotibus . Sedit prior Petrus , cui ſucceſſit Linus &c. Deinde recenſita Romanorum Pontificum ſucceſſione , ideo ſchiſmaticos eſſe extra Eccleſiam Catholicam evincit , quod nullus ipſorum Epiſcopus eidem Romanæ Cathedræ communicet ; & hiſce tandem verbis in ipſos invehitur : *Unde eſt ergo , quod claves Regni vobis uſurpare contenditis , qui contra Cathedram Petri veſtris præſumptionibus , & audaciis ſacrilegio militatis ?* Et infra : *Igitur de dotibus ſupradictis Cathedra eſt (ut ſupra diximus) prima , quam probavimus per Petrum noſtram eſſe .* Ac paulo poſt : *Et per Cathedram Petri , quæ noſtra eſt , & cæteras dotes apud nos eſſe .* Plura in eamdem ſententiam occurrunt apud Hieronymum : *Ego nullum* (ita Damaſum Romanum Pontificem alloquitur) *primum niſi Chriſtum ſequens , Beatitudini tuæ , ideſt , Cathedræ Petri communione conſocior : ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio . Quicumque extra hanc domum Agnum comederit , profanus . Si quis in Arca Noe non fuerit , peribit regnante diluvio . Quicumque tecum non colligit , ſpargit , hoc eſt , qui Chriſti non eſt , Antichriſti eſt .* Et ſequenti rurſum epiſtola ſcribit : *Ego interim clamito : Si quis Cathedræ Petri jungitur , meus eſt .* Ruffinum vero ita perſtringit : *Fidem ſuam quam vocat ? eam ne , qua Romana pollet Eccleſia ? an illam , quæ in Origenis voluminibus continetur ? Si Romanam reſponderit : Ergo Catholici ſumus , qui nihil de Origenis errore tranſtulimus .* S. Ambroſius ex Romanæ Eccleſiæ communione Catholicos ab hæreticis ſecernebat , ut in Satyri vita legitur : *Advocavit* , Satyrus , *ad ſe Epiſcopum , nec ullam veram putavit , niſi veræ fidei gratiam , percunctatuſque eſt ex eo , utrum cum Epiſcopis Catholicis , hoc eſt , cum Romana Eccleſia conveniret .* Eodem ſigno , tanquam Lydio Lapide uſum Auguſtinum , ut Catholicos ab hæreticis diſtingueret , plura ejus teſtimonia evincunt. Idque adeo verum eſt , ut Romanorum nomine Catholici deſignarentur , tum ab Hæreticis ipſis , tum etiam a Catholicis Scriptoribus ; Et profecto Theodoſius Auguſtus junior in Epiſtola ad Acacium , alioſque Epiſcopos , & Anachoretas , in Concilio Epheſino lecta , eos adhortatur , ut ſeſe *probatos Romanæ Religionis Sacerdotes exhibeant* . Victor vero Vitenſis hæc dicta refert ad Theodoricum Regem Arianum ab Ariano homine : *Poteris* , inquit , *eum diverſis afflictionibus interficere : nam ſi gladio peremeris , incipient Romani (ideſt Catholici) martyrem prædicare* , Et Gregorius Tu-

Hier. Epiſt. 15. & 16.

Hieron. Apol. adverſ. Ruff.

Aug. Epiſt. 53.

Jesu Chr. an. 43.

Turonenſis ex perſona Arianorum: *Quid putatis, (dicebat unus ex illis) quod nunc Romani iſti dicant*; atque alibi de Ariano Principe: *Cogitavit intra ſe dicens, quia ingenium eſt Romanorum (Romanos enim vocitant homines noſtræ Religionis) ſi ut ita accidat, & non ſit virtus Dei*. Alia quidem in eamdem rem afferri poſſent exempla; ſed in his diutius non eſt immorandum.

Evodius, an Ignatius Petri in Antiochena Eccleſia ſucceſſor fuerit.

7. Quem vero ſibi Petrus in Antiochena Cathedra ſucceſſorem conſtituerit, antequam Romam proficiſceretur, nunc inquirimus. Euſebius, quem poſt Hieronymum ſequuntur quotquot Antiochenorum Præſulum catalogum ediderunt Græci, & Latini, Evodium Petro in Antiochena Eccleſia ſucceſſiſſe tradit. Sic enim in Chronico ad hunc annum: *Primus* Antiochiæ Epiſcopus ordinatur *Evodius*; & in Hiſtoria: *Apud Antiochiam defuncto Evodio, qui primus ejus loci conſtitutus fuerat Epiſcopus, ſecundus tum maxime florebat Ignatius*; & cap. 36. ejuſdem Libri tertii: *Ignatius multorum ſermonibus noſtra ætate celebris, ſecundus poſt Petrum Antiochenſem Eccleſiam ſortitus eſt*. Eadem leguntur in pſeudo-epiſtola Ignatii ad Antiochenos. Verum cum Joannes Chriſoſtomus, ac Theodoretus, a Petro Apoſtolo Ignatium Antiochiæ Epiſcopum ordinatum fuiſſe referant, vel a Paulo, ut habet Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum; idemque Athanaſius, Joannes Antiochenus Epiſcopus, ejuſque Synodus circa annum 440. habita *Secundum* (Ignatium ſcilicet) *poſt Petrum Apoſtolum primum Antiochenæ Sedis ordinaviſſe Eccleſiam*; hinc apud aliquos ea invaluit opinio, ut exiſtimarent eodem tempore Evodium, Ignatiumque Antiochenæ Eccleſiæ præfuiſſe. Quod hac potiſſimum ratione confirmare nititur Baronius, quod ſcilicet ob exortas quæſtiones inter Fideles ex circumciſione, & ex Gentibus, neceſſe tunc fuerit adeſſe Epiſcopum pro Judæis ad fidem venientibus, Evodium nempe, & alterum pro Gentilibus, ideſt Ignatium: Euſebius tamen ita expreſſe tradit, Ignatium Evodio ſucceſſiſſe, ut ab ipſo minime recedendum putemus. Quod vero ex circumciſionis controverſia petitur argumentum, ſi ratio temporum habeatur, nullius eſſe momenti facile apparebit. Patet enim aliquanto poſt, nimirum circa annum 48. illam exortam fuiſſe; atque in Concilio Hieroſolymitano ita illico ſedatam, ut ne quidem cogitandum fuerit de eo remedio, quo major potius in dies fieri potuiſſet: Quod enim

Euſeb. in Chron. & hiſt. lib. 3. 22. 36. Hier. de Vir. illuſt 16. Bull. die 6. Maii.

Joan. Chryſoſt. hom. 42. tom 1. Theod. Dial. 1. Conſt Ap lib. 7. 46. Athan. de Synod Fæund l. 8. cap. 1. Orig. in Iuc. hom. 6. Bolland die 1. Febr. Bar. an. 45. 14. Baſnag. an. 43. 2. Nat. Alex. Sec. 1. Hadoix vita Ignatii.

Jesu Chr. an. 43.

in Corinthiis arguebat Apoſtolus, Antiochiæ certe contigiſſet, ut quidam nempe ſe Evodii, alii Ignatii eſſe dicerent. Præterea, quis quæſo ſibi perſuadere poterit, Epiſcoparum hoc tempore collatum fuiſſe Ignatio, quem uſque ad annum Chriſti 110. vixiſſe, & quadraginta tantum, non ſexaginta ſeptem (uti ſecus oporteret) annis Antiochenæ Eccleſiæ præfuiſſe, deinceps videbimus? Cum itaque veterum nemo dixerit, Evodium, Ignatiumque eodem tempore Epiſcopos Antiochiæ fuiſſe, ſed tantum utroſque in eadem Eccleſia ordinatos; Euſebius contra, aliique Ignatium uti Evodii ſucceſſorem habeant; propterea cum eruditiſſimis viris aſſerimus Evodium primo ab Apoſtolo Petro fuiſſe ordinatum, ac eo mortuo ſucceſſiſſe Ignatium; qua ratione vix ulla remanet diſſenſio Euſebium inter, & Joannem Chryſoſtomum, Theodoretum, aliosque. Quo autem anno Evodio Ignatius ſucceſſerit, nemo tradidit præter Euſebium in Chronico anno 68. De Evodii Epiſcopatu nil ultra ſcimus; nec ſane Nicephoro credendum, Evodio Librum de B. Virginis vita adjudicanti.

Cotelier. not in Conſtit. Ap. lib. 7. c. 46. p. 386. Ruin. in Act. S. Ignat. in præf. Gultin de ſcript. Eccl. in Ignatio. Dupin Biblioth. Eccl. tom. 1. p. 42.

8. Inſtituta jam a Petro Apoſtolo Romana Eccleſia, tantum abfuit, ut reliquas antea a ſe in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia conſtitutas neglexerit, ut eas immo luculenta epiſtola confirmaverit. Incertum quo anno ſcripta fuerit ea; non dubitandum tamen, quin antequam Marcus Roma Alexandriam proficiſceretur. Ejus enim ita meminit Petrus: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Dum autem primam Petri Epiſtolam Romæ, quam Babylonis nomine deſignat, ſcriptam dicimus, graviſſima id Ss. Patrum auctoritate, & Catholicorum ferme omnium conſenſione affirmamus. Non pauci tamen ex Hæreticis, atque ii quidem eruditionis laude præſtantes, de hoc magnopere dubitandum, vel etiam negandum omnino exiſtimant; ea potiſſimum ratione ducti, quod Petrum nunquam, aut ſaltem uno tantum, vel altero ante martyrium anno, Romam adveniſſe contendant. Quo primum tempore ſe Petrus Romam contulerit, jam vidimus; Verum ut rem ab omni prorſus Heterodoxorum cavillatione vindicemus, S. Apoſtolum Babylonis nomine Romam deſignaſſe demonſtrabimus. Id porro Euſebius non tam ſua, quam præſtantium ante ſe Scriptorum ſententia teſtatur, Papiæ ſcilicet Apoſtolorum diſcipuli, & Clementis Alexandrini: *Petrum Marci mentionem facere in priore Epiſtola, quam Ro-*

De prima Petri epiſtola, unde ſcripta.

Petri epiſt. 1. cap. ult.

Petrus Babylonis nomine Romam deſignat.

Euſeb. lib. 2. 15.

JESU CHR. AN. 43.

Romæ ſcripſiſſe dicitur, quam quidem epiſtolam ibi perſcriptam oſtendit, dum Urbem illam metaphorice Babylonem appellat hoc modo: Salutat vos Eccleſia, quæ eſt Babylone, & Marcus filius meus; Hieronymus etiam in Marco: *Meminit hujus Marci & Petrus in epiſtola prima ſua nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans*. Traduntque uno prorſus ore quotquot ex Patribus, vel Scriptoribus Petri epiſtolam ſunt interpretati. Eodem autem nomine divinitus appellatam Joannis Apocalypſis apertiſſime docet; quare non modo Tertullianus: *Sic & Babylon apud Joannem noſtrum Romanæ Urbis figuram portat, proinde & magnæ & Regno ſuperbæ, & Sanctorum debellatricis*; ſed & Auguſtinus: *Ne multis morer, condita eſt Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis*. Conjecit Baronius, ideo Petrum figurate loquutum, ne omnibus pateret locus, quo ab Urbe Hieroſolyma confugerat. Sed ab hiſce divinationibus abſtinentes, rei potiſſimum veritatem, & Apocalypſis exemplo, & veterum teſtimonio probaſſe contenti ſumus. Refragatur equidem Samuel Baſnagius, qui argumenta, & congruam rationem potius, quam majorum auctoritatem in quæſtionibus philologicis audiri debere contendit, atque nullam omnino, ait, afferri poſſe, cur figurate Babylon accipienda ſit apud Petrum. Verum quis, quæſo, non ex præjudicatis opinionibus, ſed ſuis momentis re mature perpenſa, maximam ſententiæ noſtræ rationem in veterum conſenſione ineſſe; hanc vero, non Baſnagium perperam negantem, ſequi oportere non judicabit? Quæ enim impudentia eſt, quod nemo veterum dixit, temere affirmare; id vero, quod veteres Eccleſiaſtici Scriptores diſertiſſime prodiderunt, pertinaciter negare? Præterea ſi auctore Tertulliano, & vel ipſo fatente Baſnagio, *Babylon apud Joannem Romanæ Urbis figuram portat*; ſi Leo Neronis apud Paulum, cur incongruum arbitrabimur, Petrum metaphorica voce Romam deſignaſſe? Denique cum Heterodoxorum aliqui de Memphitica, alii de Aſſyriaca Babylone explicandam eſſe Petri ſalutationem exiſtiment, & vix, ac ne vix quidem credibile ſit, Petrum in illarum neutra fuiſſe; hinc quoque firmiſſimum interpretationi noſtræ præſidium exurgit. Quis namque veterum unquam prodidit, Apoſtolorum Principem eo perrexiſſe? vel in alterutra de verbo Dei concionem habuiſſe, aut Eccleſiam fundaſſe? Inſuper quo tempore Petri Epiſtolam acceperunt Judæi, Babylon Ægyptia obſcurus locus erat, & Caſtel-

Hier. de Vir. ill. cap. 1.

Apocalyp. 17.

Tertull. adverſ. Judæos cap. 9. & contra Marc. l. 3 c. 13.

Aug. de Civit. Dei lib. 18. cap. 22.

Bar. an. 45. 17.

Baſnag. an. 46. 28.

Valeſius adnot. ad cap. XV. lib. 2. Hiſt. Euſeb.

JESU CHR. AN. 43.

ſtellum, in quod altera e tribus Romanorum Legionibus Ægypto tuendæ mancipatis ſe receperat, ut auctor eſt Strabo. Quis vero in animum unquam inducat, Apoſtolum in Caſtellum inſolentia militum plenum ſeſe contuliſſe? illinc autem Judæis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bythiniæ, & Aſiæ, qui illud vel vix noverant, vel penitus ignorabant, ſcripſiſſe? neque illud epitheto, aut phraſi clariore perſpicue deſignaſſe, ne forte Babylonem audientes, magnam Chaldæorum Babylonem, uti facillimum erat, intelligerent, Urbem tum regionibus ſuis propinquiorem, tum in ſuis frequentiorem hiſtoriis, & ipſorum calamitatibus celeberrimam? Neque tamen de Chaldæorum Babylone loquutum eſſe Petrum ſuaderi facilius poteſt. Primo namque continuatam Epiſcoporum ejus ſeriem non habemus; præterea vero tunc temporis adeo florentiſſima olim Urbs exciderat, ut lapidum potius congeries videretur: Judæi vero, qui a cæde Seleucienſi, & Babylonica evaſerant, Cteſiphontem primum, & inde Neardam, Niſibimque convenerant.

Calmet Diſſert. de Itin. Rom. Divi Petri.

Joſephus antiq. lib. 18. cap. 9.

9. Inſultant etiam Novatores, atque ea, quæ de Urbe Roma ſub Babylonis nomine a Ss. Petro, & Joanne dicuntur, per ſummam injuriam in Romanam detorquent Eccleſiam: *Si enim*, inquit Velenus, *apud Petrum, nomine Babylonis intelligunt Romam, ut etiam apud Joannem; Igitur recte faciunt omnes, qui recedunt a Romana Eccleſia; nam Apocalypſi 18. legimus, cecidit, cecidit Babylon Magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum; & rurſus: exite de illa populo meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus.* Veleni veſtigia premit Jurius Carentonenſis miniſter, aliique; ſed hos impudentiſſime calumniari adeo patet, ut & Heterodoxorum aliqui doctrina celeberrimi de ſuorum impudentia erubuerint, ipſoſque refellendos ſuſceperint. Quis enim non ſtatim ex ipſis Petri verbis intelligit, ab Eccleſia, quæ Romæ eſt, Urbem Romanam eſſe ſejungendam? *Salutat vos*, ait, non Bebylon, *ſed Eccleſia in Babylone collecta.* Itaque Roma ſub Cajo, Claudio, Nerone, Domitiano, ceteriſque hujus generis Imperatoribus, potens quidem, ſed impia adeo fuit, ut florentiſſimæ Babyloni æquari merito poterit. At Eccleſia Romana fidei, ac Sanctitatis laude perpetuo præſtitit, eoque magis effloruit, quo ſevioribus perſecutionum procellis vexabatur. Quamobrem vere profecto Hieronymus ita Romam compellabat: *Sed ut ad te loquar, quæ ſcriptum in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti, Urbs potens,*

Urbs Roma ab Eccleſia Romana diſtinguenda.

Hier. adverſus Jovin. lib. 2.

tent, Urbs Orbis Domina, Urbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum: Roma aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis juxta Hebræos: ſerva quod diceris. Virtus te excelſam facit, nam voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Salvator in Apocalypſi comminatus eſt, potes effugere per pœnitentiam. Habes exempla Ninivitarum. Cave Joviniani nomen, quod de Idolo derivatum eſt. Non equidem ignoro, ipſummet Hieronymum eidem Urbi indignatum, Babylonem appellaſſe: *Cum in Babylone verſarer*, ait, *& purpuratæ meretricis eſſem colonus, & jure Quiritum viverem &c.* Sed quid poſtmodum alibi ille idem, cum agit de Romanæ Eccleſiæ Fidelibus? *Romanæ*, inquit, *plebis laudatur fides, teſtimonio videlicet Apoſtolico. Ubi alibi tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & Martyrum ſepulchra concurritur? Ubi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrus Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, niſi hanc, quam omnes Chriſti Eccleſiæ; ſed quod devotio in eis major ſit, & ſimplicitas ad credendum.* Ad Marcellam vero ſcribens, ut Bethlehem proficiſcatur, poſt explicatum illud de civitate Romana Joannis in Apocalypſi teſtimonium: *Cecidit enim, cecidit Babylon magna.* De Eccleſia ibi poſita iſta tradit: *Eſt quidem*, inquit, *ibi Sancta Eccleſia, ſunt trophæa Apoſtolorum, & Martyrum, & Chriſti vera confeſſio, eſt ab Apoſtolo prædicata fides; & Gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum.*

Jesu Chr. an. 43.

Hieron. in præf. ad lib. Didymi de Spir. San.

Idem in præf. lib. 2. in epiſt. ad Galat.

10. Porro Judæis diſperſionis epiſtolam inſcripſit Petrus, iis ſcilicet, qui poſt Stephani necem per regiones diſperſi ſunt; ſeu potius omnibus Judæis, jam olim per eas regiones Aſiæ, Bythiniæ, Cappadociæ, alibique diſperſis, ut jam ſuperius diximus. Non Aſiatica modo vitia reprehendit, ſed & virtutes a Chriſtianis colendas recenſet; officia ſingulorum proſequitur, inferiorum videlicet erga ſuperiores; & viciſſim uxorum erga viros, atque iſtorum erga uxores; Presbyterorum erga Fideles, & Fidelium in Presbyteros: totaque epiſtola apoſtolica ſapientia plena eſt, & profecto digna, quæ Chriſtianorum mentibus perpetuo obverſetur, ac præ manibus habeatur.

Quibus inſcripſerit ſuam Epiſtolam S. Petrus?

11. In fine autem Fideles admonet, ut ſe ſalutent invicem in oſculo Sancto. Cum enim in pacis, mutuæque benevolentiæ ſignum, ex veteri admodum more, non Judæi modo, ſed Ethnici quoque ſeſe invicem oſcularentur; ut oſculo ſan-

Salutatio in Oſculo Sancto.

JESU CHR. AN. 43.

sancto mutuam charitatem Christiani quoque foverent, ac declararent, & Petrus, & Apostoli reliqui commendarunt. Hinc factum, ut & in Sacra Synaxi Fideles pacis osculo, solemnique formula *Pax tecum, & cum spiritu tuo* se invicem salutarent: Quod adhibita tamen Salvatoris imagine hodie quoque in Ecclesia usurpari vulgatius est, quam ut oporteat commemorare. *Justin. Apol. 2.* *Post precationem*, inquit Justinus, *nos salutamus osculo mutuo*; & Tertullianus eos reprehendit, qui jejunii causa a communione, & osculo se abstinebant, dicens: *alia jam consuetudo invaluit, jejunantes habita oratione cum Fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis.* Deinde: *Quænam oratio cum divortio sancti osculi integra? quale sacrificium, a quo sine pace receditur*; & Origenes ex hoc sermone, ideſt, ex Petri Apostoli verbis: *Mos Ecclesiæ traditum est, ut post Orationes osculo se invicem suscipiant Fratres.* Luculentius tamen Augustinus: *Post Orationem Dominicam, quam accepistis, & reddidistis, dicitur pax vobis, & osculantur se invicem Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis.* Plura addi possent, tum ex Patribus, tum ex veteribus sacræ Lyturgiæ Monumentis, atque Scriptoribus; at in re notissima alia reddere superfluum esset, quæ quisque apud Ss. Patres, atque Ecclesiasticos Scriptores videre potest. Osculis præterea usos fideles fuisse, cum ad martyrium properarent, testantur potissimum Acta Ss. Sosthenis, & Victoris, qui salutantes se invicem in osculo sancto, in oratione positi, spiritum emiserunt: Oscula quoque dabant, repetebantque, cum sibi occurrerent, seque invicem visitarent; quare Tertullianus, ut Uxorem a secundis nuptiis, vel saltem a ducendo infideli (post mortem suam) deterreret, inter alia incommoda memorabat, non passurum infidelem ad osculum pacis ipsam convenire. In pacis præterea, & communionis argumentum oscula adhibebantur; *cum enim*, ait Eusebius, *Beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos, de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt.*

Tertull. de Orat. circ. fin.

Augustin serm. 83. de diversis, & lib. 1. contra Petilian.

Clem. Alex. Pedag. lib. 3. Strom. lib. 3. Chrysost. hom. 30. in secund. ad Corinth. Iren. ep. 25. ad Decent. apud Cautan. Ord. Rom. Isidor. Alcuin. Amalar. l. 3. 30. 34. Raban. Maur. de instit. Clericl. lib. 1. 33. Martyr. Rom. die 10 Septemb. Tertull. lib. ad Uxorem. Euseb. lib. 5. 14.

Quando Fideles ab osculo se abstinerent.

12. Ab osculo autem se abstinebant Fideles feria sexta in Parasceve. *Sic & die Paschæ*, inquit Tertullianus, *quo communis, & quasi publica Jejunii religio est, merito deponimus osculum; nihil curantes de osculando, quod cum omnibus facimus.* Id vero ad mærorem publice, palamque testandum; Passionis

Tertull. de Orat. cap. 14.

sionis enim Christi memoria eo potissimum die in Ecclesia recolitur, neque sacra Mysteria iis quoque temporibus peragebantur, sed ex præsanctificatis Sacerdos tantum communicabat. Ne vero sancta hæc oscula cogitatione, aliterque vel paululum inquinarentur, summa cautione dabantur, sumebanturque. Hinc Athenagoras, *summa cautione*, inquit, *communicandum est osculum, ut non aliter, quam pia salutatio, vel potius adoratio quædam habeatur, quæ si vel parum impura cogitatione inquinata fuerit, a vita æterna nos alienat*: Immo fideles *ore modesto, & clauso* oscula junxisse admonet Clemens Alexandrinus. Sed & ad libidinem quosdam interdum abusos fuisse idem testatur: *oscula impudicitiæ sæpe virus immittunt, osculum incestum veneno plenum sanctitatem sinaulans*; & infra: *hoc utique turpem movet suspicionem, & maledicentiam, quod impudenter osculo uterentur, quod esse oportebat mystico*; Sed hæc de antiquitate, & usu osculi penes Christianos jam satis, occasione primæ Epistolæ S. Petri, quam uti canonicam a Catholica Ecclesia semper habitam, & græce, non hebraice, uti Baronius censuit, a Petro scriptam fuisse, compertum est.

JESU CHR. AN. 43. *Ord. Rom. Amalar., aliique.*

Athenag. legat. pro Christ. pag. 330. Edit. Venet.

Clem. Alexand. Strom. lib 3.

Bar. an 45. 28.

13. Claudius hoc anno, cum justi triumphi quæreret occasionem, Britanniam, ob non redditos transfugas, tumultuantem invasit. Britannorum triumpho inhiaverant & Caligula, & Augustus, in Gallias usque profecti, sed bellum insulæ non intulerant; quamobrem Horatii ode scripta videtur Augusto proficiscenti, perinde ac si viciisset, eo ipso quod bellum minitaretur.

De bello Britanniæ, & Claudii triumpho.

Horat. lib. 3. ode 5.

> . . . . . *Præsens divus habebitur*
> *Augustus, adjectis Britannis*
> *Imperio, gravibusque Persis.*

Itaque Claudius post Julium Cæsarem primus Britannos adortus est duce Plautio Senatore viro clarissimo; qui cum Britannos ad Tamigim usque fugassset, eo Claudium arcessit, ut triumphi particeps esse posset. Deinde relicto Plautio regendis, subjugandisque ceteris, Romam Claudius reversus est; Senatus Britannici cognomentum, triumphum, ludos annuos decrevit. Messalinæ vero uxori indulsit, ut diebus festis, ludisque Circensibus eodem, quo Vestales Carpento, uteretur. Præterea cum feriarum, festorumque multitudine gravaretur populus, Claudius

Dio lib. 60. Suet. in Claud. cap. 17.

JESU CHR. AN. 43. dius eodem anno eorum plurima una cum sacrificiis abrogavit. Lycios etiam ad cædem usque quorumdam Romanorum tumultuando progressos, in servitutem redegit, & Præfecturæ Pamphiliæ subjecit: qua occasione cum quemdam Romanum civem latine interrogassent, nec ipse quid diceret percepisset ob latinæ linguæ ignorantiam, civitatis jure privavit, dicens, Romanum esse non debere, qui sermonem ignoraret; multosque alios civitate indignos ea prærogativa spoliavit. Tunc enim adeo a vetere dignitate jus Romanæ civitatis exciderat, ut vulgo jactaretur, id consequi posse vilissimo vitri fracti pretio.

Messalinæ turpitudines. *Dio, & Suet. ut supra.*

14. Si quæ tamen laude digna ab Imperatore peragebantur, Messalinæ uxoris infamia, & turpissima libidine fœdebantur, uti pluribus narrant Dio, & Svetonius, a quibus exscribendis abstinemus, ne Ecclesiæ Annales tanta impudicitiæ fœditate polluamus,

JESU CHRISTI AN. 44. PETRI APOST. AN. 13.
ROM. PONT. AN. 2. CLAUDII IMP. AN. 4.
COSS. L. QUINTO CRISPINO II., ET M. STATILIO TAURO.
AN. URBIS 797. OLYMP. 205. AN. 4.

Fames grassatur per Orbem. *S. Luc. Act. 11. v. 7. 27.*

1. Divino afflatus numine Agabus prædixerat, fore ut magna Orbis universus annonæ caritate laboraret: *In his diebus*, ait Lucas, *supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam, & surgens unus ex eis, nomine Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futurum in universo Orbe Terrarum, quæ facta est sub Claudio*. Expletum fuisse vaticinium hoc potissimum quarto Claudii anno, præter Lucam testes sunt Eusebius, Orosius, aliique plures: *Prophetia Agabi, quæ in Actibus Apostolorum famem in toto Orbe futuram dixerat, sub Claudio expletur*, ait Eusebius. Neque hoc tantum anno, sed deinceps quoque fame laboratum est. Tradit namque Josephus, Helenam Adiabenorum Reginam Hierosolymorum Urbi, ita alimentorum inopia biennio post pressæ, ut incolarum multi perirent, magna copia tritici, & caricarum Alexandria, & Cypro advecta celeriter succurrisse.

Euseb. Chron. p. 660 tom. 8. Oper. S. Hieron. Oros. lib. 7. Pag. nat. 7. an. 44. Joseph. antiq. lib. 20. cap. 1.

De collecta Antiochiæ facta pro Christianis in Judæa habitantibus. *Act. cap. 11.*

2. Hac itaque urgente fame, *discipuli* (qui Antiochiæ erant) *prout quisque habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa Fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli*. Cum enim

enim, qui in Palæstina erant Christiani, vel bonis omnibus renunciassent, vel in persequutione, quam sub Stephano passi fuerant, loco pulsi, quidquid ipsis reliquum fuerat, amisissent, majori præ reliquis inopia laborabant, iisque sublevandis & Paulus postea eleemosynas in Macedonia colligit. Ille porro a primis usque temporibus in Ecclesia semper mos obtinuit, ut pauperibus, quacumque possent ope, fideles prospicerent. Quamobrem teste Justino in sua ad Cæsaræs Apologia: *Qui abundant, & volunt suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, & quod colligitur apud eum, qui præest, deponitur, ac ipse subvenit pupillis, viduis, & iis, qui vel ob morbum, vel aliam ob causam egent, tum etiam iis, qui in vinculis sunt, & advenientibus peregre hospitibus, uno verbo omnium indigentium curam suscipit.* Tertullianus vero: *modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, si modo velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt: nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris & puellis, re, ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.*

Jesu Chr. an. 44.

Justin. Apolog. 1. pag. 83. n. 67.

Tertull. Apolog. cap. 39.

3. Hujusmodi fidelium oblationibus servandis erant in Ecclesia Gozophilacia, quæ Corban a Cypriano, Corbona ab auctore Constitutionum Apostolicarum dicta fuisse compertum est: *cum dives sis, Dominicum celebrare te credis, quæ Corban omnino non respicis. In Corbona mitte quod potes:* Paulinus vero Nolanus mensam appellat: *Hoc exemplo, dilectissimi, cavere debemus, ne damnum animæ, & dispendium salutis adeamus, negligentes in Ecclesia positam a Domino mensam indigentibus, quam despicientibus oculis intuemur, aut aridis manibus prætierimus*; & paulo post: *non patiamur ergo mensam Domini, & nobis vacuam, & egentibus inutilem relinqui, & visui stare tantum, non usui.* Gravi etiam urgente causa, extraordinariæ collectæ fidelibus nonnunquam indicebantur; hinc Cyprianus etsi Corbonam pro egenis in templo semper haberet, tamen pro fidelibus a barbarorum servitute liberandis collectam præter ordinem indixit, quod & reliqui collegæ Episcopi ipsius exemplo præstiterunt. Cum vero labente tempore ardens illa erga pauperes charitas in Ecclesia tepescceret, in more deinceps fuit, ut

De Gazophilaciis in Ecclesia, & collectis fieri solitis.

Cypr. de op. & eleem. p. 141. edit. Oxon. Conff. Apost. l. 2. 36.

Paulin. ep. 34. seu Sermo de Gazophilacio.

Cyprian. ep 62.

JESU CHR. AN. 44.

ut si quando gravis adesset causa, quamobrem id fieret, ab invitis etiam laicis collectas exigendi jus esset. Quapropter Constantio Mediolanensium Episcopo mandavit Gregorius, ne Collectæ causa Philagrius misericordia dignus vexaretur: *Indicavit præterea dictus portitor, quod collecta facta inter alios civitatis Januensis habitatores ipse dare pariter compellatur: & miramur, quod qui magis misericordia dignus est, vobis præsentibus prægravetur. Quod si ita est, denuo ab eo per quemlibet exigi vestra Sanctitas non permittat. Quia eum, quem cæcitas sua gravat, inhumanum nimis est in collatione affligere, cui si esset magna necessitas, debuit ex collatione misereri.*

Collecta ab invitis exigi jussa. *Greg. epist. l. 9. ep. 126.*

4. Postquam Paulus Hierosolymam Antiochenorum subsidia detulit, Antiochiam inde una cum Barnaba, & *assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus*, reversus est: *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manuhen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos; & ipsi quidem missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam, & inde navigaverunt Cyprum.* Quid Paulo, & Barnabæ illa manuum impositione collatum fuerit, non convenit inter rerum Ecclesiasticarum tractatores: Cum plurimos ante annos Apostolatu Paulus jam fungeretur, neque ab hominibus, ipso teste, vel per hominem accepisset, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem; in ea quidem opinione versantur nonnulli, ut existiment, benedictionem tantum fuisse eam manuum impositionem Barnabæ & Saulo adhibitam. Et quamvis prima fronte non improbabilibus momentis niti hæc opinio videatur, illorum tamen sententiam amplectendam potius putamus, qui SS. Patrum auctoritate fulti, Paulum, & Barnabam illa manuum impositione ordinatos revera fuisse contendunt: *Quid est*, inquit Chrysostomus, *segregate mihi in opus? in Apostolatum: vide iterum a quibus ordinantur, a Lucio Cyrenæo, & Manahe, inemo a Spiritu. Quanto enim personæ humiliores erant, tanto purior Dei apparet gratia. Ordinatur in Apostolatum, ut jam cum potestate prædicet*; & infra: *quando ordinatio erat, tunc jejunant.* Ad id autem, quod habet Apostolus, *neque ab hominibus, neque per*

Paulus, & Barnabas manuum impositione ordinantur. *Act. 13.*

Chrysost. in act. hom. 27.

per hominem se Apostolatum habuisse, ita respondet: *Non ab hominibus, ut manifestet quod non homo illum vocavit, neque adduxit, dicit, nec per hominem, quod non ab aliquo missus est, sed a Spiritu.* Itaque ab electione, vocatione, atque missione ordinationem, auctore Chrysostomo, distinguere necesse est: namque Apostolus electus est per *Deum Patrem*, ut ipse habet, vocatus per *Jesum Christum*, missus *a Spiritu Sancto*; ordinatus vero ab hominibus, *& imposuerunt illis manus*: Chrysostomum sequuntur Œcumenicus, & Theophilactus; inter Latinos vero disertissime S. Leo in epistola ad Dioscorum: *Etiam Sacra Scriptura manifestat, quod cum Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Evangelium Gentibus mitterent prædicandum, jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus, ut intelligamus quanta & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum, & ideo pie, & salubriter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam ipse servaveris*; audiatur & Arator Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus:

Jesu. Chr. an. 44.

Act. 13.

S. Leo epist. 81.

Spiritus accensam verbo radiante lucernam
Sub modio lucere vetans, secernite Paulum
Dixit in opus, quem mox sacravit euntem
Imposita Petrus ille manu, cui sermo magistri
Omnia posse dedit . . . . . .

5. Cum porro exploratum abunde sit, Dei ipsius voluntate factum, ut hominum ministerio ordinarentur, quos ipse ad opus in Ecclesia vocaverat; falluntur sane, qui Paulum per Jesum Christum, & Deum Patrem vocatum, nulla prorsus ordinatione indiguisse arbitrantur. Uti enim Mathiam Dei voluntate, sed Apostolorum ministerio in Judæ locum assumptum certo scimus; atque per prophetiam, idest, Spiritus Sancti monitu in Episcopum electum, ab hominibus tamen ordinatum Thimotheum: Ita Paulum & Barnabam a Deo per Prophetas dicente, ut sibi segregarentur, electos, verum ordinatos postea fuisse a Discipulis, qui imponentes eis manus dimiserunt illos, certissimo Lucæ testimonio intelligimus. De his ordinationibus per prophetiam factis, apposite Chrysostomus: *Tunc quidem nihil fiebat humanum. Sacerdotes enim ex prophetia ve-*

Ad sacros Ordines nemo, nisi a Deo vocatus, accedere debet.

1. *ad Tim.* 4.

Chrysost. hom. 3. *in epist. ad Thimoth.*

JESU CHR. AN. 44.

niebant, & ita quidem ut pridem fiebat, ita & nunc fiet etiam, quoties ab humana paſſione alieni hujuſmodi electiones celebramus; cum nihil omnino ſeculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neque ad odium facimus. Quibus Epiſcopi edocentur, humani quidquam in ſacris Clericorum ordinationibus non im-

Bar. an. 44. 75. miſcendum, nec facile ultroneos admittendos, *cum nemo ſibi honorem aſſumat, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aron. Hæc enim*, ajebat Baronius, *ſtabilis, firmaque a cunctis regula ſervanda proponitur, qua in Eccleſia Catholica inviolabili obſervatione tenetur, nimirum ut cujuſvis meriti, atque præſtantiæ vir fuerit, non ſua ſponte prædicationis munus ſuſcipiat. Sed donec ab Eccleſia mittatur, ab eaque ſacris functionibus initietur, ſicque initiatus prædicationi Evangelii muncipetur, expectat*: Meditentur hæc ſerio, qui in ſacrum miniſterium ſe ipſos inferunt, atque intrudunt; caveantque, ne dignitatum, ac Sacerdotiorum ſpe potius, quam religione impellantur.

Ordinationes Clericorum a Deo inſtitutæ, & inter ſacramenta recenſentur.

6. Jam vero ejuſmodi manuum impoſitionem cum oratione, & inſtrumentorum, (uti apud Latinos in uſu eſt) traditione, qua quis in ordinem Eccleſiaſticum cooptatur, ordinationem dicimus; & quidem Chriſtus Dominus Apoſtolos, atque Diſcipulos elegit, quos ſacris miniſteriis mancipavit; ab Apoſtolis vero, & Eccleſia univerſa id ſemper & ubique ſervatum fuit, ut nemo niſi ab Epiſcopo ordinatus Eccleſiaſticum ſibi ſumeret miniſterium; atque hinc jure equidem factum eſt, ut Clerus a populo ſecerneretur: *Differentiam*, inquit Tertullianus, *inter Ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo.* Hanc autem ordinationem Sacramentum eſſe a Chriſto Domino inſtitutum, quo charactere animæ impreſſo, gratia tribuitur ad munus rite, & legitime obeundum, & fide conſtat, & traditione potiſſimum oſtenditur adverſus Hæreticos a Theologis, quos conſulat Lector, ſi libuerit.

Tertull. exhort. ad caſtitatem.

Sacri Ritus in ordinatione adhibiti & tempora ordinationis. *Act.* 13.

7. Quibus vero ritibus ſacra ordinatio a primis uſque temporibus peragaretur, jam patet ex Luca; qui diſerte tradit, Diſcipulos *jejunantes & orantes* Paulo, & Barnabæ manus impoſuiſſe; miniſtrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus &c., *tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos*. Conſtat enim cum oratione, qua ſacrificii oblatio potiſſimum deſignatur, manuum impoſitionem fuiſſe adhibitam: eadem docet & Paulus: *Noli negli-*

1. *Timoth.* 4.

gere

gere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum præsbyterii, ac rursum: *admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Denique: *manus cito nemini imposueris*. Cum porro divina res sit Sacerdotii administratio, quo dignius, & majori cum veneratione exerceretur, constat jam inde ab Ecclesiæ incunabulis, plures fuisse, & diversos ministrorum ordines, qui legitima manuum impositione, solemnibusque cæremoniis instituti, & Deo consecrati, Sacerdotio ex officio deservirent: atque hos quidem ita distributos, ut per minores ad majores ascenderent. Id autem a Judæis ad Christianos dimanasse docet aperte Hieronymus: *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento; quod Auron, & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Ecclesiam*: Immo & ipsam manuum impositionem Hebræorum exemplo in Ecclesiam derivatam fuisse pluribus ostenderunt Baronius, Morinus, aliique, quos rerum Christianarum studiosus adeat, si lubet. Neque omnibus passim diebus, teste Leone Magno, ab antiquissimis temporibus *Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebrabatur*: Etenim Dioscoro Alexandrinorum Episcopo jam inde ab anno 445. mandabat Romanus ille Pontifex: *a Patribus propensiore cura esse reservatam, . . . ut post diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati (ideſt die Dominico) lucescit, exordia deligantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis, & a jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio, celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quum ad diem resurrectionis, sicut etiam in Paschæ Domini declaratur, pertinere non dubium est. Cum enim dies Dominica*, eodem docente Leone, *tantis divinarum dispositionum mysteriis sit consecrata, ut quicquid est a Domino insignius constitutum in hujus diei dignitate sit gestum . . . . cœlesti quadam regula insinuatum, & traditum novimus in illa die celebranda nobis esse mysteria Sacerdotalium benedictionum, in qua collata sunt omnia dona gratiarum*. Quod tamen non eo dictum volumus, ac si nunquam ceteris indiscriminatim diebus sacros ordines collatos omnino contendamus; id enim, aliqua urgente causa, præter ordinem quandoque accidisse Basnagio, Binghamo, aliisque ultro con-

JESU CHR. AN. 44.

1. *Timoth.* 4. 2. *Tim.* 1.

Hier. ad Evangelium ep. 146.

Bar. ad an. 44. *Morin. de Sacr. Ord. Part.* 3. *exercit.* 7. *c.* 4.

S. Leo ep. 1x. *edit. Ballerin.*

Ibidem.

Basnag. an. 35. *Bingamus Orig. Eccl. lib.* 4. *cap.* 6.

JESU CHR. AN. 44. *Gelas. ep. IX. ad ep. Lucaniæ.*

concedimus. Factum deinde, ut non qualibet dominica per annum, sed certis tantum, quas solemne præcedebat jejunium, Ecclesiæ ministri consecrarentur, ex luculento Gelasii Decreto intelligimus: *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent; ideoque quarti mensis jejunio, septimi, & decimi, sed & etium quadragesimalis initii, ac mediana quadragesimæ die Sabbati jejunio circa vesperum noverint celebrandas*: Denique labente tempore, certisque, uti par est credere, suadentibus rationibus, penes Latinos obtinuit, ut sola Paschalis festivitas, & quatuor temporum Sabbata sacrorum Clericorum ordinationibus deputarentur. Soli namque sacrorum ordinum medii gradus, non supremus Episcopatus, aut minores infimi, uti mendaciter Græci olim calumniabantur, hujusmodi Romanæ Ecclesiæ lege continentur.

Lupus ad tertium S. Leonis 9. Decretum Synod. General. Fasc. 3.

8. Postquam itaque solemni manuum impositione Paulus consecratus fuit, illud quoque singulari prorsus Dei beneficio est consequutus, quod ab ipso, dum ad Corinthios secundo scriberet, distincte traditur, ut nimirum ad tertium usque Cœlum raperetur: *Si gloriari oportet*, (non expedit quidem) *veniam ad visiones, & revelationes Domini: Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium Cœlum: & scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit; quoniam raptus est in Paradisum; & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*: Utrum in corpore, vel spiritu tantum fuerit raptus, curiose magis, quam sapienter nonnulli disputant. *Quis enim nostrum*, inquit apposite Augustinus, *certus de hoc esse audeat, Apostolo ipso dubitante?* Gentium conversionem, ipsiusque ad illas Apostolatum Paulo tunc inter alia ostensum putavit Baronius; verum ne conjiciendo perperam laboremus, arcana, & ineffabilia se audivisse jam Apostolus præmonuit. Impia, & horrenda de arcana hac revelatione a Cajanis dicta fuisse narrat Epiphanius; & paria, ac gemina continebat Liber apochryphus, cui titulus =*Pauli apocalypsis*=, cujus meminit Augustinus Homilia in Joannem 98. Denique Monachos quosdam in vulgus aliqua sparsisse figmenta, testem habemus Sozomenum: *eam vero*, inquit, *quæ nunc quasi Pauli Apostoli revelatio circumfertur, plurimi ex Monachis valde commendant*. . . Ajunt enim, *apud*

S. Paulus ad Cœlum raptus.

Epist. ad Corinth. 2. 12. 1.

Augustin. de Genes. lib. 12. c. 3.

apud Tarſum Ciliciæ in ædibus Pauli arcum marmoream, Deo revelante, ſub terra inventam fuiſſe, in qua hic liber eſſet reconditus. Quam Monachorum traditionem falſi accuſavit Tarſenſis Eccleſiæ presbyter, ſuſpicans, librum ab Hæreticis confictum fuiſſe. Ceterum vel ipſis Ethnicis de Pauli raptu ſubluiſſe, ex Luciano Chriſtianis illudente cognoſcimus: *Ego haud ita pridem pariter affectus fui, ac tu: Quando autem me Galilæus ille convenit Recalvaſter, naſo aquilino, qui in tertium uſque Cælum per aerem ingreſſus eſt, quæque optima, & pulcherrima ſunt, inde didicit, per aquam nos renovavit.*

JESU CHR. ANN. 44.

Lucian. Philopatr.

Agrippæ Regis obitus.

9. Tertius jam effluxerat annus, ex quo totius Judææ Regno potiebatur Agrippa, cum Cæſaream urbem ingreſſus, inter ludos, ac ſpectacula, quæ in honorem Cæſaris regio vere apparatu ibi edenda curaverat, repente continuis per quinque dies ventris doloribus confectus, vitam finivit, annum agens ætatis quartum & quinquageſimum, regni vero ſeptimum. Lucas equidem Jacobi Martyrio, & Petri captivitati, Agrippæ interitum ita conjungit, ut eodem ferme tempore contigiſſe alicui forte videri poſſit: Verum biennio poſt impium hunc Regem Cæſareæ obiiſſe ſibi quiſque facile perſuadebit, ſi ad ea animum adverterit, quæ de ipſius geſtis, poſtquam Hieroſolyma diſceſſerat, Joſephus diſtincte retulit. Qui Regem paullo ante, uti Deum, publice ſalutaverant Cæſareenſes, & Sebaſteni, ubi mortuum intellexerunt, beneficiorum, majeſtatiſque ejus obliti, *convicia dicta turpia in defunctum jactabant: Milites vero filiarum Regis ſtatuas domo abreptas unanimiter in Lupanaria deportarunt, turpiora quam quæ dici poſſunt patrantes. Quin locis publicis diſcumbentes, magna frequentia convivia agebant coronis redimiti, & unguentis delibuti; libantes interim Charonti, & ſibi invicem propinantes præ gaudio, quod Rex animam egiſſet.* De Agrippæ Regis obitu, qui & Herodes a Luca dicitur, hæc ſummatim habentur Actorum cap. 12. *Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos, populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo: & conſumptus a vermibus expiravit*; de quibus plura apud Joſephum videri poſſunt.

Joſeph. antiq. lib. 19. cap. 8.

Act. 12.

Lib. 19. c. 8. 9.

Joſeph. loc. cit.

10. At Romæ Claudius & Agrippæ obitum valde doluit, & Cæſareenſium, ac Sebaſtenorum contumelias indignatus, de Agrippæ filio, qui in Urbe apud ipſum educabatur, in patris ſucceſſo-

Cuſpius Fadus Syriæ Præſes.

Joſeph. ut ſupra.

JESU CHR. AN. 45.

cessorem deligendo cogitabat. *Sed Liberti, & amici, qui plurimum apud eum poterant, dissuaserunt, periculosum esse dicentes adolescentulo admodum, & qui nondum ex ephebis excessorat, tantæ magnitudinis regnum committere; eos igitur Cæsar verisimilia loqui existimavit; ideoque Cuspium Fadum misit, qui Judææ, totiusque Regni Præses esset, defuncto hoc honoris tribuens, ne Mursum, cum quo Agrippæ erant inimicitiæ, in Regnum ejus induceret*, ut pluribus narrat Josephus.

Herodes Agrippa jus in Templum, & Sacerdotes eligendi obtinet. *Joseph. lib. 20. 1.*

II. Jam vero Agrippa defuncto, frater ejus Herodes Rex Chalcidis *petiit a Claudio Cæsare templi potestatem, sacræque pecuniæ, ut & jus creandi summos Pontifices; atque hæc omnia a Cæsare impetravit: adeo etiam ut ab illo omnibus ejus posteris ea potestas usque ad belli exitum manserit. Igitur & Herodes a sacerdotio submovit Cantharam ita appellatum, fecitque, ut Josephus Cami filius ejus in locum, & honorem succederet.*

JESU CHRISTI AN. 45. PETRI APOST. AN. 14.
ROM. PONT. AN. 3. CLAUDII IMP. AN. 5.
COSS. M. VINICIO II. ET TAURO STATILIO CORVINO
AN. URBIS 798. OLYMP. 206. AN. 1.

Marcus Romæ Evangelium scribit.

I. Si Chronico Eusebii fidem in omnibus habere oporteret, dicendum quidem esset a S. Marco Petri discipulo, & interprete, aliquanto ante hunc, quem attingimus, annum Romæ Evangelium fuisse conscriptum; namque 3. Claudii anno, qui cum 43. Christianæ æræ concurrit, hæc habet: *Marcus Evangelista interpres Petri Ægypto, Alexandriæ Christum annunciat*. Constat enim Marcum, antequam Alexandriam proficisceretur, Evangelio scribendo vacasse. Cum alibi tamen Eusebius aperte prodiderit, Marci Evangelium scriptum fuisse, dum Petrus in Urbe adesset, quod tertio tantum Claudii anno advenisse ipsemet tradit; putamus sane inter Chronici illius additamenta esse rejicienda, quæ de Marco inde retulimus. Causam, cur Marcus sese ad Evangelium scribendum contulerit, hanc ex Papia Hierapolitano Episcopo, & Joannis Apostoli discipulo, ac Clemente Alexandrino, Eusebius idem memoriæ prodidit: *Tantus autem veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum* (Romanorum scilicet) *qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent cœlestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis accepisse: Sed Marcum Petri sectatorem, cujus*

Chron. Euseb. pag. 660. edit. Veron. Her. ep. tom. 8.

Euseb. lib. 2. 15.

JESU CHR. AN. 45.

cajus hodieque extat Evangelium, enixe orarent, ut doctrinæ illius, quam auditu acceperant, ſcriptum aliquod monumentum apud ſe relinqueret. Nec prius deſiterunt, quam hominem expugnaſſent, auctoreſque ſcribendi illius, quod ſecundum Marcum dicitur, Evangelii extitiſſent. Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognoviſſet, delectatus ardenti hominum ſtudio, librum illum auctoritate ſua comprobaſſe dicitur, ut deinceps in Eccleſiis legeretur. Refertur id a Clemente in ſexto Inſtitutionum libro. Cui teſtis etiam accedit Papias Hieropolitanus Epiſcopus. Hactenus Euſebius ex Clemente, cujus alibi verba ex Hypotypoſeon libro ita refert: *Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice prædicaſſet, & Spiritu Sancto afflatus Evangelium promulgaſſet, multi qui aderant Marcum cohortati ſunt, utpote qui Petrum jamdudum ſectatus fuiſſet, & dicta ejus memoria teneret, ut quæ ab Apoſtolo prædicata erant conſcriberet. Marcus igitur Evangelium compoſuit, iiſque, qui illud ab ipſo rogabant, impertiit. Quod cum Petrus comperiſſet, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit.* Cave autem, putes poſtrema hæc Euſebii verba cum iis pugnare, quæ paullo ante de ipſius Clementis ſententia retuliſſe commemoravimus, quemadmodum Chriſtophorſonus exiſtimavit. Si enim, uti jam diu a viris clariſſimis animadverſum, Petrus cum Evangelium a Marco ſcriptum, editumque eſſe cognovit, palam nec vetuit, nec laudavit; rem igitur tacito conſenſu comprobavit. Et Rufinus quidem eumdem ſenſum ſequutus eſt, cum ita vertit *Cumque factum Petrus poſtmodum cognoviſſet, licet fieri ipſe non juſſerit, tamen factum non prohibuit.* Rem confirmat Hieronymus: *Marcus diſcipulus & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus breve ſcripſit evangelium. Quod cum Petrus audiſſet, probavit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit: ſicut ſcribunt Clemens, & Papias Hierapolitanus Epiſcopus.* Similia legas apud Epiphanium, aliosque plures.

Euſeb. lib. 6. c. 14.

Valeſ. in Notis ad hunc locum. Nury in app. ad Bibliot. PP. diſ. 2. in Clem. Alex.

Hier. de vir. illſt. in Marcum. Synop. Athan. Epiph. hæreſ. 51. Greg. Naz. in carm. de ſu. Ev. Vide Calmet in proll. ad Marc. evang. Euſeb lib. 3. cap. ult.

2. Quam porro in evangelica hiſtoria contexenda rationem Marcus inierit, cognoſcimus ex iis, quæ ab Joanne presbytero, & Domini diſcipulo ſibi tradita refert Papias apud Euſebium: *Ajebat inquit Presbyter ille Marcum Petri interpretem, quæcumque memoriæ mandaverat, diligenter perſcripſiſſe, non tamen ordine pertexuiſſe, quæ a Domino aut dicta, aut geſta fuerant. Neque enim ipſe Dominum audiverat, aut ſectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, poſtea verſatus eſt, qui pro audientium*

Qua methodo Marcus evangelium ſcripſerit.

JESU CHR. AN. 45.

utilitate, non vero ut ſermonum Domini hiſtoriam contexeret, Evangelium prædicabat. Quo circa nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita ſcripſit, prout ipſe memoria repetebat. Id quippe unum ſtudebat, ut ne quid eorum, quæ audierat, prætermitteret, aut ne quid falſi eis affingeret. Proditum præterea ab aliquibus Petro ipſo dictante Evangelium a Marco ſcriptum fuiſſe; quod forte innuit Tertullianus iis adverſus Marcionem verbis: *Licet & Marcus quod edidit,* (Evangelium ſcilicet) *Petri adfirmetur, cujus interpres Marcus.* Chryſoſtomus quidem in ea videtur fuiſſe ſententia, ut crederet Marcum non Romae, ſed in Ægypto diſcipulis rogantibus, Evangelium edidiſſe; verum Papiæ, Clementi Alexandrino, Euſebio, aliiſque potius adſentiendum exiſtimamus.

Auctor. de ortu & obitu SS. Patrum. Tertull. contra Marc. lib. 4. cap. 5. Chryſoſt. hom 1. in caput 1. Matthei. Nurry differt. 3. de Clem ep c 4. Richard. Simon. part. 1. hiſt. crit. novi teſt.

Quo tempore Marcus evangelium ſcripſerit.

3. Uti de loco Chryſoſtomus, ita de tempore editi Evangelii a reliquis diſſentit Irenæus. Tradit enim poſt Petri, & Pauli obitum Marcum Diſcipulum, & interpretem Petri, quæ a Petro nunciata fuerant, perſcripta nobis tradidiſſe; atque in hanc ſententiam pedibus iverunt, quotquot Petrum & Marcum Romæ hiſce Claudii temporibus fuiſſe inficiantur. Verum quis quæſo, qui rem non præjudicatis opinionibus, ſed ſuis momentis recto perpenderit, uni potius Irenæo, quam reliquis ſtandum judicabit, qui Marcum vivo adhuc Petro Evangelium edidiſſe ad unum omnes memoriæ prodiderunt? Nec mirum ſane Irenæum hoc loco ceteris refragari; conſtat enim non ipſum modo, ſed Patres etiam reliquos in hiſtoricis quandoque falli. Quid porro ſi mendum in Irenæi textum irrepſiſſe dicamus, quæ plurium, nec inanis ſane, criticorum opinio fuit? Conſule, ſi lubet, Dodwellum, Nurrium, Maſſuetium, Fogginium, alioſque, qui rem fuſe & doctiſſime ſunt perſequuti.

Iren. lib. 3. c. 1. & apud Euſeb. lib. 5. 8. Cave hiſt. litt. tom. 1. p. 11. Baſnag. an. 66. 12. Peart. op poſth. pag. 57. Foggini de itin. Petri exercit. 11. pag. 242. Dodwellus differt. 5. in Iren. Maſſuet. differt. 2. in Irenæum.

Marcus Græce, non latine ſcripſit.

4. Utrum græce, an latine ſcripſerit Marcus, vehementer quoque diſputant eruditi. Nullus quidem eſſet diſputationi locus, ſi vetuſtiſſimum Evangelii Codicem, qui Seculo xv. ex Forojulienſi Eccleſia Venetias translatus in Veneto S. Marci Theſauro aſſervatur, ipſum S. Evangeliſtæ autographum librum eſſe revera conſtaret, uti a pluribus traditum: Latine enim ſcriptum membranaceum Codicem (non autem, uti quibuſdam viſum, ex papyro Ægyptiaca, vel charta bombycina) obſervavit jamdiu Montfauconius, confirmaverunt vero deinceps & Laurentius a Turre, & Jo. Franciſcus M. de Rubeis, qui pluribus non ita pridem celeberrimum hunc Codicem doctiſſime illuſtrarunt; ille qui-

Montfaucon. Diar. Ital. c. 4. Maſſejus Hiſt. Dipl. l. 2. n. x. Loc. cit.

quidem in Epiſtola ad Cl. meique amantiſſimum Joſephum Blanchinium, quæ primum prodiit Romæ in ſecundo Quadruplicis Evangeliarii volumine, atque iterum notis aucta Venetiis; alter vero in Monumentis Eccleſ. Aquilejenſis, & iterum in Diſſertationibus variæ Eruditionis, quibus argumenta quædam pridem tractata diligentius illuſtravit, ac vindicavit. Verum non modo *nullum alicujus fidei ſuppetit argumentum, unde Marci ipſius autographum eum eſſe arbitremur*, uti Fogginius animadvertit; ſed certiſſimis documentis a laudatis viris oſtenſum nihil aliud eſſe, quam antiquiſſimi Forojulienſis Evangeliarii partem, qua Marci Evangelium continebatur, ex eodem Evangeliario olim abſtractam. Græca itaque lingua Marcum ſcripſiſſe a veteribus traditum. Audiatur præ omnibus Auguſtinus: *Horum ſane quatuor* (Evangeliſtarum) *ſolus Matthæus hebraico ſcripſiſſe eloquio, cæteri Græco*: hinc non mirum, recentiorum plerosque in hac opinione fuiſſe verſatos. Baronius tamen, cui Seldenus, ut Harduinum prætereamus, acceſſit, Latino idiomate uſum illum fuiſſe exiſtimavit: Atque ipſi ſuffragantur quidem Syriacus, Arabicus, & Perſicus Evangelii Textus; liber quoque Pontificalis Damaſo tributus; & Eutychius de originibus Eccleſiæ Alexandrinæ, cujus hic verba proferimus: *Tempore Neronis Cæſaris ſcripſit Petrus Apoſtolorum Princeps Evangelium Marci cum Marco lingua Romana in urbe Roma, ſed attribuit illud Marco*. Viſum præterea Baronio magis conſentaneum, ut Marcus Romanis ſcripturus Evangelium Romana lingua, non Græca uſus fuerit, quæ Romæ apud optimos jam exoleſceret. Non ea tamen eſt Eutychii, & libri Pontificalis auctoritas, ut Auguſtino, Hieronymo, aliiſque præferri poſſit, aut debeat. Romanos vero non modo Græce ſciviſſe, ſed paſſim hac ætate loquutos eſſe, teſtis locupletiſſimus Juvenalis, quem miror equidem Baronium ad ſuam ſententiam confirmandam protuliſſe:

Num quid
Rancidius, quam quod non ſe putat ulla
Formoſam, niſi quæ de Tuſca Græcula facta eſt.
De ſalmonenſi mera Cecrops: omnia Græce:
Cum, ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.
Hoc Sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas;
Hoc cunctæ effundunt animi ſecreta . . . . .

Et Paulus quidem Græce, non Latine ad Romanos ſibi ſcribendum

JESU CHR. AN. 45.

Anno 1751. Cap. 2. Cap. 6.

De Rom. D. Petri Itin. Exercit. ad.

Aug. de conſenſ. Evang. l. 1. cap. 2. Colmet. Janſen. in evang. Iſidem. tom. 4. in Marc. Grot. annot. in Marci Lamy in præf. epp. ad Hæm. Bollandi die 25. Aprilis. Cave, Fabricius Baſnag. ut S. Par. an. 39 ad 43. ann. 45. Seldenus in origines Alex. Eutychii. Liber Pontific. in Petrum. Tom. 2. Evang.

Iuven. Satyra 6.

JESU CHR. AN. 45.

De Marci persona & Evangelio vide Dupinedisert. in Sacr. Script. tom. 3.

An Marcus Evangelista ex 70 Discipulis fuerit, an idem cum altero Marco Barnabæ consobrino.

Epiph. hæres 51. cap. 6. Bolland. die 25. Aprilis. Dupin tom. 1. biblioth. p 370. Vide Huetium, & La Rue in op. Origenis. Papias apud Euseb. lib. 3. 39. Aug. de consens. Evang. lib. 1. 1. in Faust. l. 17. Tertull. in Marc. lib. 4. Hier. cap. 8. de viris ill. Chrys. hom. 19. in act. Cave hist. litt. Eusnag an. 66. 15. Bar. an. 45. n. 46. Faggini exercit. 11. p. 236. Cotelerius not. in lib 2. cap 57. Const. Apost.

Cur Marcus interpres Petri dicatur.

Hieron. ep. 120. n. 11. ad Hedib.

dum putavit. Porro cum non Romanorum solum, sed Græcorum & Barbarorum commodo Evangelium ederet Marcus; magis sane consentaneum fuit, ut Græco, quod omnes callebant idiomate, uteretur.

5. De Marco rursum & illud quæritur, num e 70. Christi Discipulis fuerit; ac etiam num Marcus Evangelista idem sit cum Marco Barnabæ Consobrino, & Pauli Discipulo, ac socio, cujus meminerunt Apostolus in suis ad Philemonem, & Colossenses Epistolis, & Lucas in actibus Apostolorum. In Discipulorum numerum referunt Epiphanius, Procopius Diaconus apud Bollandum, & Adamantius in Dialogo contra Marcionitas Origeni perperam tributo. Secus tamen sentiunt antiquiores Patres, quibus & nos plane adsentimur. Quod vero ad alterum spectat, res est paullo implicatior. Hieronymus quidem Marcum Evangelistam eumdem ac Pauli discipulum existimavit; hæc enim in ejus Commentario Epistolæ ad Philemonem occurrunt: *Marcum ponit, quem puto Evangelii conditorem*: Hieronymo non nulli adsentiuntur. Eorum tamen probabilior videtur sententia, qui unum ab alio distinguunt. Et sane, si temporum, rerumque gestarum ratio habeatur, facile intelligimus fieri minime potuisse, ut Marcus, qui Petro in Romana peregrinatione comes aderat, & postea Alexandriam circa annum 48. profectus Evangelium in Ægypto prædicavit, Paulum cum Barnaba comitaretur, quo tempore Philemoni, Colossensibus, atque Timotheo Epistolas scripsisse fertur Apostolus. Alium itaque a Marco Barnabæ Consobrino, & Pauli Discipulo Evangelistam fuisse oportet.

6. Cum autem a Papia, Irenæo, aliisque antiquorum bene multis Marcus Petri interpres fuisse adfirmetur, non id ita intelligendum putamus, ac si Petrus quod divinorum sensuum majestatem digno non posset Hebraici, vel Græci eloqui explicare sermone, Marco, uti Paulus Tito, Interprete uteretur; quæ fuit Hieronymi opinio in Epistola ad Hedibiam: *Paulus divinorum sensuum majestatem digno non poterat explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut & B. Petrus Marcum.* Uti enim certo scimus Paulum ita Græce loquutum, ut ejus iterum audiendi desiderium relinqueret, & pro Mercurio ab ipsis Ethnicis aliquando haberetur; ita nec dubitamus quin & Petrus eo usus fuerit dicendi genere, quod ad divinorum sensuum Majestatem, & audientium captum magis esset accommoda-

modatum. Cum itaque Marcus, quæ de Chriſto Judæis a Petro hebraice explicata audiviſſet, ſingula Græco ſermone ſtudioſe digeſſerit, Petri Interpretem ideo a Patribus appellatum fuiſſe vero prorſus ſimile judicamus. Id innuere videtur Origenes: *Secundum ſuiſſe accepimus Evangelium Marci, qui, prout Petrus ipſi expoſuerat, in literas retulit.* Præterea cum ii Apoſtolorum quandoque concionibus intereſſent, qui linguæ, qua forte habebantur ignari, explanatoribus indigebant; Hinc quoque Apoſtolorum Interpretes quoſdam dictos non inficiamur: atque ita fortaſſe intellexit Clemens Alexandrinus, ubi memoravit Baſilium hæreticum ſibi adſcripſiſſe magiſtrum Glauciam, qui fuit Petri interpres. JESU CHR. AN. 45.

7. Interea Paulus, & Barnabas Antiochia dimiſſi abierunt Seleuciam, *& inde navigaverunt Cyprum, & cum veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum.* Magnam Judæorum copiam Cyprum inſulam habitaſſe, ex Dione ſcimus, unde nil mirum, verbum Dei in ipſorum Synagogis primo a Paulo, & Barnaba prædicatum fuiſſe: *Habebant autem & Joannem in miniſterio, & cum perambulaſſent univerſam inſulam uſque Paphum, invenerunt quemdum virum magum pſeudo Prophetam, Judæum, cui nomen erat Bariesù, qui erat cum Proconſule Sergio Paulo viro prudente. Hic accerſitis Barnaba, & Saulo, deſiderabat audire verbum Dei. Reſiſtebat autem illis Elymas Magus, (ſic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconſulem a fide. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit: o plene omni dolo, & omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumiens quærebat, qui ei manum daret. Tunc Proconſul cum vidiſſet factum, credidit admirans ſuper doctrina Domini.* Cum Cyprus, teſte Strabone, non Proconſularis, ſed Prætoria Provincia fuerit, multumque Prætorias inter & Proconſulares provincias diſcriminis intercederet, diſſentiunt eruditi in adferenda cauſſa, cur Lucas Sergium Proconſulem nominaverit. Putant aliqui, mendum in Lucæ textum irrepſiſſe, ibique legendum *Proprætorem*. Baronius contra exiſtimavit ideo Sergium Proconſulem appellari, quod non Cyprum modo, ſed Ciliciam quoque proconſularem provinciam adminiſtraret. Verum nulla

Pauli iter in Cyprum. *Act.* 13.

Sergius Paulus credit Evangelium, Barjeſu magus excoecatus.

Strabo lib. 14. *in fine. V. Salmaſ. in Capitoli.*

Bar. an 46. 11.

Cur Ser. Paulus dicatur Proconſul.

JESU CHR. AN. 45.

hæc veterum auctoritate nituntur. Qui ab Auguſti temporibus Prætoriis Provinciis præerant, cum eas jure imperioque proconſulari adminiſtrarent, non Prætores tantum, ſed Proconſules etiam dictos fuiſſe ex Vellejo, Tacito, & Dione graviſſimis ſane Scriptoribus intelligimus. Recte itaque, & ex temporum ſuorum moribus Lucas potuit Sergium Paulum Proconſulem nominare. Utrum porro Barjeſus pœnitentia tactus Chriſtianam fidem amplexus fuerit, diſſident inter ſe veteres. Negat reſipuiſſe Pſeudo Dionyſius; affirmat vero Origenes: *Paulus eum, qui cum Proconſule Sergio Paulo erat, dicto abcæcans per dolores & moleſtiam ad pietatem convertit.* In eadem cum Origene ſententia videtur fuiſſe Chryſoſtomus; Magi enim cœcitatem non ultionem, ſed ſanationem fuiſſe diſerte affirmavit.

Lib. 2. Annal. lib. 1. cap. 16. Lib. 54.

De Divin. Nominibus cap. 8. Origen. in Exod. 22.

Paulus Antiochiæ Piſidiæ Judæos conteſtatus, ad gentiles tranſit.

Act. 13. 14. ad finem.

8. Jam vero cum Paulus, & qui cum eo erant, e Papho Pergen Pamphiliæ veniſſent, Joannes peregrinationis ſocius Hieroſolymam inde repetiit; Paulus vero, & Barnabas Antiochiam Piſidiæ tranſierunt, & ingreſſi Synagogam die Sabbati, quo conventus Judæorum fieri conſueverat, poſt lectionem legis, & Prophetarum, deprecantibus Synagogæ principibus, *ſurgens Paulus* poſtquam luculenta graviſſimaque oratione oſtendit in Jeſu Chriſto a Judæis Crucifixo omnia prorſus completa fuiſſe, quæ Patribus promiſſa divinitus fuerant; addidit illos tantum, qui in eo crederent juſtificari; caverent itaque, ne contemnentes, & non credentes opus, quod enarraverat, diſperderentur, uti a Prophetis jamdiu fuerat prænunciatum. Hæc ita audientium animos perculerunt, ut, Paulo poſtea e Synagoga exeunte, illum rogarent, ut ſibi ſequenti Sabbato verba hæc iterum loqueretur; *& multi Judæorum, & colentium advenarum ſequuti fuerint Paulum & Barnabam, qui ſuadebant eis, ut permanerent in gratia Dei. Sequenti autem Sabbato* cum univerſa pene Civitas conveniſſet audire verbum Dei; *videntes turbas Judæi, repleti ſunt zelo*, turbaſque graviſſimas in Apoſtolos concitarunt. Quamobrem Paulus & Barnabas hæc conſtanter profeſſi ſunt: *Vobis oportebat quidem primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes, ſicut præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ. Audientes autem Gentes, gaviſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Judæi tamen, concitatis mulieribus reli-

religiosis & honestis, ac primoribus Civitatis, Paulum & Barnabam *ejecerunt e finibus suis. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.* Admonuerat enim Dominus Apostolos, ut si qui eos forte non susciperent, exeuntes in plateas dicerent: *Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de Civitate vestra, exterssimus in vos: tamen scitote, quia appropinquavit regnum Dei.* Ex Judæorum siquidem institutis si quis diris aliquem devoveret, pulverem ex se excutere, vel in aerem spargere consueverat: Constat id primum ex libro Esdræ, in quo hæc leguntur: *Insuper excussi sinum meum, & dixi: Sic excutiat Dominus omnem virum, qui non compleverit verbum istud de domo sua, & de laboribus suis, sic excutiatur, & vacuus fiat, & dixit universa multitudo: Amen.* Et in ipsis actis Apostolorum de Judæis in Paulum clamantibus, & execrantibus, hæc occurrunt: *Vociferantibus autem eis, & projicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aerem &c.* Quid autem significet pulverem de pedibus excutere, interpretibus explicandum relinquimus.

JESU CHR. AN. 45.

Luc. 10.

Esdr. 5.

Act. 22.

9. Cassium Longinum datum hoc anno fuisse a Claudio successorem Marso in Judææ Præfectura scripsit Josephus; Verum Tacitus prodidit Marsum triennio post mortem Herodis adhuc Judæam administrasse: Josephi tamen auctoritatem hic præferendam existimamus. Cum itaque ante Vitellium sollemnis Pontificis Maximi vestis in Antonia Turre adservaretur; Cassius Longinus, & Cuspius Fadus Judææ Procurator Hierosolymam cum militaribus copiis jussu Cæsaris petierunt, ut illa vestis, in eadem Turri in posterum custodienda, ipsis illico traderetur. Rem ægre tulerunt Judæi, & filiis obsidibus datis vix impetrarunt, ut retenta interea veste legatos Romam mitterent; qui Agrippæ Junioris potissimum apud Cæsarem gratia A. D. IV. Kal. Julii Claudii Rescriptum sunt consequuti, quo cavebatur, ne quidquam, Herodis Chalcidis Regis, & Agrippæ Junioris causa, in ea re novaretur.

Cassius Longinus, Judææ præficitur.

Joseph. lib. 20. cap. 1. Tacit. Annal. lib. 11. 10.

Agrippa Stolæ Pontificiæ custodiam a Claudio Judæis obtinet.

10. Solis defectum hoc anno futurum Claudius cognoverat, quamobrem ne tumultus forte ob id in Urbe fieret, illius non modo tempus, sed modum, & causas publico edicto palam prænunciavit. Porro Eclypsim hanc Kalendis Augusti contigisse putavit Calvisius. Leges præterea tulit Augustus pro recta Provinciarum administratione, cavitque, ne exacto Magistratu illico

Solis deliquium populo nunciatum.

Dio lib. 60.

JESU CHR. AN. 46.

lico Præsides ad declinanda judicia e Provinciis excederent, quæ omnia Dio pluribus persequitur.

JESU CHRISTI AN. 46. PETRI APOST. AN. 15.
ROM. PONT. AN. 4. CLAUDII IMP. 6.
COSS. C. VALERIO ASIATICO II., ET MARCO JUNIO SILANO.
AN. URBIS 799. OLYMP. 206. AN. 2.

Quid Paulus Iconii passus sit.

1. Cum Anno superiore Paulo, & Barnabæ Antiochia Pisidiæ abeundum fuisset, sese Iconium contulerunt; in qua urbe quæ gesserint, his verbis Lucas commemorat: *Factum est autem Iconii, ut simul introirent Synagogam Judæorum & loquerentur, ita ut crederet Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo. Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscituverunt & ad iracundiam concituverunt animas Gentium adversus fratres. Multo igitur tempore remorati sunt fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum. Divisa est autem multitudo civitatis: & quidam erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis. Cum autem factus esset impetus Gentilium, & Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent & lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ Lystram & Derben.* Hactenus Lucas: Verum cum diu Paulum & Barnabam ibidem versatos fuisse constet, & cives eorum causa in diversa studia divisos adeo fuisse, ut omnia ubique turbis plena essent, plurima ab eodem prætermissa fuisse facile intelligitur. Et revera multa se Iconii passum fuisse, Paulus in Epistola ad Timotheum paucis quidem, sed satis aperte significat: *Tu assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, Lystris: quales persecutiones sustinui.*

Act. c. 14.

Theclæ conversio ad fidem, ejusque acta.

2. Theclam quoque Pauli prædicationibus Iconii ad Christi fidem adductam fuisse, veteres literis prodiderunt; quorum testimonia antequam proferamus, illud est prænotandum, quemdam in Asia Presbyterum conficta Pauli & Theclæ acta in vulgus antiquissimis temporibus edidisse. Rem dicet diserte Tertullianus: *Quod si quæ Pauli perperam scripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum dicendi, fingendique defendunt: sciant in Asia presbyterum, qui eum scripturam construxit,*

Tertull. de Baptism. cap. 14.

xit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli feciſſe, loco deceſſiſſe. Congruit Hieronymus: *Igitur Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter Apocryphas Scripturas computamus. Quale eſt enim, ut individuus comes Apoſtoli inter ceteras ejus res hoc ſolum ignoraverit?* Quos ſequutus Gelaſius acta Theclæ & Pauli inter Apocrypha jure recenſuit. Jam vero cum Theclæ quædam acta hodieque circumferantur ſub nomine Baſilii, Seleuciæ ſeculo quinto Epiſcopi; Baronius, aliique exiſtimarunt hæc alia prorſus eſſe a ſpuriis, & Tertulliani, Hieronymi, Gelaſiique cenſura notatis, ideoque digna cenſuerunt, quibus fides ab omnibus haberetur. Illorum tamen nobis probabilior ſententia videtur, qui hanc quoque Theclæ hiſtoriam nullius auctoritatis, & rejiciendam omnino arbitrantur. Quamvis enim Baſilio vere ſit tribuenda, quod plures ceteroquin inficiantur graviſſima Photii auctoritate nixi, qui Baſilium Theclæ geſta ligata, non ſoluta oratione ſcripſiſſe commemorat; tot tamen, ac tanta in his actis occurrunt, quæ catholicæ fidei dogmatibus, Chriſtianæ pietatis, & Diſciplinæ regulis, atque Apoſtolicæ Hiſtoriæ adverſantur, ut mirari profecto ſubeat viris ingenii, & doctrinæ laude præſtantibus probata fuiſſe. Quod ne temere adfirmare videamur, illud hic modo commemorabimus, quod de Falconilla in actis occurrit: Eam nempe in infidelitate defunctam, cum Theclæ precibus in Chriſtum poſt mortem credidiſſet, æternam ſalutem promeruiſſe. Exploratum ſiquidem fideles nunquam pro iis oraſſe, qui in impietate, & idololatria obiiſſent. *Eadem quippe*, inquit M. Gregorius, *cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam cauſa eſt, ut non oretur pro diabolo, quæ nunc etiam cauſa eſt, ut non orent ſancti Homines pro hominibus infidelibus, impiiſque defunctis.* Præterea monuit jamdiu Tertullianus *Theclæ exemplo*, horum ſcilicet actorum auctoritate, *licentiam mulierum docendi, tingendique* ab aliquibus fuiſſe defenſam.

JESU CHR. AN. 46.

Hieron. de Scr. Eccleſ. in Luc. cap. 7.

Conc. Rom. in decret. de lib. Apocryph.

Baron. an. 49. n. 4. Pantinus Tilet. ad ep. Baſil. Seleuc.

Tillem. not. 1. in Thecl tom. 2. pag. 432. Rigal. in Tertull. in lib. de baptis. Boſnag. an. 46. Dupin. tom. 3. Bibl. eccl. ſecul. 5. pag. 496.

Greg. moral. lib. 34. cap. 16.

Tertull. ubi ſup.

3. Quare ceteris omnino dimiſſis, ſola Patrum de Thecla teſtimonia proferemus. Methodius itaque in Convivio decem virginum affirmat *Doctrinarum omnium humaniorum diſciplina nemini ceſſiſſe; de Evangelica vero, ac divina a Paulo fuiſſe inſtructam.* Nyſsenus vero: *Talem myrrham*, inquit, *olim Paulus infundebat ex ore ſuo, mixtam cum puro pudicitiæ lilio in ſanctæ Virginis aures; ea vero erat Thecla, quæ præ-*

SS. Patrum elogia S. Theclæ. *Meth. de virg. convivio tom. 3. Biblioth. PP. Combefiſ. actuarium noviſſ. p. 64.*

JESU CHR. AN. 46.

clare animo ſuo deſluentibus de lilio guttis intra ſe receptis hominem externum morte opprimit: quibus & illud adjungit, Theclam jam viro deſponſatam, amore pudicitiæ, ſponſo nuncium remiſiſſe; quod & Paulo impie exprobrat Fauſtus apud Auguſtinum. *Jam timeo Apoſtolo, ne dæmoniorum doctrinam intuliſſe tunc Iconium videatur, cum Theclam oppigneratam jam thalamo in amorem ſermone ſuo virginitatis incendit*. Eadem ferme Epiphanius: *Thecla, incidit in Paulum ſanctum, & a nuptiis exſolvitur, cum curatorem ſive ſponſum haberet formoſiſſimum, primarium Urbis, valde divitem, generoſiſſimum, ac illuſtriſſimum. In vita contemnit terrena Sancta illa, ut cæleſtium potens fiat*. Sed & Chryſoſtomus refert eam Pauli colloquium magno ſibi pretio comparaſſe: *Audi de beata Thecla; illa ut Paulum videret, aurum ſuum dedit; tu autem ut Chriſtum videas, nec obulum das*; & alibi. *Quære Paulum tamquam Thecla, ut audias, quæ per ipſum tibi dicuntur*. Ejuſdem porro cum feris certamina pluribus Ambroſius meminit: *Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptiarum, & ſponſi furore damnata, naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutavit: namque parata ad feras, cum aſpectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipſa ſævo offerret leoni; fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes beſtiam cubitare humi, muto teſtificantem ſono quod ſacrum virginis corpus violare non poſſet; ergo adorabat prædam ſuam beſtia & propriæ oblita naturæ naturam induerat, quam homines amiſerant*. Hæc Ambroſius in altero de Virginitate libro: in Epiſtola autem ad Simplicianum: *Inter leones virgo exultavit, & prodeuntes beſtias expectavit intrepida*. Et rurſus in alia ad Vercellenſem Eccleſiam: *Quo munere venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, ut ad pedes prædæ ſuæ ſtratæ impaſtæ beſtiæ ſacrum deferrent jejunium, nec procaci oculo virginem, nec ungue violarent aſpero*. Congruit Veronenſium Epiſcopus S. Zeno: *Adverſus Theclam accuſator acerrimus linguæ exerit gladium, cum ſuis ſibi miniſtris publicæ leges inſerviunt. Stimulis acuitur feritas in ferocitatem: & tamen mitior hominibus invenitur &c.* Gregorius denique Nazianzenus: *Non te fugit, Theclam ignium, & beſtiarum impetum evitaſſe*; idemque in Præceptis ad Virg.

Quis Theclam necis eripuit, flammæque periclo?
Quis validos ungues vinxit, rabiemque ferarum?

Vir-

Greg. Niſ. hom. 14. in Cant. tom. 1.

Contra Fauſtum lib. 30. cap. 4.

Thecla ſponſum relinquit.

Epiph. hær. 78.

Chryſoſt. hom. 25. in act. hom. 72. 77. tom. 1. & tom. 6. hom. 44.

Thecla a Sponſo accuſata damnatur.

Zen. ſerm. de virgine, edit. Ballar. num. 8. p. 71.

Greg. Nazianz. ad virg. exhor.

Thecla Leones ſuperat.

Virginitas. O res omni mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit sopire leones:
Dente nec impuro generosos virginis artus
Ausi sunt premere, & rigido discerpere morsu.

JESU CHR. AN. 46.

Theclam præterea uti primam inter feminas Martyrem celebrat Isidorus Peluſiota: *Adde muliebrium victoriarum, ac trophæorum caput, hoc eſt illam omnibus laudibus celebratam Theclam, quæ tamquam immortalis pudicitiæ columna proſtat, quæque e media turbidarum affectionum tempeſtate, tamquam fax incenſa, ad portum ab omnibus fluctibus immunem appulit.* Ab Epiphanio vero, Ambroſio, Hieronymo, Sulpicio Severo, Pauli Primogenita dicitur, aliiſque ampliſſimis ſane titulis commendatur. In cœnobium Theclæ nomine inſignitum ſeſe recepiſſe Nazianzenum conſtat, ne defuncto Patri in Epiſcopatu ſuccederet: *& Seleuciam profectus, in virgineo Sanctiſſimæ Theclæ cœnobio habitavit.* Templum vero in Iſauria eidem dicatum extitiſſe auctor eſt Theodoretus, qui refert Cyram, & Maranam nobiliſſimas Virgines, eo religionis cauſſa profectas fuiſſe: *Cum victoriæ inſignis Theclæ capiſſent videre templum, quod eſt in Iſauria, ut dilectionis in Deum flammam undique accenderent, ſic profectæ ſunt, & reverſæ jejunæ.*

Iſid. lib. 1. ep. 27. & epiſt. 160. & 2.

Epiph. hæreſ. 70. Ambroſ. de virg. Hier. ad Euſtoch.

Sulp. Sev. in vita S. Martini. Greg. in vita Nazianz. Nazianz. carm. 1. & orat. 21. Theodor. in vitis Patrum c. 29.

4. An autem Thecla martyrio vitam finierit, in dubio eſt. Breviarium, Martyrologium, & Rituale Romanum ab igne, aqua, & beſtiis divinitus liberatam, & in pace ac ſenectute bona *ſub Nerone obiiſſe* tradunt; quinimmo, ſi fides Pſeudo Baſilio habenda eſset, eam minime defunctam fuiſſe affirmare oporteret: *Haudquaquam*, inquit ille, *vita defuncta eſt, ſed viva ſubſidens in terram ingreſſa, quæ Deo ita volente in ejus gratiam diſceſſit, ſeque illi aperuit eo in loco, quo divina ac ſacra liturgiæ menſa conſtructa, in orbe columnis argentoque fulgente undique cincto, eſt conſtituta.* In monte ſane ad longam uſque ſenectutem vitam egiſse ſentiunt Eruditorum aliqui. Verum nec verbum quidem de tam longæva Theclæ ætate occurrit apud Patres; quorum ea quidem ſunt de ejuſdem martyrio teſtimonia, ut Baronio adſentiendum putemus, qui Theclam vere martyrem deceſſiſſe exiſtimavit. Non ignoramus profecto illos quoque a veteribus Martyres fuiſſe dictos, qui tormenta tantum, non mortem pro Chriſti fide obiiſſent; at Theclam inter victimas pro Chriſto occiſas enumerat Nazianzenus;

An Thecla vitam martyrio mutaverit.

Die 27. Septemb. Brev. & Ritual. Rom. Theclæ vita cap. ult. edita a Lantino.

Tillem. n. 4. in Thecl. Bar. an. 47. n. 14.

Nazianz. orat. 3.

JESU CHR. AN. 46.

martyrio vitam mutaſſe innuit Ambroſius ; & S. Auguſtinus Theclam cum Criſpina vere martyre conjungit. Animadvertendum præterea incerta tantum Theclæ acta commemorare ab omnibus eam tormentis incolumem evaſiſſe.

Ambr. de Virg. lib. 3. Aug. de virgin. cap. 44.

Aſinii Galli in Claudium conſpiratio.

5. Cum Aſinius Gallus ſola generis nobilitate fretus, & pecunia, ac viribus omnino deſtitutus, res novas in Claudium Imperatorem molitus ſtulte fuiſſet, cognita conjuratione, exilio mulctatus eſt ; illum ſiquidem miſericordia magis, quam morte dignum Cæſar judicavit. Cautum eſt quoque Claudii lege, ne Domini in poſterum a libertis accuſarentur ; e quibus magnam ipſe laudem eſt aſſequutus.

Suet. in Claud. Dio lib 60.

Theudas impoſtor a Fado occiditur.

6. Adminiſtrante Judæam Fado Procuratore, *præſtigiator quidam nomine Theudas*, inquit Joſephus, *ingenti hominum multitudini perſuaſit, ut aſportatis opibus ducem ſe ad Jordanem uſque fluvium ſequerentur. Quippe ſe Prophetam eſſe ajebat, diremptiſque imperio ſuo aquis fluminis, facilem ſe tranſitum ipſis præſtiturum dicebat, & hujuſmodi ſermonibus plurimos decepit. Non tamen eos paſſus eſt Fadus quidquam ex ſua veſania conſequi ; ſed emiſit adverſus eos equitum turmam, quæ ex improviſo illos adorta, multos occidit, multoſque vivos comprehendit. Ipſe etiam Theudas ab iiſdem captus eſt, ejuſque caput abſciſſum Hieroſolymam deportant. Atque adeo hæc ſunt, quæ Judæis acciderunt, dum Cuſpius Fadus erat procurator.* Cavendum porro, ne hunc Theudam eumdem forte putemus, cujus meminit Gamaliel in actis Apoſtolorum ; diu enim ante, quam Fadus Judæam adminiſtraret, interfectum illum fuiſſe ipſamet Apoſtolorum Acta declarant.

Joſeph. antiq. lib. 20. 2.

Helena Regina, & Izates filius Hieroſolymam adeunt.

7. Fame ab Agabo prædicta adhuc ſæviente, Helena Adiabenorum Regina, quæ cum filio Izate Judæorum diſciplinam didicerat, *in Hieroſolymitanam urbem proficiſcendi deſiderio tenebatur, ut Templum Dei omnium hominum ſermone celebratum adoraret, & victimas pro gratiarum actione offerret : filiumque orabat, ut eo ire permitteret. Cum autem ille libenter admodum matri ſupplicanti annuiſſet, & magnos apparatus ad eam profectionem feciſſet, multaque pecunia eam inſtruxiſſet, deſcendit ad Hieroſolymitarum urbem, filio longe eam deducente. Ejus autem adventu nihil opportunius potuit accidere Hieroſolymitis, nam fame ipſorum urbem per id tempus premente, multiſque alimentorum inopia pereuntibus, Helena Regina e ſuis alios quidem miſit Alexandriam, qui vim magnam tritici coemerent, alios*

Act. cap. 11. Joſeph. l. 20. 2.

alios vero in Cyprum, qui caricarum ſarcinas advehi curarent. Ubi vero reverſi ſunt, celeriter iſtis apportatis, cibos egenis diſtribuit: atque ex hac beneficentia maximam ſui memoriam apud gentem noſtram univerſam reliquit. Quin & filius ejus Izates, fame iſta audita, Principibus Hieroſolymitanis multum pecuniæ miſit. Hanc Helenæ, Izatiſque filii peregrinationem ſecundo Claudii anno, Chriſti 44. alligandam eſſe viri eruditi contendunt. Verum Helenam non ante labentem annum Hieroſolymam adveniſſe, vel inde maxime conſtare videtur, quod ex Joſepho liquet id contigiſſe poſtquam Pontificalis ſtolæ cuſtodia Judæis permiſſa fuit Imperatoris edicto, quod datum ſcimus anno Tribunitiæ Poteſtatis V. Chr. 45. Accedit præterea famem, & Helenæ adventum accidiſſe, ipſomet Joſepho teſte, procurantibus Judææ Fado, & Alexandro, qui Fado ſucceſſerat: *Horum igitur Procuratorum temporibus evenit, ut magna fames Judæam afflingeret; Cum Helena Regina frumentum grandi pecunia ex Ægypto coemptam egenis diſtribuit.*

JESU CHR. AN. 46.

Bar. an. 44. 66.

Pag. not. 3. ad an. 46. Baſnag. an. 46. 4. Cleric. Uſſerius eod. an.

Joſep. lib. 20. 3.

8. Helenam Izatemque ejus filium Chriſtianis ſacris addictos fuiſſe ſcripſit Oroſius: *Fames graviſſima per totam Syriam facta eſt, quam etiam Prophetæ prænunciaverunt. Sed Chriſtianorum neceſſitatibus apud Hieroſolymam convectis ab Ægypto frumentis, Helena Adiabenorum Regina converſa ad fidem Chriſti, largiſſime miniſtravit.* Silentibus tamen Joſepho, & Euſebio, an eſſet Oroſio fides habenda, dubitavit recte Baronius; quem dolemus ſane a Baſnagio vapulare, ac ſi Oroſii ſententiam omnino probaſſet. *Cum hæc mecum reputo,* (quæ ſcilicet Joſephus refert de Izatis circumciſione) *in eam partem magis adducunt, ut exiſtimem hos Chriſtiana fide imbutos, ut Oroſius ſcribit; verum nec id quidem auderem omnino affirmare, præſertim cum unde id acceperit Oroſius, non invenerim: eadem enim recitans Euſebius nihil, præter quod a Joſepho dictum eſt, apponit.* Hæc Baronius, cujus poſtrema verba ſilentio preſſit Baſnagius, ut ſuam in Annalium Parentem cenſuram poſſet licentius exercere, quod ſæpe notandum eſſet, ſi noſtri inſtituti ratio permitteret.

Utrum Helena & Izates fuerint Chriſtiani.

Oroſ. lib. 7. 6.

Baſnag. an. 46. 5. Bar. an. 44. 66.

Euſeb. lib. 2. 12.

9. Izatem porro, Helenamque Judaicam religionem, numquam vero Chriſtianam fidem amplexos fuiſſe, manifeſte ſatis intelligitur ex Joſepho, qui refert: Izatem filios ſuos numero quinque Hieroſolymam miſiſſe, ut *linguam noſtram vernaculam, & patriam diſciplinam diligenter addiſcerent.* Tanta enim Izatis

Helena & Izates Judæi fuerunt.

Joſeph. lib. 20. 2. et 3.

JESU CHR. AN. 46. *Josephus de Bell. Jud. l. 6. cap. 7.*

tis sollicitudo, ut filii sui Hebræorum linguam, & mores ad discerent, legesque servarent, profecto Judaismum professum fuisse aperte demonstrat. Plures præterea uxores, ex quibus filios viginti quatuor, totidemque filias superstites reliquit, simul habuisse compertum est; quod Christianis semper, & ubique vetitum nemo prorsus ignorat: Cum enim Parthi hostiles in eum impetus facerent, *cum uxoribus, & filiis jejunabat.*

Sepulcrum Helenæ, & Filii.

10. Quo anno Helena, Izatesque e vivis abierint, ignoramus. Id tantum ex Josepho scimus, Izatem *anno ætatis quinquagesimo quinto exacto, regnique quarto supra vigesimum* obiisse; Helenam vero, cum in Adiabenam reversa fuisset, *non diu superstitem filio Izati vixisse*: Quamobrem circa hæc tempora utrumque fato functum esse conjicimus. Jam vero Monobazus, Izatis fratris in Regno successor, ejus, & Helenæ matris ossa *Hierosolymam missa in pyramidibus sepeliri jussit, quas numero tres, tribusque stadiis ab Urbe Hierosolymitana dissitas mater exstruxerat.* Constantini autem, immo & Theodosii ætate integras adhuc Helenæ Pyramides extitisse, testatur Eusebius: *Helenæ illius, cujus mentio fit a Josepho, illustres etiamnum extant Cippi in suburbiis Hierosolymorum, quæ Aelia mutato nomine appellatur, eamque Adiabenorum Reginam fuisse perhibent.* Pausanias vero, penes quem sit fides, hæc memoriæ prodidit: *Apud Hebræos in Solymorum urbe ... Helenæ indigenæ mulieris sepulchrum miri operis est. In eo enim ostium fabricatum est ex marmore, uti ceteræ sepulchri partes. Id anni stato die, atque hora, occulto machinæ cujusdam motu aperitur, neque ita multo post concluditur. Quod si alio tempore aperire conatus fueris, effringas facilius, quam ulla vi recludas.* Hieronymus denique in Epistola ad Eustochium Helenæ sepulchri meminit: *Ad lævam Mausoleo Helenæ derelicto, quæ Adiabenorum Regina in fame populum frumento juverat, ingressa est Hierosolymam.*

Joseph. Antiq. lib. 20. cap. 4.

Eus. lib. 2. 12.

Hier. epist. 108. 2. 9.

JESU CHRISTI AN. 47. PETRI APOST. AN. 16.
ROM. PONT. AN. 5. CLAUDII IMP. AN. 7.
COSS. CLAUDIO AUGUSTO IV. ET L. VITELLIO III.
AN. URBIS 800. OLYMP. 206. AN. 3.

Petri opera Evangelium in occidentales provincias propagatur.

1. In id unice intentus Petrus Apostolus, ut commisso sibi a Christo munere sedulo fungeretur, discipulos huc, illuc per

per Occidentis regiones hoc tempore miſiſse fertur, qui eas a ſuperſtitione Deorum ad fidem, cultumque Chriſtianæ religionis adducerent. *Quis enim neſciat*, inquit Innocentius Rom. Pontifex in epiſtola ad Decentium, *aut non advertat, id quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, & Siciliam, inſulaſque interjacentes, nullum hominum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes? aut legant, ſi in his Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe? Quod ſi non legunt, quia nuſquam invenitur, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe non eſt dubium: nedum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Quas tamen potiſſimum Eccleſias, & quo tempore Petrus, ejuſque diſcipuli in ſingulis Provinciis inſtituerint, ob ſummam veterum monumentorum inopiam difficillimum eſt conſtituere. Quamvis enim Civitatum traditiones non eſſe temere contemnendas ultro fateamur; tamen negari nequit, quin earum pleræque nutent, neque probabilibus monumentis firmatæ ſint; quippe cum Scriptores plerique ſtudio Patriæ plus ferme tribuant, quam pati veritas, & ratio videantur. De his plura apud ſingularum Eccleſiarum Hiſtoricos, vel Originum Chriſtianarum tractatores, Mamachium præſertim, qui in hoc argumento doctiſſime, ſagaciterque noſtra ætate verſatus eſt. Nos a ceteris conſulto abſtinentes, de initiis Chriſtianæ religionis in Gallia, & Hiſpania hic modo diſſerendum ſtatuimus, de quibus magna virorum doctorum diſſenſione certatur.

JESU CHR. AN. 47. *Innoc. epiſt. 25. apud Coutan. p. 855.*

Orig. et antiq. Chriſt. Tom. 2.

2. Quod itaque Gallos ſpectat, ſunt adhuc, fueruntque viri doctrinæ laude ſpectatiſſimi, qui dicerent Apoſtolorum diſcipulos Chriſtiana ſacra in Gallias importaſſe: Id autem adeo eorumdem aliqui ſibi perſuaſerunt, ut præterea arbitrarentur non modo Dionyſium Areopagitam Pariſienſium, Martialem Lemovicenſium, Julianum Cenomanenſium, alios denique, qui Apoſtolos magiſtros habuerint, Gallorum Doctores, & Epiſcopos fuiſſe; verum etiam Mariam Magdalenam, Martham ſororem, fratremque Lazarum Maſſiliam appulſos, ibi doctrinam cul-

Quo tempore in Galliis Evangelium prædicatum fuerit.

JESU CHR. AN. 47.

cultumque Christianæ Religionis docuisse, & propagasse. Horum omnium a plurimis est oppugnata opinio, quorum aliqui antiquiorem secundo seculo jam adulto in Galliis esse Christianismum negant; contendunt alii ante seculum Ecclesiæ tertium, exceptis Lugdunensibus, Viennensibus, aliisque perpaucis, nullis præterea in Gallia Evangelium innotuisse. Sunt denique, qui media incedentes via, privatas quarumdam Ecclesiarum traditiones dubias omnino concedunt; adfirmant tamen a primis usque Christianorum temporibus non Viennenses modo & Lugdunenses, sed alios quoque in reliqua Gallia incolas fuisse, etsi non magno numero, qui Apostolicorum hominum studio nostram religionem profiterentur: Atque horum satis bene constituta nobis sententia videtur. Si non solum Petro de Marca, Natali Alexandro, & Michaeli Lequienio, sed Veterum perpaucis assensio esset adjungenda; gravissimo sane Pauli Apostoli testimonio constaret a Crescente ipsius Discipulo Gallias Evangelica luce fuisse illustratas. Ubi enim in altera Pauli Epistola ad Timotheum *Crescens in Galatiam* abiisse dicitur, legendum putarunt *in Galliam*: *Ex reliquis*, inquit Eusebius, *Pauli comitibus Crescens quidem ab eo missus in Gallias Pauli ipsius testimonio declaratur*. Eusebio congruunt Theodoritus, & Epiphanius, a quo scriptum præterea est *Lucam primum in Dalmatia, Gallia, & Italia, sed in Gallia præ ceteris* Evangelium prædicasse: Id autem, quos paullo ante laudavimus Scriptores de Gallia transalpina intelligendum existimant. Vulgata tamen Paulinæ Epistolæ lectio, qua Crescens in Galatiam contendisse memoratur, & omnium quæ exstant exemplarium auctoritatate nititur, & summa reliquorum Patrum, veterumque Scriptorum consensione firmatur. Quod vero ad Lucam pertinet, non perperam fortasse Petavius Epiphanii locum de Gallia Cisalpina est interpretatus: Lucam enim in Gallia prædicasse nullus prodidit; neque Augustus nova Provinciarum Imperii divisione Galliæ ulterioris, vel citerioris, transalpinæ vel cisalpinæ appellationem sustulit, in quo maximum sententiæ suæ præsidium constituit de Marca: Nam pluries fuisse a Scriptoribus deinceps usurpatam, innumeris ipsorum testimoniis evincitur. His itaque missis præstantiora sunt proferenda. Principio igitur Lucius Cæcilius affirmat tempore Neronis *non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem defecisse a cultu idolorum, & ad religionem novam, damnata vetustate tran-*

Epist. ad Henr. Vales. Histor. Eccl. Eusebii Edit. Vales. præfixa.
Histor. Sec. I. Dissert. xvj. Tom. 1. Orient. Scrip. Cap. iv. v. 10.
Histor. lib. 3. cap. 4.
To. 3. oper. Edit. Sirmondi Pag. 505. Hæres LI.
To. 2. oper. Epiph. pag. 90. Edit. Paris. A. 1622.
Vide Launoyum in Dissertatione Epist. Petri de Marca cap. 3. Lib. de Mort. Persec. cap. 2.

transfisse: Et capite tertio: *Resciscis*, inquit, *actis Domitiani non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit, secutisque temporibus, quibus nonnullos inimicorum impetus passa est, manus suas in orientem, occidentemque porrexit, ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quò non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam ferit moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu ad justitiæ opera miteseceret.* Ne id autem post Antonini Pii tempora factum arbitremur, admonet Justinus Martyr, qui in Dialogo cum Tryphone, *ne una quidem est hominum natio*, ait, *sive Barbarorum, sive Græcorum, seu etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel in plaustris degentium, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium, & pecora alentium, inter quos per nomen Crucifixi Jesu preces, & gratiarum actiones Patri, & Conditori universi non fiant.* Jamvero quis putet remotissimis, & extra Romanum Imperium sitis regionibus Evangelium innotuisse; ignorasse vero adhuc Gallos ea ætate florentissimos, vicinosque gentium capiti Romæ, quam sanguine suo Petrus, & Paulus consecrarunt? Sibi ne quis quam persuadeat Apostolos, quorum ea præcipue cura fuit, ut ne barbaræ feræque gentes Jesum Crucifixum ignorarent, de illustri adeo Gallorum natione ad Christum adducenda minime cogitasse? Et sane Irenæus anno circiter 170., ut Hæreticos Novitatis argueret, ad Gallicanarum Ecclesiarum traditiones provocavit: *Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Iberia sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto.* Hoc autem argumento est eas jam inde ab aliquo tempore fuisse constitutas: Qui enim uti adversus Hæreticos potuisset traditione Ecclesiarum, quas novas tum fuisse constaret? Tertullianus præterea memoriæ prodidit apud diversas Gallorum nationes sua ætate Christianum cultum obtinuisse: *Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessu Romanis loca, Christo vero subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & Insularum multarum nobis ignotarum, quæ enumerare non possumus; in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat.* Non igitur in Viennensi, & Lugdunensi tantum, uti perperam Lau-

JESU CHR. AN. 47.

Contra Hæres. Lib. 1. cap. x.

Adversus Jud. cap. viij.

JESU CHR. AN. 47.

noyus contendit ; ſed in diverſis Galliarum regionibus , cum Tertullianus Judæos refutaret , Chriſtianorum cœtus aderant : Quos cum paullatim auctos fuiſſe conſtet , nihil ſane vetat, quominus illos multo antea conſtitutos , & eoſdem omnino credamus , quos ab Irenæo memoratos oſtendimus . Iis enim , qui animadverterint a Strabone , Appiano Alexandrino , aliiſque Græcis Scriptoribus , Gallos omnes *Celtas* appellatos fuiſſe , vix credimus Launoyum , ejuſque ſimiles perſuaſuros ab Irenæo , Græco homine , Celticam ſolum Galliam *Celtarum* nomine deſignari . Accedunt ſincera S. Saturnini Epiſcopi Toloſani & Martyris Acta , quæ tertio extremo ſeculo ſcripta fuiſſe adnotat Ruinartius , quæque aperte ſatis declarant *Apoſtolorum prædicationem coruſcaſſe in Gallia* , & Chriſtianiſmum ante Saturninum in eadem regione viguiſſe . Porro Cypriani tempore plures in Galliis Epiſcopos fuiſſe , & Arelatenſem potiſſimum Eccleſiam antiquitatis laude floruiſſe , plane conſtat ex ejus Epiſtola ad Stephanum Rom. Pontificem , quem vehementer rogat , ut ab eo mandata *dirigantur ad Coepiſcopos in Galliis conſtitutos , & ad Plebem Arelate conſiſtentem , quibus abſtento Marciano* (illius urbis Epiſcopo) *alius in ejus locum ſubſtituatur , & grex Chriſti , qui in hodiernum ab illo diſſipatus , & vulneratus contemnitur , colligatur : ſufficere namque multos illic ex fratribus annis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace* . Cypriano conſonat , magnamque ex eo ſimul lucem mutuatur celeberrimus Epiſcoporum Proviuciæ Arelatenſis ad Leonem I. Libellus : Namque medio quinto Seculo hæc publice , palamque in eo ſcripta intelligimus : *omnibus regionibus Gallicanis notum eſt , ſed nec ſacro-ſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum , quod prima intra Gallias Arelatenſis Civitas miſſum a Beatiſſimo Petro Apoſtolo Sanctum Trophymum habere meruit Sacerdotem , & exinde aliis paullatim regionibus Galliarum bonum fidei & Religionis infuſum* . Quæ nemo prudens ſane dicet a frequenti univerſe Provinciae Synodo tam confidenter proferri potuiſſe , niſi cognita prorſus omnibus , & explorata per ea tempora fuiſſent . Et Zoſimus quidem Romanus Pontifex aliquibus ante annis hujuſmodi Arelatenſium traditionem aperte probaverat ; In ſua enim ad Epiſcopos Galliæ Epiſtola , *ſane* , inquit , *quoniam metropolitanæ Arelatenſium urbi vetus privilegium minime derogandum eſt , ad quam primum ex hac ſede Trophymus ſummus antiſtes , ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt , directus eſt* .

Lib. 4. De Bell. Civ. lib. 4.

V. Abbadie nouvelle Diſſertation touchant le tems au quel la Religion a été etablie dans les Gaules . Toloſe 1703. in 12. pag. 204. ſeq. Acta Mart. pag. 107. edit. Pariſien. LXVIII. Edit. exonien. LXVII. Edit. Baluz.

Inter oper. S. Leonis To. 1. p. 993. edit. Balleriu. & poſt epiſt. XLIX edit. Queſnelliii.

Apud Couſtant. Ep. RR. Pont. pag. 398.

4 Quam-

4. Quanti hæc eſsent momenti ad ejus ſententiam omnino labefactandam, probe ſenſit Launoyus; cum tamen eo, quem ſemel imbiberat, errore delectaretur, Cypriani, Zoſimi, & Gallorum ad Leonem epiſtolas ſequiori ætate a nebulone ſuppoſitas pronunciavit. Verum ab inani, nequid dicam gravius, Launoii cenſura illuſtria adeo monumenta doctiſſime vindicarunt, præter Menardum, & Milletum, Pearſonus in annalibus Cyprianicis, Baluzius, Queſnellus, Conſtantius, aliique plurimi doctrinæ, & eruditionis laude clariſſimi. Neque felicius cauſsæ ſuæ conſuluit Launoyus, ubi ad conciliandam cum ſua ſententia Cypriani Epiſtolam conjecit: *dici poſſe Trophymum anno primo Imperatoris Decii veniſſe Arelate, & Marcianum Trophymo poſt quatuor, aut quinque, vel ſeptem annos mortuo ſucceſſiſſe*; Cyprianus enim ſe diu ante de prava Marciani fide monitum fuiſse Stephano affirmat: *Fauſtinus ſemel, atque iterum mihi ſcripſit*. Magno præterea numero Epiſcopos tum in Gallia fuiſse teſtatur: *Quapropter facere te oportet pleniſſimas literas ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſlitutos*. Ea denique de Arelatenſi Eccleſia ſcribit, quæ urbi, in quam paucos ante annos Trophymus fidem intuliſset, nulla poſsunt ratione congruere. Ad quæ ſane ſi Gerardus Sylvius paullulum animadvertiſset, non adeo futile Launoii effugium probaſset. Quod vero Sulpicii Severi, & Gregorii Turonenſis auctoritatem reliquis omnibus præferendam contendunt Launoyus, Du Bois, ac ceteri, qui a nobis diſsentiunt, hi quidem errant vehementer. Sulpicius profecto *ſub Aurelio Antonini filio perſecutionem quintam agitatam refert, ac tum primum inter Gallias martyria viſa, ſerius tranſalpes Dei religione ſuſcepta*. Gregorius vero *ſeptem*, inquit, *Presbyteri Epiſcopi ordinati in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis Sancti Saturnini enarrat. Ait enim ſub Decio & Grato Coſſ. ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana Civitas S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophymus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Aſtrenomius Epiſcopus, Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus*. Si tamen Sulpicii verba bene ſpectentur, intelligi commode poſse de generali perſequutione imperialibus edictis juſsa, & publica fidei per omnes Gallias profeſsione, adnotavit Renatus Ouvrardus; neque, ſi temporum ratio habeatur,

JESU CHR. AN. 47.

Launoyi argumenta ſolvuntur.

In Diſcuſſione Reſponſ. ad Diſſertation. de Duobus Dionyſ., & alibi.

Pag. 48. oper. Cypr. edit. oxon. In notis ad epiſt. Cypriani LXVII.

Tom. 2. Oper. Leonis p. 1448. edit. Baller. Epiſt. RR. Pont. p. 933. Loco citat.

Hiſtor. Eccleſ. Pariſ. pag. 370. 371.

In Diſſertationibus de Gregorii Turon. & Sulpicii Severi locis, atque alibi.

Hiſtor. Eccleſ. Pariſ. Hiſtor. lib. 2. Lib. 1. Hiſt. Francor. c. 28.

Defenſe des anciennes traditions des Egliſes de France Paris 1678. in 12.

JESU CHR. AN. 47.

tur, quidquam iis profunt, qui anno 251. natam fidem apud Gallos existimant. Præterea vero auscultemus ne Sulpicio & Gregorio, Scriptoribus, cum de rebus a memoria sua remotis agerent, minus diligentibus, minusque peritis Historiarum, fidemque tot indubiis ecclesiasticæ antiquitatis monumentis negemus, ex quibus plane liquet a primis ferme Christianorum temporibus evangelicam lucem in Gallia coruscasse? *Cum Sulpicius*, inquit adposite Pagius, *in historia quarti seculi, quo vixit, sæpius erraverit, eum in antiquiori numquam hallucinatum, nullus, ut puto, sibi facile persuaserit. Sulpicius itaque, qui historiam Eusebii in compendium redigebat, cum videret in historia Eusebiana ante Imperium Marci Aurelii fidei in Galliis annunciatæ mentionem non fieri, quemadmodum nec aliquorum Martyrum in ea regione ante Irenæum passorum, credidit tum primum intra Gallias martyria visa esse, & serius religionem Christianam transulpes susceptam.* Gregorium autem ex actis Saturnini concludisse id, cujus ne vestigium quidem in ipsis reperitur, & scite admonet Ruinartius; & Pagius ipse Pearsonum sequutus confirmat: *Gregorius citat quidem Historiam Passionis S. Saturnini. Verum verba, quæ refert, ad Saturnianum solum pertinent, quæ adhuc etiam in ejus Passione reperiuntur. Reliqua vero: Hi ergo missi sunt &c. non sunt verba Passionis, sed ipsius Gregorii, qui hanc Epocham Saturnini inde nactus, reliquorum sex Episcoporum tempora, quorum certa initia ignoravit, ad eam referenda esse duxit.* Sed e Gallia tandem abeuntes in Hispanias transeamus.

Ad Ann. 253. num. 5.

Acta Martyr. p. 108.

Ad Ann. 255. num. 6.

An Paulus Apost. in Hispaniis prædicaverit.

5. Quid de Hispanico Jacobi Apostoli itinere statuendum nobis videatur, jam supra ad annum 42. indicavimus. Nunc de Paulo dicendum, quem in Hispaniam contendisse negant Tillemontius, aliique; affirmant cum Baronio permulti, inter quos nominandi præsertim Michael a S. Maria Augustinianus, Floretius, Cajetanus Cennius, Mamachius. Dubitare aliquantisper videntur Natalis Alexander, & Calmetius. Nos tamen ita in hac quæstione versabimur, ut appositis tantum, quæ ab utraque parte proferuntur, argumentis, liberum omnino Lectoribus judicium relinquamus. De Hispania adeunda Paulum serio cogitasse scribit ipse in ea, quam ad Romanos dedit, Epistola. *Cum in Hispaniam proficisci cæpero, spero, quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc*; & paullo post, *per vos proficiscar in Hispaniam.* Neque tempus illi defuisse videtur,

To. 1. Mon. Hist. Eccles. Anno 61. n. 2. Dissert. Historica de primo, potius unico Evangelii prædicatore in Lusitania & totaque Hispania inter script. acad. Reg. Portugal. ad an. 1722. To. 3. Hispaniæ Sacræ cap. 2.

tur, quo cogitata perficeret; ab anno enim 62., in quem desinit biennium, quod in docendis Romanis consumpsit, ad ann. 65. æræ vulgaris, quo capite plexus est, ferme triennium excurrit. Cum itaque hoc intervallo potuerit Apostolus ad Hispanos proficisci, vero haud videtur simile, eum, qui tanto desiderio eos docendi flagraret, quique sine ulla conditione profecturum se in Hispaniam dixerat, cum opportunum tempus est consequutus, noluisse ei itineri sese committere. Porro in eam Provinciam revera Paulum Christianos ritus intulisse Græci, Latinique Patres litteris prodiderunt; & Clemens quidem Romanus epistola ad Corinthios prima de Paulo diserens sic habet: *In justitia Mundum universum instruens, & ad Occidentis terminum veniens &c.* Hisce enim postremis verbis Hispaniam intelligi animadvertunt Scheleſtratius, Pearsonus, Grabius, Cennius, Mamachius, & alii. Clementi congruit auctor operis de vitis Apostolorum, quod Hyppolito Martyri tribuendum nonnulli arbitrantur. *Paulus*, inquit, *post annum unum a Domini ascensione munus Apostolicum aggressus est, ac a Hierusalem initium ducens usque ad Illyricum, Italiam, Hispaniamque pervenit Evangelium prædicans.* Athanasius quoque testatur studium Paulo fuisse *usque ad Illyricum Evangelium prædicare, neque omittere quin Romam iret, & in Hispaniam ascenderet.* Cyrillus vero Hierosolymitanus *a Hierosolymis*, ait, *usque ad Illyricum disseminavit Evangelium, qui regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam usque promptitudinem prædicationis ostendit.* Epiphanius: *Paulus in Hispaniam profectus est.* Joannes Chrysostomus: *Cum igitur biennium Romæ exegisset in vinculis, tandem dimissus est; deinde in Hispanias profectus, invisit illic Judæos quoque.* Accedunt Hieronymus, Theodoretus, aliique, quos referre non vacat; protulerunt vero diligentissime Michael a S. Maria, Natalis Alexander, Floretius locis paullo ante laudatis. Idem denique confirmare forte quis posset ex veteri Marmore in Hispania reperto, cujus hæc est Inscriptio.

NERONI . CL. CAIS
AVG. PONT. MAX
OB. PROVINC. LATRONIB
ET . HIS . QVI . NOVAM
GENERI . HVM. SVPER
STITION. INCVLCAB
PVRGATAM

Plane

JESU CHR. AN. 47.

De antiqu. Eccl. Hisp. Differ. 1. cap. 2.

Orig. Christ. To. 2. p. 287. seq.

Dissert. xiv. in Hist. 1. Sæculi. In epist. ad Roman. cap. xv. Cap. xv. 24. V. 28.

Apud Cotel. p. 151.

Scheleſt. dissert. de Auctor. Patriarch. pag. 9. edit. Rom.

Pearſ. in Clement epist. & in Annal. Pauli pag. 20.

Grabius in notis ad Iren. l. 1. cap. 3.

Antiquit. Eccl. Hisp. tom. 1. Loco citato nota 4.

V. Fabricium to. 1. oper. S. Hipp. p. 3. in appendice.

Athan. ep. ad Dracontium tom. 1.

Cyrill. Catech. 17. n. 26. pag. 277.

Epiph. hæres. 26. Joan. Chrysost. hom. 76. in Matth. & in præfat. in ep. ad Hebr. & hom. 7. de Pauli laudibus alibique.

Theod. tom. 3. in epist. ad Philipp.

Hier. in Isaj. cap. 34.

Grut ccxxxviii. 9.

JESU CHR. AN. 47. *De emendat. temp. lib. v. p. 471. In Diſſert. cui titulus . Marmor. Hiſpaniæ antiquum vexationis Neronianæ inſigne monumentum illuſtratum. Jenæ 1750. in 4.: Et in altera inſcripta . Perſequutionis Chriſtianor. Neronianæ in Hiſpania ex antiquis monumentis probandæ uberior explanatio. Ibid. 1753. 4. Ad Philem. 22.*

Plane ſiquidem ex hac liquet, Nerone imperante, vulgatam fuiſſe apud Hiſpanos Chriſtianam Religionem, quam Ethnici per ſummum nefas ſuperſtitionem appellabant; id autem argumento utcumque eſſe poterit eo fuiſſe a Paulo importatam. Quamvis enim poſt Scaligerum plures, præcipue vero Gisbertus Cuperus, & Jo. Gaſpar Hagenbuchius de Lapidis fide, & antiquitate vehementer dubitarint; pro ejuſdem tamen præſtantia graviſſime pugnarunt alii, & potiſſimum Jo. Erneſtus Imman. Walchius, qui illum ſemel, atque iterum ab omnibus adverſariorum argumentis vindicandum ſuſcepit.

Adverſariorum argumenta exponuntur.

6. Ad hæc, adverſæ cauſæ Patroni reperiſſe in Pauli Epiſtolis exiſtimant neſcio quid, quod cum ejuſdem Hiſpanico itinere pugnare videatur. Principio enim ajunt ex ipſius ad Philemonem epiſtola facile intelligi Apoſtolum, cum jam e Romana cuſtodia eſſet emittendus, non amplius de Hiſpanis adeundis, ſed de nova in Orientem profectione cogitaſſe; Hæc namque mandat Philemoni Coloſſis agenti: *Para mihi hoſpitium, nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis*. Deinde ex poſtremis ad Timotheum litteris conſtare Paulum non ex Hiſpania, ſed recto ex Oriente itinere Romam rediiſſe; Monet enim Timotheum, ut penulam apud Carpum Troade relictam ad ſe afferat: Meminit etiam Trophymi, quem Mileti reliquerat ægrotantem. Neque id ei vitio vertendum, ac ſi quadam animi levitate a ſuſcepto primum conſilio diſceſſerit; ſed divinitus factum, ne cogitata perficeret. De novo ad Corinthios, & in Macedoniam inde, ac Judæam itinere Paulum cogitaſſe; numquam tamen, Sancto intercedente Spiritu, perfeciſſe. Animadvertunt præterea fuiſſe in more poſitum inſtitutoque Apoſtolorum, ut fide in aliquam regionem inlata, Eccleſias in ea conderent; atque illis regendis Epiſcopos conſtituerent. Porro nullam tota, qua longe lateque patet, Hiſpania Eccleſiam vere Apoſtolicam nominari; nullum Epiſcoporum a Paulo apud Hiſpanos ſuccedentium in veterum ſcriptis ac monumentis veſtigium reperiri. Permultos quidem Græcorum præcipue Patrum Hiſpanicam Pauli peregrinationem prodidiſſe; ignoraſſe tamen Origenem, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parentem Euſebium. Illos vero in errorem fuiſſe facile adductos a Pauli verbis, quibus in Hiſpaniam ſe profecturum ſignificat, vel exinde aperte probari, quod Innocentius I. & Gelaſius Romani Pontifices, qui rerum ab Apoſtolo in Hiſpania geſtarum notitia melius commodiuſque inſtrui poterant,

Epiſt. 2. ad Corinth.

Hiſpa-

Hiſpanienſi peregrinationi repugnant. *Manifeſtum eſt*, inquit Innocentius, *in omnem Italiam, Galliam, atque Hiſpaniam nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Apoſtolus Petrus aut ejus ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes*. Gelaſii vero hæc ſunt verba, perſpicua ſane, & aperta: *Beatus Paulus Apoſtolus non ideo, quod abſit, fefelliſſe credendus eſt, aut ſibi extitiſſe contrarius, quoniam cum ſe ad Hiſpanias promiſiſſet iturum, diſpoſitione divina, majoribus occupatus ex cauſis, implere non potuit, quod promiſit. Quantum enim ipſius voluntatis interfuit, hoc pronunciavit, quod revera voluiſſet efficere; quantum enim ad divini ſecreta conſilii, quæ ut homo omnia non potuit, licet Spiritu Dei plenus, agnoſcere, ſuperna prætermiſit diſpoſitione præventus*. Quod ad veterem denique Inſcriptionem pertinet, oſtendi profecto ex ea poſſe, modo tamen vera ſit, Neronis tempore Chriſtianiſmum in Hiſpanias penetraſſe; ceterum non inde effici Paulum eo divertiſſe, quippe cum ab aliis potuerit in eas Regiones adferri Chriſtiana Religio. Cetera, quæ utrinque adferuntur, argumenta reperiet Lector apud eos Scriptores, quos initio laudavimus; Nobis enim præcipua indicaſſe ſat eſt, ut qui alio properamus. Hoc ſolum iterum monemus, liberum per nos eſſe cuique, utram velit ſententiam deligere; ut ut enim de hoc ſit, antiquiſſimam, & a primis uſque Chriſtianiſmi temporibus repetendam eſſe Hiſpanienſium Eccleſiarum originem nemo prudens, & rerum Chriſtianarum utcumque peritus inficiabitur.

JESU CHR. AN. 47. *In epiſt. ad Decentium 25. apud Couſtant.*

Apud Gratianum cauſa 22. queſt. 2. c. 5.

7. Jam vero Paulus, & Barnabas Lycaoniam univerſam perluſtrantes, venerunt Lyſtram; ibique Paulus Claudum ab utero matris ſuæ ſanitati reſtituit. Hoc tanto portento in admirationem rapti Lyſtrenſes, Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium exiſtimarunt, eiſque veluti Diis Taurorum ſacrificia offerre inſtituerant. Quod ubi Paulus, & Barnabas cognoverunt, vehementer indignati, ſibi tunicas conſciderunt (qui ſumme dolentium, & ob intolerandam blaſphemiam indignantium, geſtus fuit); enixeque curarunt, ut ſe homines eſſe, qui verum Deum nunciatum veniſſent Lyſtrenſibus perſuaderent, eoſque a tam gravi ſcelere averterent.

Paulus & Barnabas Dii habentur.

Act. 14.

8. Verum cum quidam ab Antiochia, & Iconio Judæi ſuperveniſſent, tam vehementer adverſus Apoſtolos in contraria facile abeuntes turbas ſubito concitarunt; *Ut lapidantes Paulum*

Paulus a Lyſtrenſibus lapidatur Derben proficiſcitur & inde Lyſtram revertitur.

JESU CHR. AN. 47.

Act. cap. 14. v. 18.

2. Corint. 11.

Act. ut sup.

lum traxerint extra Civitatem, existimantes eum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit Civitatem, & postera die profectus est cum Barnaba Derben. De hac lapidatione, veluti nobilissimo quodam sui Apostolatus insigni, meminit Paulus in altera ad Corinthios Epistola: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: a Judæis quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum &c.* Postquam tamen Derbe evangelizarunt, multosque sibi ea in urbe discipulos Paulus, & Barnabas adjunxerunt, *reversi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam; confirmantes animas discipulorum, exhortantesque, ut permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet intrare in Regnum Dei. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.* Porro in his omnibus peragendis, constituendisque annum saltem eos insumpsisse nos sane arbitramur.

Cuspio Fado Alexander in Judæa procuratione succedit. *Joseph. l.* 20. 3. *Bar. an.* 48. 30. Scaliger in Josephi locum. *Juven. Satyr.* 1.

9. Cuspio Fado Judææ Procuratori successit hoc anno Tiberius Alexander, qui patrios Judæorum ritus abjecerat. Hic *Alabarches* dictus, salis præfectum fuisse visus est Baronio; Scaliger tamen Alabarchas Præfectos vectigalium existimavit. Ejusdem Alexandri meminit forte Juvenalis, qui ipsum statua Romæ donatum prodit, ridetque;

Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius atque Alabarches;
Cujus ad effigiem tantum non mejere fas est.

Messalinæ avaritia, & libido notatur. *Tacit. lib.* 11. *cap.* 1. 2. *& Dio lib.* 60.

10. Messalinæ Augustæ avaritia Valerio Asiatico iterum Consuli, aliisque Senatoribus hunc annum infaustum accidisse pluribus narrant Tacitus, Dio, Svetonius. Ipsa vero furenti adeo erga Silium amore flagrabat, ut ejus domum non furtim, sed comitatu multo frequentaret, egressibus adhæresceret, opes, honores in eum profunderet; ac veluti translata fortuna, & maritali jure, conjugis Augusti servi, liberti, suppellectiles penes adulterum viserentur. In omnium hæc oculis & ore versabantur; Claudius tamen solus, quod vix credibile, ignorabat.

Svet. in Claudio.

Tacit. lib. 11. *cap.* 4.

Ludi sæculares a Claudio celebrati.

11. Ludos sæculares hoc an. urbis conditæ octingentesimo Claudius

dius celebravit, quos quatuor tantum & sexaginta ante annos Auguſtus quoque celebraverat. *Ludos ſeculares ſextos* (ideſt ſexta a quo inſtituti fuerant vice) *fecit Tiberius Claudius Cæſar IV. & Lucius Vitellius III. Conſſ. anno Urbis* DCCC. ait Cenſorinus: Svetonius vero: *ludos*, inquit, *ſeculares fecit, quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſervatos. Quare vox præconis irriſa eſt, invitantis more ſolemni ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet, cum ſupereſſent aliqui, qui ſpectaverant, & quidam hiſtrionum producti olim, tunc quoque producerentur.* Hos poſtea Philippus Auguſtus poſtremus edidit.

JESU CHR. AN. 47.

Cenſorinus de die natali, c. 17.

11. Secularium ludorum originem, & ritum exhibet Valerius Maximus: *Cum ingenti peſtilentia Urbs, agrique vaſtarentur, Valeſius vir locuplex, ruſticæ vitæ, duobus filiis, & filia ad deſperationem uſque medicorum laborantibus, aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus, lares familiares, ut puerorum periculum in ipſius caput transferrent, oravit. Orta deinde vox eſt, habiturum eos ſalvos, ſi continuo flumine Tiberis devectos, Tarentum deportaſſet, ibique ex Ditis Patris, & Proſerpinæ ara petita calida aqua recreaſſet. Linte Oſtiam petens nocte concubia, ad Martium campum appulit. Sitientibus ægris ſuccurrere cupiens, igne in navigio non ſuppetente, ex gubernatore cognoſcit haud procul apparere fumum; Et ab eo juſſus egredi Tarentum, id ei loco nomen, cupide arrepto calice, aquam flumine hauſtam, eo unde fumus erat obortus, jam lætior pertulit, divinitus dati remedii quaſi veſtigia quædam in propinquo nactum ſe exiſtimans. Aqua pota, ſalutari quiete ſopiti, diutina vi morbi repente ſunt liberati; patrique indicaverunt, vidiſſe ſe in ſomnis quos neſcio Deorum ſpongia corpora ſua pertegere, & præcipere ut ad Ditis Patris, & Proſerpinæ aram, a qua fuerat potio ipſis allata, furvæ boſtiæ immolarentur lectiſternia, ludique nocturni fierent. Is quod eo loci nullam aram viderat, deſiderari credens ut a ſe conſtrueretur, aram empturus in urbem perrexit, relictis qui fundamentorum conſtituendorum gratia terram ac ſolidum foderent. Hi domini imperium exequentes, cum ad viginti pedum altitudinem humo egeſta perveniſſent, animadverterunt aram Diti Patri, Proſerpinæque inſcriptam. Hoc poſtquam Valeſius nuntiante ſervo accepit, omiſſo emendæ Aræ propoſito, boſtias nigras, quæ antiquitus furvæ dicebantur, Tarenti immolavit. Ludos & lectiſternia continuis tribus noctibus,*

Ludorum ſecularium origo.

JESU CHR. AN. 47. *quia totidem filii periculo liberati erant, fecit. Cujus exemplum Valerius Poplicola, qui primus Conſul fuit, ſtudio ſuccurrendi civibus ſecutus, apud eamdem Aram publice nuncupatis votis, cæſiſque atris hubus, Diti maribus, feminis Proſerpinæ; Lectiſterniiſque, ac ludis trinoctio factis, aram terra, ut ante fuerat, obruit.* Hactenus Valerius, ex quo liquet quamobrem tribus noctibus ludi celebrarentur:

Valer. Max. lib. 2. cap. 4.

Trina Tarentino celebrata Trinoctia ludo.

Nempe quia totidem Valeſii filii periculo liberati fuere. Temporum intervalla, quibus ludi iſti debeant referri, non modo quanta fuerint retro ignoratur; ſed ne quanta quidem eſſe debeant ſcitur. Varro de ſcenicis originibus libro primo ita ſcriptum reliquit: *Cum multa portenta fierent, & murus, ac turris, quæ ſunt intra Portam Collinam, & Eſquilinam, de cælo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos Quindecim viri adiiſſent, renunciarunt uti Diti Patri, & Proſerpinæ ludi fierent, & boſtiæ furvæ immolarentur, utque ludi centeſimo quoque anno fierent.* At contra, ut decimo centeſimo quoque anno repetantur, tam Commentarii quindecim virorum, quam Auguſti edicta teſtari videntur; adeo ut Horatius in Carmine, quod ſæcularibus ludis edidit, tempus hoc modo deſignaverit.

Apud Cenſorin. ut ſup.

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die clara totienſque grata
Nocte frequentes.

Ludorum ſæcularium celebrandorum ratio.

12. Addamus & jam hæc ex Zozimo: *Modus ludorum hujuſmodi relatus eſt in litteras. Circumeuntes præcones univerſos invitabant ad ſpectaculum, quod neque vidiſſent antea, neque viſuri poſt hac eſſent. Ipſo autem meſſis tempore, perpaucis diebus antequam ludi peragerentur, in Capitolio, Temploque Palatino quindecim viri ſedentes in ſuggeſtu, luſtralia Populo diſtribuebant. Ea ſunt faces, & ſulphur, & bitumen. Nec participes horum ſervi ſunt, ſed liberi duntaxat homines. Poſtea quam Populus univerſus in locis iis, quæ diximus, & in Templo Dianæ, quod eſt in Aventino colle, convenit, triticum, & hordeum, & fabas quiſque ſecum fert, ac Parcis nocturnos ludos caſte pudiceque faciunt. Ubi ludorum tempus appetit, quos tribus diebus, totidemque noctibus in Campo Martio faciunt, boſtiæ*

Zozim. lib. 2. cap. 5.

ſliæ propter Ripam Tiberis ad Tarentum Diis conſecrantur. His autem Diis rem ſacram faciunt, videlicet Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, tum præter hos Parcis, & Lucinis, & Cereri, & Diti Patri, & Proſerpinæ. Prima nocte ſpectaculorum ad horam ſecundam, tribus aris in ripa fluminis conſtructis, Imperator cum Quindecim viris tres agnos cædit: & aris ſanguine reſperſis, ſolidas victimas adolet. Scena vero ſine theatro conſtructa, lumina cum rogis accenduntur, & hymnus recens factus canitur atque ſpectaculo conſentanea rebus divinis eduntur. Et hæc qui peragunt, pro mercede primitias fructuum tritici, fabarum accipiunt. Poſtridie conſcenſo Capitolio, & conſuetis ibidem inmolatis hoſtiis, ad conſtructum inde Theatrum progreſſi, Apollinis & Dianæ ludos faciunt. Inſequenti die matronæ nobiles ad horam ab oraculo conſtitutam in Capitolium convenientes, Deo ſupplicant, & hymnis, ut fas eſt, celebrant. Die tertio in Apollinis æde Palatina, ter novem illuſtres pueri cum totidem virginibus, omnes utrinque florentes, hoc eſt, qui ambos parentes adhuc ſuperſtites habent, himnos Græca, Romanaque lingua canunt, quibus ſubjectæ Romanis urbes ſervantur. His adjungenda ſunt, quæ de Secularium ludorum pompa Dionyſius Halicarnaſſæus memoriæ prodidit. *Poſt iſtos choros multi cithariſtæ, & multi tibicines tranſibant. Poſt eos incedebant alii, qui thuribula & argentea, & aurea, & ſacra, & publica ferebant. Poſtremum in pompa locum obtinebant Deorum ſimulacra, quæ hominum humeris portabantur; quæ tales habebant formas, quales apud Græcos finguntur, & eumdem in habitum, eadem inſignia, & munera, quæ ab eorum unoquoque inventa, & hominibus data traduntur. Nec ſolum Jovis, Junonis, Minervæ, Neptuni, & aliorum, quos Græci inter duodecim Deos recenſent, ſed etiam Antiquorum, ex quibus duodecim illos Deos genitos fabulæ tradunt, Proſerpinæ, Lucinæ, Nympharum, Muſarum, Horarum, Gratiarum, Liberi, & aliorum Semi-Deorum.* Ex portentoſa hac Idololatria Imperii ſalutem pendere omnem arbitrabantur.

JESU CHR. AN. 47.

Dionyſ. Halicar. lib. 7.

JESU CHRISTI AN. 48. PETRI APOST. AN. 17. ROM. PONT. AN. 6. CLAUDII IMP. AN. 8. COSS. PAULLO VITELLIO, ET L. VIPSANIO: POPLICOLA AN. URBIS 801. OLYMP. 206. AN. 1.

JESU CHR. AN. 48.

S. Marcus Alexandriam proficiscitur.

1. Vivente adhuc Tiberio, Marcum Petri Discipulum & Evangelistam Alexandriam contendisse existimant Bollandistæ; contra vero Auctor Chronici Alexandrini id tertio tantum Caligulæ anno contigisse memorat; & Chronicon Orientale anno Chr. 49. in Lybiam, illincque anno 60. Alexandriam Marcum pervenisse litteris prodidit. Huic tamen, vel sequenti ad plurimum anno Ægyptiacum Evangelistæ iter esse alligandum cum Eutychio Patriarcha Alexandrino sentiunt Eruditorum plerique, uti Valesius animadvertit. Et vero sane videtur similius Marcum cum Petro Apostolo in Orientem migrasse, quo tempore Claudii Imperatoris Edicto Judæi ab Urbe excedere coacti sunt.

Bolland. tom. ult. junii. Chron. Alex. pag. 230. Chron. Orient. pag 109. Eutychius de origine Eccles. Alexandr. Valef. not. in cap. 16. hist. Euseb. lib. 2.

De B. Virginis Mariæ translatu ad Cœlum.

2. Apostolicam historiam percurrentes miramur vehementer Beatæ Virginis Mariæ semel tantum Lucam meminisse iis verbis: *Hi omnes* (ideſt Apostoli, & Discipuli) *erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu*: Præterea vero de ea nihil in Actis occurrere. Quod cum divino prorsus consilio factum fuisse credendum sit, imperscrutabilia Dei Judicia admirari malumus, quam in eorum causas temere inquirere. In Eusebii quidem Chronico, anno secundo Olympiadis 206., hæc de Virginis transitu legebantur: *Maria Virgo, Christi Mater, ad Filium in Cœlum assumitur, ut quidam fuisse sibi revelatum affirmant.* Sed hæc in pluribus Eusebiani Chronici Codicibus desiderantur, ideoque inter additamenta communi ferme doctorum virorum sententia rejiciuntur. Quo potissimum tempore mortalis hujus vitæ cursum Maria Virgo confecerit nos ignorare ultro fatemur, variasque tantum scriptorum opiniones hic adferendas existimavimus: *Non possumus*, inquit, *Baronius, non vehementer mirari tantæ rei historiam, vel saltem tempus migrationis ejus, sic a Scriptoribus prætermissum, ut opus fuerit, quid huic, vel illi hac de re fuerit revelatum investigare, quod tamen tolerandum esset, si omnes qui revelationibus innituntur, eadem proferrent.* Verum non revelationes modo revelationibus adversantur, sed & Scriptorum inter se testimonia; nonnulli

Act. 1.

Scaliger, Vaillarf. not. ad Chr. Euseb.

Bar. an. 48. 4.

And. Cret. Orat. in dormit. Deip. tom. 10. Bibliot. PP.

nulli enim Virginem Deiparam in extrema ſenectute diem ultimum clauſiſſe tradunt; alii anno tantum ætatis ſuæ quinquageſimo, aut 57., vel ad plurimum 58.; quidam denique 72., uti Cedrenus, aliique. Fuit autem hoc adeo ſuperiore etiam ætate incertum, ut Epiphanius presbyter de Virginis obitu dubitaſſe videatur: *Quærant*, inquit, *veſtigia ſcripturarum; & invenient utique neque mortem Mariæ, neque an mortua ſit, an non mortua, neque an ſepulta ſit, an non ſepulta . . . Non omnino definio hoc, & non dico quod immortalis manſit, ſed neque affirmo, an mortua ſit. Excedit enim ſcriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo relinquit, propter vas pretioſum, & excellentiſſimum, ut ne quis ad ſuſpicionem veniat carnalitatis de ipſa rerum. Sive igitur mortua eſt, non novimus, ſive ſepulta eſt*: Quod vero dubitanter modo innuit Epiphanius, alii certo affirmarunt. Ceterum de Virginis obitu nullam prorſus communis Catholicæ Eccleſiæ ſententia dubitationem admittit; ſed quam novit humanæ fuiſſe naturæ conſortem, humanam pariter moriendi neceſſitatem expertem affirmat. Forro cum Mariæ Simeon prænunciaſſet fore, ut ſuam *ipſius animam gladius pertranſiret*; non deſuere, qui Deiparam martyrio functam tradiderunt, multaque præterea de ipſius tranſitu, & aſſumptione, præſertim in Apocrypho de Tranſitu Mariæ Virginis libello prodita ſunt. Quæ tamen omnia ejuſdem Eccleſiæ judicio plane conſtat eſſe falſiſſima.

Jesu Chr. an. 48.

Niceph. lib. 3. 21.

Epiph. Sermo de Deip. Cedren. in Tiberii hiſt.

Epiph. hæreſ. 78.

3. Cum itaque certum ſit Beatam Virginem e vivis exceſſiſſe, jam quæritur quo loco obierit; atque Hieroſolymis quidam, Epheſi vero ceteri id eveniſſe ſunt arbitrati. Qui Hieroſolymis mortuam affirmant, nituntur auctoritate Damaſceni, qui oratione ſecunda de dormitione Virginis, Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopi teſtimonium profert, qui ad Marcianum, & Pulcheriam ſcripſit in Gethſemani valle fuiſſe Virginis ſepulchrum, in quo tamen corpus Virginis non extabat; nam tertia poſt obitum die, cum illud Apoſtoli aperuiſſent, nihil præter veſtes & ſudaria invenerunt: His autem cognitis Marcianum, & Pulcheriam ſepulchrum Virginis CPolim transferri juſſiſſe, atque in Eccleſia in Virginis honorem ædificata, quæ in Blanchernis dicta eſt, collocaſſe, uti videre eſt apud Nicephorum. Eadem poſtea tradiderunt Urbanus II. Rom. Pontifex, & Guaricus Abbas S. Bernardi Diſcipulus, aliique. Nullam tamen iis fidem eſſe habendam vel exinde patet, quod ſimi-

V. Macedo de clavib. Petri tom. 1. lib. 4. pag. 2. Seſs. 3. de peccato orig. Caniſius lib. 5. de Deipara. Apud Andr. in Luc. c. 2. apud. Ibid. de vit. & obit. Sanct. cap. 68. & Bed. in Luc. cap. 2. Cap. Sancta Roman. diſt. 15.

Quo loco B. Virgo obierit.

Damaſc. orat. 2.

Niceph. lib. 14. 2. & lib. 15. 14. Guericus Abbas Serm. 2. de aſſumpt. Urbanus 2. Orat. in Conc. Clarom. anno 1095. Caniſ. lib. 3. de Maria Deip. cap. 3. Petrus Valle ep. 13.

lia

JESU CHR. AN. 48.

lia omnino legantur in Pseudo Melitonis commentario de Transitu Virginis, & in libro Andreæ Cretensis. Hieronymus quoque recensens loca, quæ Sancta Paula Palæstinam peragrans inviserat, meminit quidem sepulchri Christi, & Prophetarum, quinimmo Helenæ Adiabenorum Reginæ; de Sepulchro tamen Virginis Mariæ, quod Paula certe non præteriisset, tacet omnino. Ex quo facile quisque intelligit non solum posteriori ætate opinionem de obitu, & sepultura Mariæ in Urbe Hierosolymitana invaluisse; sed falsum præterea esse auctorem epistolæ eidem Hieronymo inscriptæ, in qua hæc habentur: *Monstratur autem Sepulchrum ejus* (ideſt Virginis) *cernentibus nobis, usque ad præsens in vallis Josaphat medio. . . quod tu, o Paula, oculis aspexisti.*

Hier ad Euſth. Epiſt. 108.

Ephesi B. Virgo Maria obiit.

4. Ad veritatem igitur ii magis accedere videntur, qui Beatissimam Virginem Ephesi e vivis excessisse contendunt. Si enim Christus antequam moreretur eam vehementer Joanni Apostolo commendavit, atque hunc Ephesum longo post tempore incoluisse compertum est; quid quæso probabilius, quam ipsam Joanni eam in urbem proficiscenti, sese comitem adjunxisse, ibique ad obitum usque permansisse? Rursus in epistola, quam An. 431. Clero, Populoque Constantinopolitano dederunt Patres Oecumenici Ephesini Concilii, proditum est Nestorium damnatum fuisse Ephesi in Principe Ecclesia, *in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria*; Constat porro verbum hic deesse, supplendumque, ex doctissimorum virorum sententia *sunt*, vel *fuerunt*. Quod si forte legendum potius existimes *aliquando habitaverunt*, *aut ædes habent*, *aut in magno honore habentur*, quæ nonnullorum quidem opinio fuit, nihil hoc tamen impediet, quin Mariam Ephesi mortuam arbitreris. Quoto vero tempore Virginis Deiparæ corpus in tumulo permanserit, quando fuerit a mortuis excitatum, & Cælis denique illatum, pluribus tradunt Pseudo Melito, Pseudo Dionysius, Andreas Cretensis, Damascenus, Nicephorus, Metaphrastes, aliique, quorum testimonia nuper diligentissime collegit vir longe clarissimus Jo. Chrisostomus Trombellius. Nos ab his consulto abstinentes, id solum cum Usuardo animadvertimus: *plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire; quam aliquid frivolum, & Apocryphum inde tenendo docere.* Neque id eo a nobis dictum quisquam existimet, ac si corpoream Virginis in Cælum assumptionem inficiemur,

Joan. cap. 19.

Hieron. de Vir. Ill. in Joann. Apoſtol. t. 9.

Hard. Concil. tom. t. p. 1443.

Tillemont. Not. 16. *in B. Virg. Baillet die* 15. *Aug. Serry Exercit.* 65.

Natal. Alex. hiſt. Eccleſ. ſæc. art. 3 5.

Mariæ SS. Vita ac Geſta To. iv. Diſſert. 46.

Martyrol. Uſuard. die 15. *Aug.*

mur, ejusque sollemne adeò in Ecclesia festum improbemus. Negamus quidem veluti fidei dogma habendum esse Deiparam a mortuis fuisse excitatam, & corpore etiam cœlis illatam; sed fatemur simul, ac dicimus adeo probabile, & Ecclesiæ monitis consentaneum, ut negari sine temeritate nequeat &c. *Quot enim sunt*, inquit adposite Thomassinus, *quæ cum minime rata sint, & divina fide nixa, ad examen tamen revocare non licet? Tollenda prorsus esset omnis humani generis societas, si cohiberi oporteret assensum, quoties non suppetit evidens ratio, vel auctoritas, quæ errori non sit obnoxia.* Porro Virginis assumptionem apertissime testantur Cyrillus Alexandrinus, Gregorius magnus, & Turonensis, Idelsonsus, Damascenus, Petrus Damiani, Bernardus, Fulbertus Abbas, Petrus Blesensis, Nicolaus Rom. Pontifex, aliique Patres & summa in Ecclesia auctoritate scriptores innumeri, quos infinitum pene esset hic recensere. Confirmant vetustissima Martyrologia, Kalendaria, Missales, ceterique Rituales libri, quos in Italia, Hispania, Gallia, aliisque Regionibus antiquitus obtinuisse compertum est. Ejus autem diem festum ab antiquissimis usque temporibus universa, qua late patet, Ecclesia sollemniter celebravit, recolitque adhuc non in Occidente tantum, sed etiam in Oriente; iis quoque consentientibus, qui a Romana communione diuturno Schismate sejunguntur. *Neque putandum est*, inquit Baronius, quod derogatum sit Virginis gloriæ, eo quod isthæc obscura aliquandiu remanserint, *quippe quæ ut sol alter, radiorum suorum fulgoribus splendens, non tantum nulla valuerit offundi ob Scriptorum inopiam densa caligine, sed in his tenebris multo splendidius jubar ejus effulserit. Etenim quænam pars est Orbis Catholici, ubi ejus transitus, & assumptionis celebritas, celeberrimo cultu annua quaque die non repetatur? nam secundum illud propheticum a se dictum, & ab Evangelista scriptum oraculum: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, omnes prorsus superatæ sunt temporum tenebræ amplissima ipsa sua gloria illustrata, ut eo majoribus appareat cumulata laudibus, & aucta præconiis, quominus illa acceperit aliunde.*

JESU CHR. AN. 48.

V. Lambertini, Benedicti XIV. annot. in Festum Assumpt. §. 115. Trombelli loc. cit. cap. 3.

Launoi de exscribendo Usuard. martyrol.

Joli dissert. de verbis Usuardi. Advocatus in dissert. contra Laun. de Virg. assumpt.

Thomass. de festis lib. 2. c. 20.

Homil. de Dormit. Mar. in Synod. Hierosolym. An. 1672.

To. 8. Concil. Greg. Magn. in Sacrament. in secreta Missæ assumpt.

Greg. Turon. de mirac. cap. 4. Idesf. serm. 6. de Assumpt. Fulbertus, Petrus Blesf., Bernardus serm. de assumpt.

Apud Mabill. Lyturg. Gallic.

V. Synod. Hierosolymit. an. 1672. apud Hard. T. xi. p. 159.

Martyrol. Rom. 15. Aug.

Mænolog. Græc. Bar. an. 48. 9.

5. Postquam Imperii universi Censum, quem anno superiore inchoaverat, Claudius condidit, quo censa sunt LXIX. centena, & XLIV millia Civium, Ostiam Sacrificii, reique frumentariæ gratia

Census a Claudio conditus & Messallinæ Augustæ cædes.

JESU CHR. AN. 48.

tia profectus est. Interea vero Messallina perditæ luxuriæ femina, quæ facilitate adulterorum in fastidium versa ad incognitas libidines profluebat, abrupta dissimulatione, post cetera flagitia, atque dedecora C. Silio Consuli designato nupsit, & cuncta nuptiarum sollemnia publice, palamque celebravit: Quod cum Narcisi liberti opera Cæsari delatum fuisset, Silius, aliique sontium plurimi, Narciso eodem cædem properante, extremo supplicio affecti sunt: Messallina vero in Lucullianis Hortis ferrum frustra jugulo, ac pectori per trepidationem admovens, ictu Tribuni transfixa. Ejus corpus Matri Lepidæ concessum; Nomen vero & effigies privatis, ac publicis locis consulto Senatus abolitæ.

V. Plinius l. 10. 2. Cassiodorus in Chronico, Solinus cap. 35. Tacitus annal. lib. xi.

Herodes Rex Chalcidis moritur.

6. Porro cum Herodes Rex Chalcidis vita hoc anno excessisset, & Judææam Cumanus Tiberii successor procuraret, conflata Hierosolymis seditio est, quæ Judæorum multis exitio fuit. Veritus Cumanus, ne magna vis hominum, quæ ad festum Paschæ diem celebrandum undique convenerat, quid novi forte moliretur; jussit militum cohortem sumptis armis stare ad Templi porticus, & si qui fierent tumultus comprimere: Id quod & alii ante eum Judææ Procuratores facere consueverunt. Verum cum quarta festivitatis die miles quidam nudata genitalia populo ostendisset; id inique ferentes Judæi, clamantesque non se, sed Deum contumelia nefarie affici, & turbas facere, & convicia in Cumanum jactare ausi sunt, quod petulantem militem summisisset. Ut a seditione festi tempore abstinerent, rogavit primo Cumanus; dein vero multitudine vehementius furente, exercitum universum sumptis armis in Antoniam illico convenire jussit. Ad militum itaque conspectum metu percussa multitudo fugam propere arripuit, cumque anguſti essent viarum exitus, rati a tergo hostem insequi, contrusique inter fugiendum, multi mutua compressione interierunt. Viginti hominum millia periisse memorat hoc loco Josephus, sed mendum librariorum vitio in numerum irrepsisse conjicimus, putamusque præferendam lectionem librorum de Bello Judaico; in quibus *supra decem millia* Hebræorum in illo tumultu interiisse verosimilius traditur; quamquam in Eusebii Chronico defunctorum *circiter triginta millia numerentur*.

Judæorum ira in Rom. milites. *Joseph. lib. 20. cap. 5.*

Joseph. de Bello Jud. l. 2. c. 11.

Interea vero quidam, qui cito Hierosolyma effugerant, centesimo ab urbe stadio Stephanum Cæsaris servum in via publica aggressi rebus omnibus spo-

ſpoliarunt. Quod ubi Cumano nunciatum eſt, eo milites conſeſtim, miſit mandavitque, ut vicos, loco propinquos diriperent, & ex illis nobiliſſimos quoſque in vinculis ad ſe adducerent. Dum autem ibi omnia vaſtarentur, miles quidam, Leges Moſaycas in quodam vico repoſitas nactus, eas in omnium conſpectu additis conviciis in fruſta diſcerpſit. Quamobrem, magno facto concurſu, ſeſe ad Cumanum Cæſareæ agentem contulerunt, rogaruntque, ut non ipſis, ſed Deo inlatam injuriam ulciſceretur. Qui veritus ne multitudo turbas iterum concitaret, militem, qui legibus contumeliam fecerat, ſecuri percuſſit, novoſque tumultus opportune cohibuit. JESU CHR. AN. 48.

JESU CHRISTI AN. 49. PETRI APOST. AN. 18.
ROM. PONT. AN. 7. CLAUDII IMP. AN. 9.
COSS. C. POMPEIO LONGINO GALLO, ET Q. VERRANIO NEPOTE
AN. URBIS 802. OLYMP. 207. AN. 1.

1. Non in Judæa ſolum, ſed Romæ etiam turbas aſſidue miſcebant Judæi; idque in cauſſa fuit, quamobrem juſſit hoc anno Claudius omnes ab Urbe exulare, uti eſt a Svetonio litteris proditum: *Judæos impulſore Cheſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*. Cum enim Judæorum aliqui Chriſtum Meſſiam eſſe defenderent, & prædicatam ab ipſo, ejuſque Apoſtolis fidem amplectererentur, alii contra negarent; hinc diſſidia & tumultus inter eos aſſidue oriebantur, quos ethnicus Scriptor expers rerum Chriſtianarum, ipſomet Chriſto auctore excitatos perperam tradidit. *Cheſti* autem nomine Chriſtum a Svetonio indicari, quamvis inficientur Uſſerius, Hilſcherus, aliique perpauci, ceteris tamen omnibus eſt omnino, & jure ſane perſuaſum. Nam ut omittamus veteres Svetonii locum de Chriſto intellexiſſe, teſtata res eſt Chriſtum ab Ethnicis ſæpe fuiſſe vocatum Chreſtum. Porro cum nulla ratio ſit, cur alium quempiam a Svetonio memoratum fuiſſe putemus, cujus cauſſa tumultus inter Judæos Romæ fierent, fateamur neceſſe eſt, de Chriſto Svetonium eſſe loquutum. Quid quod Lucas non Judæos modo, ſed Chriſtianos quoque ex Urbe ſimul ejectos fuiſſe memoravit? Quod nemo ſane mirabitur, qui noverit Ethnicos initio Chriſtianam religionem veluti quamdam Judaiſmi ſectam habuiſſe, ideoque Chriſtianos Judæorum nomine indicaſſe. Judæi & Chriſtiani Roma expulſi. *In Claudio cap. 25.* *Annal. p. 666. Diſſert. de Chriſto. lipſiæ 1697.* *Oroſius lib. 7. cap. 6. V. Tacit. Annal. lib. XV. cap. XLIV.* *Actor. c. xviij. ver. 1. ſeq.*

JESU CHR. AN. 49.

2. Porro Claudium hoc ipso nono imperii anno Judæos ab Urbe expulisse nemo negat, si Panvinium, & Basnagium excipias; quorum alter sexto, alter anno tantum undecimo id accidisse arbitratur. At neuter sane audiendus. Nam quæ ad communem sententiam oppugnandam a Basnagio præfertim afferuntur, adeo inepta sunt, ut ne refellere quidem oporteret. Et profecto nisi summa veteres Ecclesiæ Scriptores carpendi libidine abreptus Basnagius ad hæc accessisset, facile quidem intellexisset se inepte satis Judæorum ab Urbe expulsionem in undecimum Claudii annum rejicere, quod eo labente Dorti conjurationem contigisse, est a Josepho traditum. Si enim vel ipso contra Usserium adsentiente, *Chrestus*, quo impulsore Judæi tumultuabantur, est ipse Christus Dominus; certe ob tumultus christianæ Religionis causa excitatos, non ob civiles conjurationes Judæos Roma exulasse fateatur necesse est. Constat præterea hanc eis a Cæsare pœnam illatam fuisse ob turbas tantum, quas Urbe in ipsa, non vero in provinciis longissimo intervallo dissitis, assidue miscebant. Denique si secum animo reputasset non ob novum aliquem, memorandumque tumultum, sed quod assidue inter se tumultuarentur, Urbe Claudii edicto excessisse Judæos, non adeo quidem miratus fuisset *anno Claudii nono nullum tumultus Judaici vestigium apparere in Historia*. Cum itaque Judæos, æque ac Christianos Claudii Edictum attigisse ex ipsis Apostolorum actis compertum plane sit, vix dubitamus Petrum Apostolum hoc ipso anno Roma abiisse, quem sequenti Concilio Hierosolymitano præfuisse, paullo post videbimus.

Basnagius refellitur.

Panviniut in Fastis. Ad Ann. 51. num. 69.

3. Quamvis Claudius post Mesalinæ cædem pro concione apud Prætorianos confirmasset, *quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in cœlibatu*; Agrippinæ tamen, Germanici fratris sui filiæ, illecebris pellectus, eam in uxorem ducere constituit. Cum vero ad id tempus Patrui cum fratris filia conjugium incestum haberetur, subornavit proximo Senatu, qui censeret cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi Reipublicæ maxime interesset; dein Curiam ingressus Decretum postulavit, quo justæ inter patruos, fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur: Ac vix uno interposito die, nuptiarum sollemnia celebravit.

Claudii cum Agrippina nuptiæ.

Suetonius in Claudio cap. 26. Tacitus Annal. lib. xii.

4. Prodidit Josephus Bellum Judaicum cœpisse *duodecimo anno Imperii Neronis, decimo septimo autem Regni Agrippæ, Mense majo*. Jam vero cum duodecimus Neronis annus, qui cum anno

Agrippa Rex Chalcidis creatur.

anno decimoſeptimo Agrippæ Regis concurrebat, in annum Dionyſianum 66. incidat, a quo ſi decem & ſeptem Regni Agrippæ detrahas, in labentem 49. pervenies; certo conſtat Agrippam Agrippæ filium patruo Herodi defuncto, Claudii Cæſaris indulgentia, in Chalcidis Regno hoc anno ſucceſſiſſe. JESU CHR. AN. 49.

Pag. not. 2. an. 48.

JESU CHRISTI AN. 50. PETRI APOST. AN. 19.
ROM. PONT. AN. 8. CLAUDII IMP. 10.
COSS. C. ANTISTIO VETERE, ET M. SUILLIO RUFO SERVILIANO
AN. URBIS 803. OLYMP. 207. AN. 2.

1. Chriſti anno quinquageſimo Concilium celebratum eſt Hieroſolymis, cui Apoſtoli Petrus, & Paulus, Jacobus, & Joannes una cum illius Eccleſiæ ſenioribus adfuerunt. Quid autem in cauſſa fuerit, cur illa Synodus haberetur, Lucas in actis prodidit. Paulo & Barnaba Antiochiæ verſantibus, *Quidam deſcendentes de Judæa docebant Fratres: quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſis, non poteſtis ſalvari. Facta ergo ſeditione non minima Paulo, & Barnabæ adverſus illos, ſtatuerunt, ut aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apoſtolos, & Presbyteros in Jeruſalem ſuper hac quæſtione. Illi ergo deducti ab Eccleſia pertranſibant Phœnicem, & Samariam, narrantes converſionem Gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem veniſſent Jeroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & ſenioribus, annunciantes quanta Deus feciſſet cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi.* Hieroſolymis Concilium celebrant Apoſtoli. *Act. 14. & 15.*

2. A Cerintho excitatas fuiſſe turbas tradiderunt Epiphanius, Philaſtrius, aliique veteres, quibus & recentiorum quidam accedunt: Quin tamen horum probemus ſententiam, obſtant Lucæ modo allata verba: *Quidam deſcendentes de Judæa docebant fratres*: Et: *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderant dicentes: quia oportet circumcidi eos*. Cerinthum enim Phariſæorum ducem fuiſſe a nemine traditur. Præterea apud Auguſtinum, Theodoretum, Irenæum, & Euſebium, qui de Cerintho pluribus egerunt, ne veſtigium quidem Qui quæſtionem de circumciſione agitaverint. *Epiph. hæreſ. 28. Philaſt. de hæreſi cap. 2. Bar. an. 51. 5. Nat. Alex. hiſt. Eccleſ. ſec. 1. cap. 11. art. 5. Cavens in Cerintho.*

JESU CHR. AN. 50.

dem hujus ab eo motæ seditionis occurrit. His accedit vero haud simile videri, Cerinthum hoc tempore tantum auctoritate valuisse, ut potuerit in Ecclesia tumultus excitare. Cum enim non Irenæo solum, & Tertulliano, sed vel ipsis Epiphanio & Philastrio auctoribus, post Valentinum & Carpocratem floruerit Cerinthus, facile quisque intelligit ipsum nonnisi primo extremo seculo, & altero ineunte impia dogmata vulgare potuisse. *Post Carpocratem Cerinthus erupit*, inquit Tertullianus; Epiphanius vero: *Post Carpocratem sequitur Cerinthus*. Monet denique Clemens Alexandrinus primos hæresum auctores (inter quos numerandi Carpocrates, Cerinthus, Basilides &c.) *Circa tempora Adriani Cæsaris fuisse, & perveniisse usque ad ætatem Antonini natu majoris*.

Iren. de hæresibus. Euseb. lib. cap. 26.

Tertull. de præscript. 41.

Clem. Alexand. stromat lib. 7.

3. Porro Hierosolymitanum Concilium hoc ipso anno habitum fuisse, ex eo præsertim intelligimus, quod Patres, ceterique Ecclesiæ Scriptores ferme consentiunt Pauli adventum Hierosolymam, quem Lucas memorat, ut vidimus, non alium esse ab eo, cujus Paulus ipse in Epistola ad Galatas meminit his verbis: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto Tito*. Hæc certe sunt Patrum, & veterum Scriptorum pene omnium sententia, quam secuti sunt quotquot cum superiore, tum hac nostra ætate de hoc Hierosolymitano Pauli itinere disputarunt. Dissentit tamen Basnagius, & negat de una eademque profectione Lucam, & Paulum esse intelligendos. Cum enim Lucas affirmet Apostolum Ecclesiæ Antiochenæ decreto Hierosolymam profectum fuisse; Paulus vero in Epistola ad Galatas scribat sese ad eam urbem ex revelatione contulisse; ex hac causarum varietate sibi omnino persuasit itinerum quoque varietatem evidenter ostendi. Verum dum Basnagius futili adeo ratione communem ferme opinionem oppugnandam suscepit, temere, inconsiderateque, quod ipse Baronio exprobrat, fecisse sane videtur. Quid enim, uti jamdiu Estius animadvertit, prohibet quo minus dicamus, & Divinitatis instinctu, & Antiochenæ simul Ecclesiæ mandato Paulum Hierosolymam ascendisse? Exploratum quidem est, Petrum cum divino monitu, tum legatorum Centurionis postulationibus profectum fuisse Cæsaream.

Act. 15.

Ad Galat. 2.

Bar. an. 51. 7. Clericus an. 49. Pearf. in acta Apost. Basnagius ad an. 50. num. 4. & 5. Cap. 2.

Estius ad cap. 2. Epist. ad Galates.

4. Deinde & illud hic prænotandum occurrit, Paulum scilicet antequam Synodo quæstionem publice dirimendam pro-

Paulus cum Apostolis de Legis Mosaycæ observantia privatim confert.

De tempore Concilii Hierosolym.

poneret, de eadem cum Petro, Jacobo, & Joanne privatim deliberasse: De re enim maxima agebatur, utrum videlicet qui ex gentibus Christi fidem susceperant a Mosaycorum rituum observantia essent absolvendi, an vero illos cum Evangelio custodire oporteret, quod Judæorum plurimi paternæ legis & avitarum traditionum plus æquo studiosi vehementissime contendebant. *Ascendi autem*, inquit Apostolus, *secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem*: deinde: *cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ &c.* Paulo nimirum assensi sunt & ceteri Apostoli, atque a legis Mosaycæ ritibus absolvendos esse fideles censuerunt; resistentibus licet magno numero Judæis, quibus se neque ad horam cessisse, Paulus ibidem testatur. Jesu Chr. an. 50. *Galat.* 2.

5. His prænotatis, quæ in Concilio gesta fuerint videamus. *Convenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*, (ideſt de quæstione Legis Mosaycæ); *cum autem magna inquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum, quod nec patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* Hactenus Petrus, cujus *in sententiam*, inquit Hieronymus, *Jacobus Apostolus, & omnes simul presbyteri transierunt*. Primatus autem jure Petrum Synodo præfuisse, & primum sententiam dixisse adeo patet, ut id vel inviti fateantur Heterodoxorum doctissimi; quamvis pro summo suo in Romanum Pontificem, & Pontificatum odio, ordinis tantum, uti vocant, non Jurisdictionis Petri Primatum fuisse falso affirment. *Quis porro Synodi Princeps fuerit, in dubitationem adducitur, Nos Petro potius, quam Jacobo eam assignamus provinciam; ut enim Petri privilegia mittamus, qui ordine ceteros eminebat Apostolos, Ecclesiæque tum Judææ, tum Ethnicæ conditorem egerat, quod primus de oborta quæstione promulgarit in Synodo sententiam, ex eo ducimus argumentum*

Concilium Apostolorum, qua forma celebratum.

Hieron. ad August. epist. 112. nam. 7.

Petrus Synodi Præses primus sententiam dicit.

JESU CHR. AN. 50. *Ad ann. 50. 20.*

tum Synodi præfecturam esse Petro assignandam. Quippe illis temporibus id moris fuit, ut primæ suffragii ferendi partes præsidis forent. Hæc ex Protestantium grege Basnagius; cui congruit Dodwellus in dissert. inter Cyprianicas septima de Unitatis Principio.

Decreta legatio ad Antiochenos.

6. Jam vero, *Locuto Petro*, inquit Lucas, *tacuit omnis multitudo, & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in Gentibus per eos. Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Jacobus, dicens: Simon narravit quemadmodum primum Deus viſitavit ſumere ex Gentibus Populum nomini ſuo. Et huic concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt: Poſt hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud: ut requirant ceteri hominum Dominum, & omnes Gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Notum a ſæculo eſt Domino opus ſuum. Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum: ſed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, a ſuffocatis, & ſanguine. Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* His auditis, *placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primos in fratribus, ſcribentes per manus eorum.* Epiſtola autem fuit ejuſmodi:

Epiſtola Apoſtolorum ſynodica.

7. *Apoſtoli, & ſeniores Fratres, his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus ſalutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas veſtras, quibus non manduvimus: placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos cum cariſſimis noſtris Barnaba, & Paulo, hominibus qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Miſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem. Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: a quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete.* Hactenus allata de Concilio Hieroſolymitano memoriæ prodidit Lucas; verum ex Pauli epiſtola ad Galatas intelligimus ejuſdem præ-

præterea Concilii ſententia ſancitum fuiſſe, ut Paulus, & Barnabas Gentium, Petrus vero, Jacobus, & Joannes Circumciſorum curam ſuſciperent: *Cum vidiſſent, quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes) & cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis: ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem: tantum ut pauperum memores eſſemus. Quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.* JESU CHR. AN. 50. *Galat 2. Diſſinctio Apoſtolatus.*

8. Cenſuit itaque primum Synodus, ut *a contaminationibus*, ſeu *ab immolatis ſimulacrorum* fideles abſtinerent, ne videlicet Idolothyto polluerentur. Porro ii pollui vere putabantur, qui in *Idolio*, uti loquitur Paulus, ſeu loco, in quo ſacrificatum Idolo fuerat, de immolatitiis, & oblatis comedebant. *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum, non poteſtis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Idem quippe erat iis menſis adeſſe, & oblatis veſci, ac ſacrificio participem fieri; quod Judæis, & Chriſtianis vetitum omnino erat. Sacrarum hujuſmodi epularum & innumera occurrunt apud ethnicos ſcriptores exempla; & meminit in Apologetico Tertullianus: *Herculanarum decimarum, & pollu&orum ſumptus tabulari ſuppeditabunt, Apatariis, Dionyſiis, myſteriis atticis, coquorum delectus indicentur, ad fumum cænæ Seraticæ Sparteoli excitabuntur.* De eiſdem autem ita Canone quarto ſtatuit Synodus Ancyrana. *De his qui ſacrificare coacti ſunt, inſuper in templis Idolorum cænaverunt, ſi qui eorum cum habitu cultiori ad templa perducti ſunt, atque ibi pretioſiore veſte adhuc mutata, cænæ participes facti ſunt Idolorum, indifferenter ſumentes omnia, quæ fuerunt appoſita, placuit eos inter audientes uno anno conſtitui, tribus autem aliis annis agere pœnitentiam.* Neque vero ſacrum ſolum, ſed commune etiam Idolothytorum uſum a Concilio prohibitum exiſtimamus. Nam ſi ſacrificiorum, oblationumque reliquiæ vel communi menſæ apponerentur, vel in macello venales proſtarent, iis quidem veſci fideles abſque crimine potuiſſent: *De eſcis*, enim inquit Paulus, *quæ Idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum, & omne quod in macello venit, manducate nihil interrogantes propter conſcientiam; ſi quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponi-*

De Synodi decreto & Canonibus.

Ad Coriuth. ep. 1. 10.

Exod. 34. 15. Valer. Max. lib. 2. 1. Virgil. Æneid. lib. 8. Petito cap. 14. Tertull. Apolog. 39.

Ad Corinth. 8. 10.

JESU CHR. AN. 50.

ponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam, si quis autem dixerit hoc immolatum est Idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit. Cum tamen id essent imbecilliori-bus scandalo, & iis præcipue, qui ex Judaismo fidem susceperant; cautum idcirco ab Apostolis, ut ne in communi quoque mensa Idolothitis uterentur fideles. Jam vero cum ab Augustino quæsitum esset, an gravissima urgente fame in ipso templo pollutis cibis vesci liceret, hæc ad Publicolam respondit: *Aut certum est esse Idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse, melius christiana virtute respuitur. Si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo necessitatis scrupulo in usum necessitatis assumitur.* Natalis Alexander ciborum in idolio inventorum *usum absolute, & seclu-so scandali periculo spectatum, illicitum non esse statuit. Addit etiam, Augustinum non dixisse fidelem peccaturum, si cibos immolatitios comedat.* Quod autem christiana virtute cum laude respuitur, an sine culpa possit usurpari, uti contendit Natalis, nobis incompertum est; si enim secluso etiam scandalo innocuus esset hujusmodi cibus, christiana virtute respui non posset cum vitæ detrimento; ea quippe animi fortitudo dici non potest, quæ sine causa, aut necessitate in magnum vitæ discrimen adducit.

Aug. ep. 47.

Nat. Alex. Sec. 1. Dissert. 9.

De abstinentia a suffocato.

9. Præter Idolothytorum, suffocati etiam constat a Synodo fuisse fidelibus esum prohibitum. Hujus quidem non meminerunt veterum plurimi, qui reliqua ceteroquin Concilii decreta recensent. Nam Irenæus hæc tantum habet: *Placuit Spiritui Sancto &c. . . . Ut abstineatis ab Idolothytis, & sanguine, & fornicatione.* Tertullianus *necesse est a sacrificiis, & a fornicatione, & sanguine . . .* & Cyprianus, *abstinete vos ab Idololatriis, & sanguinis effusione, & fornicatione.* Similiter & alii Patres, quorum omnium verba hic afferre supervacaneum arbitramur. At suffocati vocem legerunt in Apostolico Decreto Origenes, Chrysostomus, Oecumenicus ac passim Græci Patres; eaque vox ter Græcis in Exemplaribus legitur, bis actorum 15., & iterum cap. 21. v. 15: Additamentum autem tot locis irrepsisse haud vero videtur simile. Porro cur eam Patres aliquot omiserint, illud fortasse fuit in causa, quod in sanguinis prohibitione illam etiam suffocati contineri existimarunt; non enim suffocato vesci quis poterat, nisi sanguinem simul comederet. Ceterum, cum alius prorsus esset

Iren. lib. 3. 12.

Tertull. de pudic. 12.

Cyprian. ad Quirinum l. 3.

Pacian. de pœnit.

Ambrest. after in epist. ad Galat.

esset esus sanguinis in suffocato contenti, & sanguinis effusi, atque a ceteris animalium partibus sejuncti, hunc potissimum damnarunt Apostoli iis verbis *abstineatis a sanguine*. Jesu Chr. an. 50.

10. Sanguinis esus non solum Levitici 17. vetitus Judæis fuerat, sed & inter præcepta Noemo data hæc etiam leguntur: *Omne quod movetur, & vivit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia: excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis*: & iterum, *Homo, qui comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est*. Ex Rabinorum disciplina hanc legem pluribus illustravit Seldenus; & ad moralia pertinere ineptissime aliquot ex heterodoxis tradiderunt, Curcellæus scilicet, & cum eo Grotius, Salmasius, Joannes Vossius, & Christianus Beckmannus. Hujusmodi autem sententiæ has afferunt rationes: Præcepti antiquitatem; Animalium in sanguine eorumdem animam existere; Noachi præceptum de abstinendo a sanguine ad quintum Decalogi quodammodo referri, in quo sancitum est: *Hominem non occides*; Denique sanguinis abstinentiam inter ea recenseri, quæ observatu necessaria decreto Apostolico statuuntur. Verum quid his quæso ineptius poterat excogitari? Principio enim constat plurima antiquitus Deum hominibus præcepisse in Sacrificiis, ceterisque religiosi cultus cæremoniis omnino servanda; quæ tamen licet antiquissima, ad moralia præcepta pertinere, nemo, uti quidem arbitramur, existimabit: Hinc autem facile quisque intelligit, quam futile sit, quod ex præcepti antiquitate petitur argumentum. Constat præterea non vere, sed figurate tantum, ac metaphorice dictum fuisse Animalium animam in sanguine esse, quatenus scilicet pro anima hominis, quæ peccaverat, victimarum sanguis veluti vicaria quodammodo anima expiandis sceleribus effundebatur. Postremo quamvis Apostolico decreto cautum sit, ut fideles a sanguine abstinerent, non inde tamen efficitur id ad salutem fuisse absolute necessarium, sed tantum ob commune Christianorum bonum, & pacem in Ecclesia fovendam; ut scilicet fideles, qui ex gentibus crediderant, cum Judæis ex circumcisione venientibus arctius coalescerent, fraternaque caritate jungerentur: Vix enim fieri potuisset, ut Judæi, qui reliquis eo tempore fidelibus numero, & dignitate præstabant, mutuam cum iis societatem inirent, eosque ex animo diligerent, qui vetito

De abstinentia a sanguine.

Genes. 9.

Levit 17.

Selden de jure nat. lib. 7. 1.

Curcell. Dissertat. de esu sanguinis. Grot. in Gen. cap. 9 Salmas de fœnore trapez. Beckman. exercit. Theolog. n. 26.

Gen. 2.

JESU CHR. AN. 50.

cibo uterentur. Id autem adeo verum est, ut hoc scandali periculo sublato, Apostolicum etiam de abstinendo a sanguine decretum fuerit antiquatum.

Abstinentia a sanguine ad seculum decimum fere servata.

11. Quamquam nos quidem non latet hanc legem non Apostolorum tantum ætate viguisse; sed sequentibus quoque seculis sæpius fuisse a Patribus instauratam. Inter eos, qui sub Apostolorum nomine circumferuntur Canones, hic occurrit: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicumque ex Sacerdotali consortio comederit carnes in sanguine animæ ejus, aut a bestiis abreptum, aut suffocatum, deponatur.* Eadem ferme confirmarunt Canone 2. IV. seculo Concilium Gangrense, VI. Aurelianense secundum Canone 20., VII. Trullana Synodus Canone 67., VIII. Zacharias Pontifex epistola ad Bonifacium, IX. Synodus Wormatiensis. His congruunt libri Pœnitentiales quamplurimi, quibus addenda sunt Patrum, Scriptorumque testimonia ad decimum fere seculum, & ultra: Hæc enim ad Græcorum in Romanam Ecclesiam calumnias refellendas Umbertum Cardinalem publice professum fuisse compertum est: *Antiquam consuetudinem, seu traditionem majorum nostrorum diligenter retinemus, nos quoque hæc abominamur: adeo ut sanguine, vel quocunque morticino, aut aquis, seu quacumque negligentia præfocato, apud nos aliquando vescentibus, absque extremo periculo vitæ hujus pœnitentia gravis imponatur.* Rursus anno christianæ æræ 1124. ex Latinorum disciplina sanguinis & suffocatorum usum prohibitum fuisse ex Urspergensi Abbate intelligimus: *Anno Dominicæ Incarnationis 1124. Indictione secunda, Calixto Papa II. Romanæ Sedi præsidente, Otto Dei gratia Bambergensis Ecclesiæ Episcopus, divino admonitus instinctu, prædicti Apostoli auctoritate, & assensu roboratus, partes Pomeranorum Paganorum cum quibusdam civitatibus terræ Lutitiæ aggressus est, ut eos ab errore suo revocaret.* Quanam vero religione Otto teneras Pomeranorum mentes imbuit? *Domos Idolorum non construunt; Pythonissas non adeant; fortilegi non sint; ne quid immundum comedant, non morticinia, non suffocatum, neque Idolothytum, neque sanguinem animalium, ne communicent Paganis.* Itaque uti minus vere a Natali Alexandro, viro alioquin doctissimo, affirmatum est, tempore Augustini jam abrogatam fuisse Apostolicam legem de sanguinis abstinentia; ita de ejusdem observantia aliquantulum ea ætate remissum Augustinus ipse verbis apertissimis admonet: *Ubi Ecclesia gentium talis esse-*

Can. Apost.

Epist. 12. Tom. 6. Concil. Labb.

Leonis Imp. Novell. 58. Biblioth. PP. tom. 18.

Ursperg. an. 1124.

Nat. Alex. sec. 1. dissert. 10.

Aug. lib. 32. contra Faustum.

JESU CHR. AN. 50.

effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quorum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? & qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur. Verum si cui plura de Christianorum a suffocato, & sanguine abstinentia forte videre lubet, adeat præsertim Alexandrum, qui rem eruditissime, uti solet, est persequutus; ex acatholicis vero Seldenum, Spencerum, Basnagium.

De jure nat. Heb. lib. 7. De lib. ritual. Hebr. lib. 2.

Basnag. an. 50.

12. Ad extremum fornicationem in Apostolico Concilio vetitam Synodicæ epistolæ verba manifeste declarant. Quamvis enim naturali quoque jure prohiberetur; cavendum tamen nova hac lege Apostoli sapientissime judicarunt, ne gentium erroribus forte decepti fideles existimarent nullo, vel saltem levi admodum crimine fornicatores obstringi. Nam eo cœcitatis Ethnici pervenerant, ut non modo fornicationem culpæ expertem crederent, sed & in Deorum honorem impie patrarent.

Fornicatio a Concilio vetita.

Euseb. lib. 3. de vita Constant. cap. 55. 58. Strabo lib. 12. Julius Firmicus de erroribus prof. relig. Joseph. l. 8. 4.

13. Quod autem Paulus ac Barnabas Gentium, Petrus Judæorum ad fidem venientium curam susceperit jussi sunt, *ne patet*, inquit Baronius, *contra divinam institutionem id esse sancitum; quasi cura totius gregis olim (quod vidimus) Petro a Christo commissa, hujus decreto Concilii fuerit limitata, vel subtracta prædicatio ad Gentes illi divinitus impartita, quando ostenso illi cælitus linteo, dictum fuit: occide & manduca; quo signo (ut ipse in hoc eodem conventu testatus est) accepit a Deo Apostolatum in Gentes; nam ait: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere. Delirare plane mentis esset, existimare ab Apostolis esse labefactatum, quod a Deo sciverant institutum. Nulla ergo abrogatio juris concessi, vel provinciarum facta est in eo Concilio limitatio. Non enim ea sic est facta divisio, ut alter ab alterius abstineret Apostolatu: alioquin & transgressor Apostolicæ Sanctionis Paulus plane habendus esset, qui non occasione quadam aliquando divertit ad Judæos, sed (quod Lucas demonstrat) ipso primo ingressu, ubi Judæi conventum agerent, requirebat, illisque Evangelium prædicabat: sic enim Philippis feciſſe videmus, sic Thessalonicæ etiam sæpius, Athenis itidem, & Corinthi, idemque Ephesi frequenter; nam tres menses ibi sermones habuit in synagoga cum Judæis: id ipsum Troade, ac denique Romæ; ubi licet*

Petri Apostolatus in Judæos, & Pauli in Gentes quo sensu accipiendus.

Bar. an. 51. 26.

Act. 16.

Act. 17. Act 18. Act. 19. Act. 20.

JESU CHR. AN. 50.

licet minus liberum illi esset ex more synagogas Judæorum adire, quod retineretur sub custodia, tamen ipse continuo primores Judæorum accersivit, ut illis Evangelicam gratiam impartiretur. Sicque videas ipsum, cui cura Gentium credita erat, primum omnium quæsisse Judæos ad fidem adducere, atque in ea functione non modo (quod lege permissum erat) derelictas post messem spicas tantum collegisse, vel transeundo convulsisse, sed in messem adhuc integram immisisse falcem, atque Judæis primum, inde vero Gentilibus Evangelium prædicasse. Quod & ipse apud Ephesios, pro concione eos alloquens, his verbis professus esse videtur, dum ait: Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, docens vos publice, & per domos, testificans Judæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Sed hæc ipsa idem Apostolus in omnibus ferme suis epistolis sæpius manifestat. Similiter & Petrus videtur feciſſe in Gentibus: nam quo jure Paulus, cui Gentes commissæ erant, id sibi concessum putavit, eodem & Petrus, immo & potiori, ut cui totius Ecclesiæ regimen creditum esset, idem licite usurpavit. Videas ex his igitur, non jurisdictionem, nec populos esse divisos, sed procurationem quamdam, atque illorum patrocinium fuisse distinctum, atque discretum: ceterum tam Judæorum, quam Gentium prædicationem fuisse inter eos communem constat.

Quare & Hieronymus hæc in eamdem sententiam litteris prodidit: *occulta hic oritur quæstio. Quid igitur Petrus si invenisset ex Gentibus aliquos, non eos adducebat ad fidem? aut Paulus ex circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi Baptismum provocabat? Quæ ita solvitur, ut dicamus, principale singulis in Judæos, & Gentes fuisse mandatum; ut qui defendebant legem, haberent quem sequerentur; qui legi gratiam præferebant, non deesset eis doctor & prævius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christo ex cunctis Gentibus Ecclesiam congregarent.*

Hieron. in epist. ad Gal. cap. 2.

Apostolatus nobilior Judæorum, quam Gentium.

14. Porro hac ratione fit manifestum, uti Baronius subdit, Paulo creditum esse Evangelium Gentium; Petro vero circumcisionis ministerium, ut honestissimo omnium titulo nobilitaretur. Eo ferme pacto, quo & Christum, qui venit omnes homines salvos facere, & apud quem non est distinctio Judæi & Græci, circumcisionis ministrum honoris caussa dictum fuisse novimus. *Dico Christum ministrum fuisse circumcisionis*: Ita Paulus, qui de

Rom. 15.

Ju-

Judæis in eadem Epistola differens, *horum*, inquit, *erat adoptio filiorum, gloria, testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Quemadmodum vero Christus Dominus noster ita dictus est minister circumcisionis, ut tamen esset pastor omnium, atque salvator; eadem pene ratione & Petrus circumcisionis administer est appellatus, quamvis universi gregis Pastor, ac moderator a Domino esset constitutus. *De toto mundo*, scribit apposite, sapienterque Leo Magnus, *unus Petrus eligitur, qui & universarum Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

JESU CHR. AN. 50. *Rom. 9.* *Act. 9.* *Leo Serm. 4. cap. 2. de sua assumpt. edit. Baller.*

15. Quod autem de Paulo Dominus dixit: *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel*; non id ita intelligendum putamus, ac si Gentium ante omnia, dein vero Judæorum conversioni vacare debuisset: Qui enim fieri potuisset, ut Antiochiam Syriæ cum Barnaba profectus semper Synagogas primum ingrederetur, Hebræisque Evangelium prædicaret? Quid, quod Judæis Antiochiæ Pisidiæ commorantibus hæc Paulum denunciasse compertum est? *Vobis primum oportebat loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Illud itaque solum Dominus significasse iis verbis videtur, fore nempe, ut Pauli prædicatione magna fieret ex Gentibus ad Christianam religionem accessio. Et sane quocumque sese contulit Apostolus, & Evangelium prædicavit, Gentes obsequentes, Judæos vero sibi semper adversantes invenit: ideoque in ea, quam Galatis scripsit, epistola, *Qui*, inquit, *operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes*: Et rursus in priore ad Corinthios capite nono ob Gentes ad fidem adductas se Apostolum esse certo confirmat: *Non sum Apostolus? Nonne opus meum vos estis in Domino?* Interea cum Judas, & Silas Concilii epistolam ad eos, qui ex Gentibus crediderant, & Antiochiæ versabantur, deferendam accepissent; *missi descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine, tradiderunt epistolam, quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione: Judas autem, & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmaverunt. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt*

Paulus cur dictus Apostolus Gentium.

Act. 13. *Galat. 2.* *1. Corinth. 9.* *Act. 15. 30.*

cum

JESU CHR. AN. 50.

cum pace a fratribus ad eos, qui miserant illos. Visum est autem Silæ ibi remanere: Judas autem solus abiit, Paulus autem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. Hactenus Lucas, qui cetera Antiochiæ gesta historiographi licentia, uti animadvertit Hieronymus, prætermisit; & potissimum contentionem inter Petrum & Paulum, de quibus anno sequenti nobis erit agendum.

Hieron. in epist. ad Gal. 2.

Claudius Imp. Neronem adoptat.

16. Quamvis Imperium successionis jure ad Britannicum pertineret, Domitium tamen, Fallante liberto auctore, Claudius adoptavit; eumque biennio majorem natu Britannico antepositi. Agrippinam præterea Augustam appellavit; quæ Tacito teste, *ut sociis quoque nationibus vim suam ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos, Coloniamque deduci* jussit, quæ *Colonia Agrippina* ex ejus nomine dicta, uti nostra etiam ætate Ubiorum Civitas appellatur.

Tacit. lib. 12. 27. Die lib. 60.

JESU CHRISTI AN. 51. PETRI APOSTOLI AN. 20.
ROM. PONT. AN. 9. CLAUDII IMP. II.
COSS. CLAUDIO AUG. V. ET SER. CORNELIO ORFITO.
AN. URB. 804. OLYMP. 207. AN. 3.

Paulus Apostolus Petrum reprehendit, quod non recte ageret.

1. Hoc, quem ingredimur, anno Christianæ æræ quinquagesimo primo labente contigit, ut Paulus Hierosolyma Antiochiam reversus Petrum in eadem urbe versantem reprehenderet: Rem ipse in epistola ad Galatas memorat his verbis: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in eam simulationem. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo cogis Gentes judaizare &c.* Fuerit ne Cephas, quem Paulus redarguit, alius a S. Petro, & an Petrus vere culpandus fuerit, cum antiquissima est, tum magnis difficultatibus impedita quæstio; in qua id potissimum cavendum sapienter admonet gravissimus hac nostra ætate Historiæ Ecclesiasticæ Scriptor, ne scilicet Petri culpa plus æquo exaggeretur, vel imminuatur. Adeo enim explicatu difficilis est hic Pauli locus, ut de ipsius inter-

Epist. ad Galat. 2.

Orsi tom. 1. hist. Eccles. n. 49.

terpretatione Hieronymus & Auguſtinus, ultro citroque datis litteris, inter ſe diu, vehementerque diſputaverint; & conſtet præterea ad eum veluti offenſionis lapidem impegiſſe viros alioqui doctiſſimos, quibus accenſendus pietate, doctrina, dignitate, Eminentiſſimus Annalium Parens, de quo idem ferme dici poſſe quis forte arbitrabitur, quod ipſe de Auguſtino pronunciavit, ubi inquit: *Non hi tantum.... in offenſionis lapidem offenderunt. Sed (quod quiſque mirari debet) S. Auguſtinus vertex Theologorum Petrum in crimen adduxit*: Et paullo poſt: *Ex his apparet plane quam ſcaber ſit hic locus, quem nec Auguſtinus, (venia tanti Patris dixerim) inoffenſo pede pertranſiit*. Vera enim docuiſſe Auguſtinum, atque in errorem abductum Baronium fuiſſe, infra apparebit, poſtquam cum veterum, tum recentiorum ea de re ſententias breviter expoſuerimus. Jesu Chr. an. 51. *Bar. an. 51. n. 34.*

2. Pauli verbis abutentes non ſuperiorum ſeculorum, ſed noſtræ etiam ætatis Hæretici, eo inſaniæ progreſſi ſunt, ut vel Petrum hypocriſis arguerint; vel Paulum temeritatis, quod libere nimis, procaciterque Petrum objurgaverit; vel utrumque culpaverint, quod in eamdem fidei regulam non convenirent. Et quidem Marcion cum Apoſtolorum ſcripta rejiceret, ex hoc loco non recta eos via inceſſiſſe, & veluti prævaricatores, & ſimulatores habendos eſſe impie contendebat. Valentinus vero, quod Apoſtoli inter ſe contendiſſent, delire affirmabat, eos Religionem ignoraſſe, neque perfectam Evangelicæ veritatis notitiam habuiſſe: amborum temeritatem, & audaciam vellicat Tertullianus. Porphyrius nimiam Paulo procacitatem exprobravit, quod auſus fuiſſet Apoſtolorum Principem arguere, eique in faciem reſiſtere; cum ea potiſſimum & ipſe ageret, quæ in Petro reprehendebat. Contra Julianus Apoſtata Petrum tamquam hypocriſis reum nefarie traducebat: *Cavillatur*, inquit Cyrillus, *& eximium inter Sanctos Apoſtolos Petrum, quem & hypocritam eſſe dicit, & per Paulum reprehenſum, eo quod interdum Græcorum moribus vivere ſtuduerit, interdum etiam Judæorum; ignorans plane ſingularem in his conſilii rationem*. Hæreticorum deliria de contentione Petri & Pauli. *Tertull. de præſcript. 23. & contra Marc. lib. 4. 3. Hier. epiſt. 75. Cyrill. Alex. con. Julian. lib. 9. in fine.*

3. Sed de impiorum deliramentis jam ſatis. Quod vero ad Catholicos attinet, magnus fuit, & eſt adhuc inter ipſos in Pauli loco explicando opinionum conflictus. Veterum quidam exiſtimarunt non Petrum Apoſtolum a Paulo reprehenſum fuiſſ- Variæ Catholicorum opiniones. An Cephas idem ſit ac Petrus.

JESU CHR. AN. 51.

fuisse, sed quemdam de septuaginta Christi Discipulis nomine Cepham; atque hujus sententiæ auctor Clemens Alexandrinus ab Eusebio perhibetur. Perraros nacta est fautores, eamque a Patribus ferme omnibus oppugnatam constat. Brevitati studentes, Hieronymi tantum, & Gregorii testimonia hic proferemus: *Sunt*, inquit ille, *qui Cepham, cui hic in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de septuaginta Discipulis: ipso vocabulo nuncupatum . . . Quibus primum respondendum, alterius nescio cujus Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus qui in Evangelio, & in aliis Pauli epistolis, & in hac quoque ipsa, modo Cephas, modo Petrus scribitur . . .* Addit deinde *totum argumentum epistolæ, quod oblique de Petro, Jacobo, & Joanne dicitur, huic intelligentiæ repugnare.* Gregorius vero cognomento Magnus: *Sunt vero nonnulli, qui non Petrum Apostolorum Principem, sed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo est reprehensus, accipiunt, qui si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent.* Eamdem jam prope extinctam opinionem nuper excitavit Harduinus, & singulari Dissertatione propugnandam suscepit; refellit tamen strenue Doctissimus Boileau.

Euseb. lib. 1. cap. 12.

Hier. in epist. ad Gal. Greg. M. in Ezech. hom. 18.

Harduinus Commentar in Nov. Testam. Disquisit. in Loc. Epist. ad Galat. 2. 10. Boileau Disquisit. Theolog. in hunc locum Parisiis 1713.

An in aliquo peccaverit Petrus.

4. Cum itaque vix dubitandum videatur, quin Paulus Petro in faciem restiterit, quæritur rursum, quid illud fuerit, quod reprehensione dignum Petrus præstitit. Atque ipsum ab omni culpæ labe immunem fuisse complures contendunt, quamvis non eadem omnes ratione id evincendum suscipiant. Hieronymus enim, & qui cum eo sentiunt, existimant Apostolos ex composito ejusmodi inter se dissidium simulasse, quo discipulorum utilitati consulerent. Nam cum legalium causa (ut narrat Lucas) multæ obortæ essent contentiones inter Christianos, qui ex Gentibus credidissent, & eos qui ex circumcisione ad fidem venissent; rati sunt non ausuros amplius mutire eos, qui legalia in cibis esse servanda contenderent, si Petrum ea de causa a Paulo palam reprehensum esse, ac Petrum non contradicentem, sed assentientem illi vidissent: atque ita (quod alibi de se ait Paulus: *Cum astutus essem, dolo vos cæpi*) ea simulatione curarunt, ut qui ex circumcisione essent, in officio continerentur; simulate enim cuncta a Petro acta fuisse, ipsius Pauli verba significare videntur, dum cuncta ab eo gesta simulationem idem Paulus appellat, sic dicens: *Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas adduceretur ab*

Hieron. in epist. ad Galat. 2. & epist. 89. 112.

2. Cor. 12.

Galat. 2.

ab eis in eam ſimulationem. In hac fuere ſententia Origenes, Didymus, Apollinaris, Euſebius Emiſenus, Theodorus Heracleotes, quos omnes ſanctus Hieronymus citat: adde his Joannem Chriſoſtomum, itemque Theodoretum, Caſſianum, Theophylactum, Oecumenium, & fortaſſe alios, hac nimirum omnes perſuaſos ratione: Quomodo enim, inquiunt, fieri potuit, ut Paulus ſerio reprehendiſſet in Petro, quod ſæpius ipſe, oblata eadem occaſione, facturus eſſet? vel potius quomodo poſtea crebrius feciſſet, quod in Petro coram Eccleſia reprehendiſſet? Ipſe quidem Paulus (ut inferius ſuis quibuſque locis dicemus) Judaicos ritus, cum ſibi ad profectionem Evangelii viſum eſt opportunum, repetiit, ac ſæpius iteravit: ut cum Timotheum ex patre Gentili natum circumcidit; vel cum ſecundum Judaicum Nazaræorum morem totondit caput in Cenchreis; aut quando Hieroſolymam reverſus, ad conciliandam ſibi gratiam Judæorum, antequam ingrederetur in Templum, ſe purificavit cum illis. Hæc omnia probe perſpecta habuit Baronius, ex quo fere ad verbum exſcripſimus; ipſe tamen diverſa prorſus ab ea, quam Hieronymus, & Auguſtinus amplexi ſunt, ratione Petrum ab omni etiam culpæ ſuſpicione purgari poſſe ſibi perſuaſit. *Dum ergo*, ait, *iidem auctores omnes in alterutram ſententiam conſpirarint, atque in ea convenerint, vel ea cuncta eſſe ſimulate peracta, ac ſic nullum fuiſſe Petri peccatum* (quæ Hieronymi opinio erat;) *vel ſerio eſſe facta, ac ſic Petrum erraſſe* (quod Auguſtinus exiſtimavit) *nos neutram harum ſequentes, dicimus ea nec ex compoſito facta, nec ea faciendo Petrum vel minimum deliquiſſe*. Has porro ſententiæ ſuæ rationes profert Emus Auctor. *Exploratum eſt omnibus; & nemo prudens negare poterit Apoſtolos abſque leviſſima culpa ſecundum loci & temporis rationem uti potuiſſe legalibus; ut & Paulus ipſe ſæpe feciſſe conſpicitur... licentius autem hæc a Petro, quam a Paulo uſurpari potuiſſe, cum ille Judæorum, Paulus vero Gentium patrocinium ſuſcepiſſet, nemo non videt: nam ea ratione major Petro, quam Paulo intercedebat cum Judæis conſuetudinis uſus. Si itaque nullius peccati reus eſt Paulus, quod ſæpe legalibus uſus eſt; multo minus redarguendus eſt Petrus, qui ſemel ſe cum illis immiſcuit: non ergo ea ex cauſa a Paulo reprehendi meruit. Unum illud igitur reliquum eſt, quod in Petro reprehendi poſſet; ſi fortaſſe, quod licite facere poterat, minus opportuno loco, & tempore fecerit.*

JESU CHR. AN. 51.

Hieronym. ut ſup.

Chryſ. in ep. ad Galat. cap. 2. & de Sacerdotio.

Theod. in ep. ad Galat. c. 2.

Caſſian. collat. 17.

Theophyl.

Oecumen. in d. ep. c. 2.

Act. 16.

Act. 18.

Act. 21.

Baronii opinio refellitur.

Bar. an. 51. 39. 40. 41.

JESU CHR. AN. 51.

cerit. Hoc igitur attentius disquiramus: in hoc enim uno totius quæstionis vertitur cardo, an quod Petro facere licitum erat, tunc temporis prudenter fecerit. Sane quidem si factum ex eventu pensetur, imprudenter nimis illud attentatum fuisse videtur: nam exemplo Petri (quod redarguit Paulus) Gentes quodammodo cogebantur judaizare; Sed in unaquaque re aliter quod principaliter geritur, aliter quod inopinato per occasionem oboritur, considerandum est. Videamus igitur causas, quibus ad id agendum Petrus compulsus sit. Si unquam ea licentia illi utendum erat; nullo quidem opportuniori loco, vel tempore id fieri potuisse, facile intelligemus, si exacte rei gestæ historiam exquiramus: quæ est hujusmodi. Veniens Petrus Antiochiam, compositis jam rebus inter Gentiles, & Judæos, absque aliqua offensione cujuspiam cum Gentilibus edebat. Post hæc accidit, ut cum quidam a Jacobo Hierosolymis venirent Antiochiam, subtraxerit se a Gentilibus Christianis: & Judæis Fidelibus inhærens, se judaice vivere simulaverit: cui simulationi & ceteri, qui Antiochiæ erant, consenserunt Judæi, usque adeo ut etiam Pauli collega Barnabas id fecerit, & Gentiles ad id faciendum eodem exemplo quodammodo cogerentur: hæc enim omnia scriptis consignata habentur a Paulo in dicta epistola ad Galatas, quæ & superius recitavimus. Ex his itaque satis liquet, Petrum institutum vitæ mutasse occasione Judæorum, qui a Jacobo Hierosolymis venerant Antiochiam. Qua autem occasione id fecerit, nulla redditur, nisi quod ait Paulus: timens eos, qui ex circumcisione erant . . . . Timebat igitur Petrus, ne si ab illis nuper advenientibus Hierosolymis compertus esset gentiliter, & non judaice vivere, scandalum illis, & offensionem inferret. Rursum, pergit Baronius, *si Petrus, qui susceperat patrocinium Judæorum, ab iisdem repertus esset cum Gentilibus manducare, & communibus cum illis cibis uti; plane non protectoris, sed desertoris partes agere creditus esset. His igitur, qui ad confiandas dissentiones digni justique videri illis poterant esse prætextus, Petrus quam primum sibi occurrendum existimans, cum hactenus (quod ait Paulus) vixisset gentiliter, & non judaice, post adventum illorum Antiochiam, subtrahebat, & segregabat se a Gentilibus, timens eos, qui erant ex circumcisione, & Judæis inhærens ritu Judaico victitabat.* Hoc autem Petri consilium adeo *prudens, & sagax, ac denique necessarium* fuisse Baronio visum est, *ut nec levioris peccati culpa*, ipsius quidem judicio, *illi ea de re juste*

Petrus an opportune sit usus legalibus.

juſte poſſit adſcribi. Neque Baronium quidquam movit, quod Paulus aperte teſtatur, ſe nimirum Petro in faciem reſtitiſſe *quia reprehenſibilis erat*: Quamvis enim pugnent hæc ex diametro, *Non peccavit: & reprehenſibilis erat*; atque fatendum neceſſario videatur vel peccaſſe Petrum, vel eſſe mentitum Paulum; Nihil tamen inde adverſus ipſius ſententiam concludi poſſe, & commode ſatis rem omnem explicari putavit, ſi animadvertatur duo in unaquaque hominis actione poſſe conſiderari; intentionem ſcilicet, *qua aliquid factum eſt, & opus ipſum, quod quale ſit ab omnibus cernitur. Prioris quidem Deus tantum eſt judex & vindex, opus vero tantum, quod videtur, humano judicio judicatur. Non potuit ergo Paulus reprehenſibilem videre Petrum ex ejus animi intentione, quam non inſpiceret, ſed tantum ex facto, quod cerneret. In quo rurſum duo adhuc ſunt penſanda, opus ipſum, & quod ejus occaſione provenit. Sed quod ad opus ipſum ſpectat; illud quod permiſſum eſſet, quod & ipſe Paulus ſæpius facturus eſſet, nec a Paulo reprehendi poterat, nec ejus cauſa Petrus reprehenſibilis dici. Solum ergo reſtat, ut Paulus reprehenſibilem Petrum dixerit, quod occaſione operis jure riteque ex diſperſatione patrati, res, quæ reprehendenda merito foret, eſſet oborta; nimirum quod ejus exemplo Gentes ad judaizandum impellerentur; a quo quidem facto cum & animus Petri procul abeſſet (nam hactenus Antiochiæ Paulo ipſo reſtante gentiliter vixerat, & dicta occaſione ad Judaicos ritus ad modicum tempus deflexerat) nec peccatum ineſſe potuiſſe certiſſimum eſt. Sic igitur Petrus, qui a culpa innocens, atque immunis erat, ex dicta occaſione Paulo reprehenſibilis viſus eſt: ſicut & ipſe Paulus etiam aliis reprehenſibilis videri potuiſſet, ſi cum Timotheum Gentilem hominem circumcidit, vel more Nazaræorum caput totondit in Cenchreis, vel Hieroſolymis ſe purificavit cum Judæis; Gentiles Chriſtiani, qui ea vidiſſent, ad id ipſum faciendum in Judaiſmum declinantes ejus exemplo fuiſſent impulſi: de quibus ſane idem, quod ipſe Paulus de Petrum imitantibus dixit, jure dici potuiſſet, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii: ſed & in ipſum Paulum quoque dici, quod ipſe in Petrum, ac multo æquius; quod cum ſuſcepiſſet patrocinium Gentium, immiſcens ſe Judaicis ritibus, ſuo exemplo cogeret Gentes judaizare: & quod in Petro damnaſſet, inconſtanter admitteret: cum alioqui ea omnia Paulus abſque ulla levioris criminis culpa perageret. At hæc ſatis*

Jesu Chr. an. 51.

JESU CHR. AN. 511.

esse putamus ad obscurissimas illas quæstionum caligines illustrandas: ut jam clara luce nonnisi sciens volensque errore labatur. Hactenus Baronius, quem miramur mutuas Hieronymi, & Augustini de hac quæstione Epistolas iterum atque iterum legisse, & accurate perspexisse; neque tamen adduci potuisse, ut præconceptam animo opinionem abjiceret. Secus quidem Hieronymo accidit, quem in Augustini sententiam postea descendisse ipsius scripta declarant. Et sane in priore adversus Pelagianos Dialogo explicans illa Pauli verba: *oportet Episcopum irreprehensibilem esse* fatetur Petrum sese reprehensione dignum exhibuisse: *Quod dixit irreprehensibilis, aut nullus, aut rarus. Si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quod non recto pede incesserit in Evangelii veritate, & in tantum reprehensibilis fuerit, ut & Barnabas adductus sit in eamdem simulationem, quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit?* Similia occurrunt & in Apologia tertia adversus Ruffinum; ex quibus constat Hieronymum retractasse, quæ antea de simulato inter Apostolos dissidio in commentariis Epistolæ ad Galatas tradiderat, vehementerque ad Augustinum scribens propugnaverat. Jam vero iisdem pene armis, quibus Hieronymum vicit Augustinus, Baronium etiam, aliosque profligari arbitramur. Si enim Petrus nullo prorsus modo peccasset, *Sacra utique Scriptura, quæ ad fidem posteris edita est, admissa auctoritate mendacii, tota dubia nutaret ac fluctuaret*, uti Augustinus ajebat: Siquidem apertis verbis traditum a Paulo est, Petrum non recte incessisse, & reprehensibilem fuisse. Ad hæc, Baronii opinioni videtur vehementer obesse, quod nova sit prorsus, & ab eo primum excogitata. Etsi tamen aliquali antiquorum auctoritate fulciretur, quis quæso apertissimum Apostoli testimonium ceteris quibuscumque præferendum esse cum Augustino non judicaverit? Hieronymus quidem cum Origenem, Theodorum Heracleæ Episcopum, Chrysostomum, Appollinarem Laodicenum, Alexandrum, Dydimum, & Eusebium Emisenum eadem ac ipsum sensisse cognosceret, sic adversantem Augustinum urgebat: *Si igitur me reprehendis errantem, patere me quæso errare cum talibus, & cum me erroris mei multos socios habere perspexeris, tu veritatis tuæ saltem unum adjipulatorem proferre debebis.* Verum quid ad hæc Augustinus? Postquam animadvertit Scriptorum, quos numero septem Hieronymus testes citaverat, quatuor saltem

Bar. ann. 51. Le Marca lib. de concord. Sacerd. & Imp. 3. 15. Vasquez tom. 4. disp. 82.

Hier. ep. 112.

Aug. ep. 82. n. 23.

tem nihili ab ipso faciendam, immo rejiciendam prorsus auctoritatem fuisse; quippe cum Apolliuaris, & Alexander inter Hæreticos numerarentur, Origenem vero & Dydimum *non mediocriter, nec in mediocribus quæstionibus* ipse reprehendisset; Cyprianum, & Ambrosium pro sua sententia profert Augustinus, deinde: *Quamvis*, ait, *sicut ante dixi, tantummodo scripturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem, qua eas solas ita sequar, ut conscriptores earum nihil in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse non dubitem; Proinde cum quæro tertium, ut tres etiam ego tribus opponam, possem quidem, ut arbitror facile reperire, si multa legissem: verumtamen ipse mihi pro his omnibus, immo supra hos omnes Apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio: ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt, litterarum ejus tractatoribus provoco: ipsum interrogans interpello, & requiro in eo quod scripsit ad Galatas, vidisse se Petrum non recte ingredientem ad veritatem Evangelii, eique in faciem propterea restitisse, quod illa simulatione Gentes Judaizare cogebat, utrum verum scripserit, an forte nescio qua dispensativa falsitate mentitus sit. Et audio eum paulo superius in ejusdem narrationis exordio religiosa voce mihi clamantem; Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Dent veniam quilibet aliud opinantes, ego magis credo tanto Apostolo in suis, & pro suis litteris juranti, quam cuiquam doctissimo de alienis litteris disputanti.*

Jesu Chr. an. 51.

Augustl. epist. 82. n. 24.

7. Hæc Augustinus. Cæterum etiamsi Scriptorum numero & auctoritate res esset definienda, adhuc tamen Augustini sententia ceteris præstaret. Petrum enim reprehensibilem revera fuisse professi sunt præter Augustinum, & Hieronymum (quem postea sententiam mutasse jam supra monuimus) Tertullianus, Cyprianus, Ambrosiaster, sive Auctor commentarii in epistolam ad Galatas, Gelasius, Agapetus, Gregorius M. Romani Pontifices. His adde Venerabilem Bedam, Remigium Antissiodorensem, Petrum Lombardum, D. Thomam, Bellarminum, Sadoletum, aliosque, qui de Romano Pontifice scripserunt, vel commentaria in epistolam ad Galatas ediderunt; præter Natalem Alex., Fleury, Tillemontium, Dupinium, Calmetium, Ursium Cardinalem, aliosque, quos recensere non vacat. Porro quam sanctum eximiumque & justæ libertatis, sanctæque humilitatis exemplum Ecclesiæ Pastoribus in hac consentione præbuerint Apostoli, Augustinus diserte declarat: *Fidelis igitur,*

Petrum reprehensibilem fuisse Patres tradunt. *Dial. 1. contra Pelag. & Apolog. 3. in Rufinum. Tertull. lib. 3. contra Marc. & de præscript. Cypr. ep. ad Quintum 71. Ambr. comment. in epist. ad Gal. Gelasius de Anath. Agap. ep. 4. ad Justin. Pelagius 11. epist. ad Episc. Istriæ.*

JESU. CHR. AN. 51. *tur*, inquit, *diſpenſator Paulus procul dubio nobis exhibet in ſcribendo fidem, quia veritatis diſpenſator erat, non falſitatis. Ac per hoc verum ſcripſit, vidiſſe ſe Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii, eique in faciem reſtitiſſe, quod Gentes cogeret judaizare. Ipſe vero Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, ſanctæ & benignæ pietatis humilitate accepit: atque ita varius, & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi forte recti tramitem reliquiſſent, etiam a poſterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, ſalva fraterna caritate reſiſtere. Nam cum ſatius ſit, a tenendo itinere in nullo, quam in aliquo declinare; multo eſt tamen mirabilius & laudabilius, libenter accipere corrigentem, quam audaciter corrigere deviantem. Eſt laus itaque juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro.* Nam uti Cyprianus animadvertit, *nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari a novellis & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile conſenſit, documentum ſcilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando a fratribus, & collegis noſtris utiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima, ipſa potius noſtra ducamus.* Rurſus obſervat idem Auguſtinus admoneri hoc facto Eccleſiæ Paſtores, *ne peccantibus filiis ſuperbe inſultent, aut correctis difficile ignoſcant* . . . . Et infra: *Debet ergo Eccleſia Catholica correctis, & pietate formatis filiis libenter ignoſcere, cum ipſi Petro perſonam ejus geſtanti, & cum in ſimulationem ſuperſtitioſam lapſus eſſet, videamus veniam eſſe conceſſam, eumque correctum, atque firmatum uſque ad Dominicæ paſſionis gloriam perveniſſe;* Itaque *pœnitentes Eccleſia materno recipit ſinu tamquam Petrum poſt fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tamquam eumdem poſt pravam ſimulationem Pauli voce correctum.* Magnus item Gregorius Petri humilitatem, ac manſuetudinem Paſtoribus imitandam proponit; nam Petrus, inquit, *Per humilitatem cordis de non circumcidendis Gentibus Pauli conſilium audi-*

Gregorius de Cura Paſt., & in Ezechiel. Aug. epiſt. 82. num. 22.

Cypriani epiſt. 71. ad Quintum edit. Am. ſtelod.

Aug. de Agone Chriſti cap. 30.

Greg M. de cura poſt. part. 2. cap. 8.

audivit, . . & humilitate manſuetudinis obedientiam in rectò conſilio etiam minoribus fratribus exhibuit.

JESU CHR. AN. 51.

8. Quamquam ex ritu Populi Romani non ante expletum annum ætatis XIV. nemo virili toga uteretur, Neroni tamen conceſſum, ut eo tantum ineunte illam ſumeret, *quo* inquit Tacitus, *capeſſendæ Reipublicæ habilis videretur*. Decretum præterea a Senatu, cui Claudius libenter ceſſit, ut idem Nero viceſimo ætatis anno Conſulatum iniret, atque interim Proconſulare Imperium, initium faſtigii Cæſaribus, extra Urbem haberet, ac Princeps Juventutis appellaretur. Britannicus vero legitimus Claudii filius adhuc in Prætexta, ſub cuſtodibus a Noverca datis educabatur; remotique fictis cauſſis, vel per ſpeciem honoris, qui ſortem ejus miſerebantur. Porro cum ob aſſiduas ſterilitates Urbs maxima annonæ caritate laboraret, ægre Claudius Populi furorem effugit; vehementerque curavit, ut præter ſolitum hiberno etiam tempore frumentum navibus ſubveheretur. Certa potiſſimum negotiatoribus lucra propoſuit; ſuſcepitque in ſe damnum, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet. Bellum quoque hoc eodem anno inter Armenicos Hyberoſque exortum; quod Parthis ac Romanis graviſſimorum inter ſe motuum cauſſa fuit.

Honores Neroni adtributi.

Tacit. l. 12. 41.

Suetonius in Claudio c. 18.

9. Verum his poſitis, præſtat tumultus inter Samaritanos & Judæos in Galilæa excitatos, eorumque cauſſas ex Joſephi Antiquitatibus referre: *Mos erat*, inquit, *Galilæis in diebus feſtis Hieroſolyma euntibus per regionem Samariæ iter facere. Atque tum ipſis, cum in itinere eſſent, quidam e vico, cui nomen Sinæa, (quæ ſita eſt in confiniis Samariæ, & Magni campi) prælio congreſſi, multos eorum perimunt. Primores autem Galilæorum, ubi facinus audiverant, Cumanum adibant, ipſumque rogabant, ut occiſorum necem ulciſceretur. Ille vero, a Samaritis data pecunia perſuaſus, eorum nullam rationem habuit. Tunc Galilæi, hac de re indignati, Judæorum multitudinem ad arma conciverunt, & ad libertatem ſuam defendendam. Servitutem enim etiam ex ſe quidem acerbam eſſe dicebant; cum injuriis vero conjunctam, omnino intolerabilem. Cum autem Magiſtratus lenire eos, & compeſcere conarentur, pollicerenturque ſe Cumano perſuaſuros, ut pœnas de cædis auctoribus ſumeret, illis quidem non auſcultabant, ſed armis correptis, & in auxilium advocato Eleazaro Dinæi filio, (ille enim erat latro, qui multis jam annis in montibus degerat) vicos aliquos Sama-*

Bellum Samaritanos inter & Judæos.

Joſeph. antiq. lib. 20. 5.

JESU CHR. AN. 51.

Samaritarum diripiunt, & incendunt. Cumanus autem, ubi ad eum fama rei pervenerat, aſsumpta Sebaſtenorum ala cum quatuor peditum cohortibus, armatiſque etiam Samaritanis, contra Judæos proficiſcitur; eoſque aſſequutus, multos quidem illorum perimit, plurimos autem vivos cepit. Tum vero Hieroſolymitarum primi genere pariter ac honore, ut viderunt ad quam calamitatum magnitudinem ventum erat, ſaccis indutis, capitibuſque cinere repletis, modis omnibus ſeditioſos obſecrabant, & hortabantur, ut, ob oculos poſitis patria diruenda, & templo flammis vaſtando, & ipſis cum uxoribus & liberis in ſervitutem deducendis, conſilium mutarent, & abjectis armis quieſcerent impoſterum, & ſuas quiſque domos repeterent. Cum autem iſta dixiſſent, eos flexerunt, atque illi quidem ſeſe diſperſerunt, latrones vero ad loca munita iterum reverſi ſunt. Atque ex eo tempore Judæa omnis latrociniis infeſtata erat. At Samaritarum primates Nummidium Quadratum Syriæ Præſidem, tunc Tyri degentem, adibant, & Judæos accuſabant; quod vicos eorum diripuerint, atque incenderint, & non tam ſe ægre ferre propriam injuriam, dicebant, quam quod Romanos contempſerint, ad quos judices, ſi quid damni accepiſſent, oporteret eos potius provocare, quam nunc, quaſi a Romanis Imperio non regerentur, incurſiones facere, quamobrem ad ipſum ſe venire, ab eo hoc demum impetraturos, ut vindicarentur. Et quidem hujuſmodi accuſationem inſtituebant Samaritani. Judæi vero & ſeditionis & pugnæ auctores Samaritas extitiſſe ajebant, & ante omnia Cumanum ab illis muneribus corruptum, adeoque interfectorum cædem occultaſſe, & diſſimulaſſe. Et Quadratus, cum iſta audiviſſet, judicium diſtulit, dicens ſe ea de re pronunciaturum eſſe, poſtquam in Judæam venerit, & veritatem accurate magis perſpectam habuerit. Et illi quidem re infecta diſceſſerunt. Non multo autem poſt Quadratus Samariam venit, ubi omnibus auditis, in ea erat ſententia, ut Samaritanos turbarum auctores fuiſſe exiſtimaret. Quamprimum vero Judæos quoſdam res novas molitos eſſe intellexit, captos a Cumano in cruces egit. Atque inde profectus in vicum, cui nomen Lidda, Civitati magnitudine non cedentem, cum pro tribunali ſedisſet, iterumque Samaritanorum cauſam audiſſet; a Samarita quodam edoctus eſt, certum Judæorum primatem nomine Dortum, nonnullosque cum eo novis rebus ſtudentes, quatuor numero, populum, ut a Romanis deficerent, ſollicitaſſe. Et illos quidem Quadratus occidi impe-

imperavit: Ananiam vero Pontificem & Ananum ducem, vinctos Romam misit, factorum rationem Claudio Cæsari reddituros. Primores etiam Samaritarum & Judæorum simulque Cumanum procuratorem, & Celerem (is autem tribunus erat) jubet in Italiam ad Imperatorem discedere, illius judicio sistendos de iis quas inter se haberent controversiis. At ipse, veritus ne novi aliquid moliretur populus Judaicus, in Hierosolymitarum Urbem se confert; ipsamque pacatam deprehendit & tranquillam, festumque patrium Deo consecratum agentem: Credidit itaque nihil ab iis novatum iri, illisque in festivitate relictis Antiochiam se recepit. Cumanus autem, & Samaritanorum primores, Romam ueissi, diem ab Imperatore sibi constitutum accipiunt, quo causam acturi essent de rebus inter se controversis. Summoque studio pro Cumano, & Samaritis contendebant Cæsaris liberti, & amici: & Judæos sane vicissent, nisi Agrippa junior, qui eo tempore Romæ erat, cum intelligeret Hierosolymitarum Proceres non mediocriter laborare, multis precibus imploraſset Agrippinam Imperatoris uxorem, ut marito persuaderet, ubi causam cognoſceret, a defectionis auctoribus convenienter suæ justitiæ pœnas exigere. Claudius igitur his precibus inantecessum instructus, & paratus, quæque dicerent utrimque auditis, ut comperit Samaritas malorum duces, auctoresque extitisse, eos quidem qui ad ipsum ascenderant occidi jussit, Cumanum vero in exilium egit, atque Celerem Tribunum Hierosolymam duci præcepit, & omnium in conspectu per totam urbem trahi atque enecari. Hactenus Josephus, qui statim initio capitis sequentis addit: Claudium deinde misisse *Felicem Pallantis fratrem, ut rebus in Judæa præesset.* Visum Baronio, aliisque a Josepho dissentire Tacitum, ubi prodidit Felicem, quem ipsi Romamisum Cumano succesorem putant, Samaritis hoc tempore præfuisse, ejusque intempestivis remediis, ac mutuis inter se & Cumanum discordiis factum, ut Galilæorum, Samaritarumque minus coercita odia in hos tumultus erumperent: Quadratum tamen in gratiam Pallantis libertorum apud Claudium potentissimi, Felicem ejusdem fratrem in cognitione causæ, qua Cumanus damnatus est, inter Judices in Tribunal recepisse. Quæritur itaque utri horum fidem oporteat adhibere? Et Josephum quidem Rerum Judaicarum valde peritum, atque in Judæa seditionis tempore versantem Tacito præferendum omnino contendunt. Contra Baronius: *In his præsertim, quæ ad Romanos pertinent magistratus*, Tacito potius credendum existimat,

JESU CHR. AN. 51.

Joseph. antiq. lib. 20 5.

Tacit. l. 12 54. A. 50. n. viii.

JESU CHR. AN. 51.

mat, & *Joſephum ignoraſſe cauſam primariam harum diſſenſionum, & multos involviſſe ſimul errores*. Controverſiam tamen omnem ſuſtulit, & Joſephum ſimul a Baronii objectionibus vindicavit ſtrenue ingenioſeque Noriſius. Etenim animadvertit nuſquam a Joſepho dictum Felicem Roma miſſum Cumano ſucceſſorem, immo aperte ex libro 2. Belli Judaici cap. 11. oppoſitum colligi: Siquidem cum dixiſſet Cumanum Romæ damnatum a Claudio Imperatore, ſtatim ait: *Poſt hæc Felicem Pallantis fratrem miſit ad Judæos, qui eorum Provinciam cum Samaria, & Galilæa curaret, Agrippam vero de Chalcide in Regnum majus tranſtulit, tradens ei illam quoque Provinciam quæ Felici fuiſſet*. Felix igitur, vel ipſo Joſepho auctore, antequam damnato Cumano, Judææ imponeretur, Galilææam tranſamnanam, quæ Jordane, ac montibus Cœleſyriæ, ac Philadelphiæ includebatur, regebat; proindeque in Judæam non ex Urbe, ut minus recte Joſepho impoſitum, ſed ex Galilæa tranſamnana profectus eſt. Non itaque inter ſe Tacitus, & Joſephus diſcrepant; ſed utriuſque mira conſenſio eſt. Pearſonius quidem alia prorſus ratione componi rem poſſe ſibi perſuaſit; putavitque Cumanum bis Judæam procuraſſe: *Cum Cumanus*, inquit, *jam condemnatus eſſet, Felix a Claudio Procurator Judææ rurſus factus eſt; quam cum jure gladii Provinciam una cum Samaria, & Galilæa adminiſtraret*. Verum id nullo antiquitatis teſtimonio affirmatur; & conſtat præterea a Romanorum moribus alienum fuiſſe, ut quemquam uni eidemque Provinciæ iterum præficerent. Ceterum, ſi cui forte Noriſii ſententia minus probaretur, potius quam Joſephum, erraſſe quidem Tacitum judicaremus, cui ſæpe alias in Judæorum rebus perſequendis id accidiſſe exploratius eſt, quam ut hic oporteat demonſtrare. Porro quamvis hoc labente anno Judæos inter & Samaritanos exorta ſeditio fuerit; eam tamen ſequenti ſolum omnino ſedatam exiſtimamus.

Card. Noris in Cenotaph. Pis. diſſert. 2. c. 15. §. 13.

Joſeph. de bello Judaico l. 2. c. 11.

Pearſon. annal. Paul. p. 130.

Uſſerius Annal. 52. 53.

JESU CHRISTI AN. 52. PETRI APOST. AN. 21.
ROM. PONT. AN. 10. CLAUDII IMP. AN. 12.
COSS. FAUSTO SULLA, ET SALVIO OTHONE.
AN. URBIS 805. OLYMP. 207. AN. 4.

1. Fauſto Sulla, & Salvio Othone Conſulibus, cum Paulus, & Barnabas Antiochiæ adhuc, Luca teſte, verſarentur *Docentes, & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini*; *dixit ad Barnabam Paulus, revertentes viſitemus fratres per univer-*

Paulus a Barnaba ſeparatur.

Act. 15.

JESU CHR. AN. 52.

versas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphilia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi. Facta est autem dissensio, itaut discederent ab invicem; & Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum. Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a Fratribus. In ejusmodi Pauli & Barnabæ dissensu visum est Hieronymo aliquid humanæ fragilitatis inesse: *Paulus severior*, inquit, *ille clementior; uterque in sensu abundabat, & tamen dissensio habet aliquid humanæ fragilitatis.* Chrysostomus tamen cum probe intelligeret Apostolos mutua caritate nec minimum dissoluta varie de Marco sensisse, neutrum culpandum existimavit: Nam *& in Prophetis* ait, *inveninus varias sententias, & varios mores. Erat Elias austerus, Moyses vero mitis. Et hic quoque asperior est Paulus. Sed vide etiam hoc loco ejus mansuetudinem. Volebat, ut ille qui defecerat ab illis a Pamphilia, ne simul assumeretur. Sic dux quidam belli non vellet aliquem bajulum semper esse sordidum, & inter lixas: ita neque Apostolus, hoc enim & alios docuit, & illum emendavit.* Et sane ad Marci emendationem plurimum contulisse ejusmodi Pauli severitatem, quæ postea consequuta sunt manifeste demonstrant. Qui enim, inquit Baronius, *ut desertor militiæ in hunc modum a Paulo rejectus est, majoribus deinde assumptis spiritibus, animosior redditus, posthac inter primos ordines militavit. Hunc enim illum ipsum esse Marcum superius demonstravimus, qui postea iterum adhæsit Paulo, cujus ipse meminit scribens ad Colossenses; quem & ex Oriente per Timotheum Romam, ut sibi valde utilem in ministerio, advocavit; quem & ad Philemonem scribens, suum coadjutorem appellat. Paulum igitur non actum spiritu dissensionis, sed divino plane afflatum fuisse, dum in Marcum in præsentiarum severius agere visus est, probavit eventus.*

Hier. Dial. adverf. Pelag. seu lib. 2. nu. 17. p. 749.

Chryf. hom. 34. in act.

Coloſ. 4.

2. Tim. 4.

2. Sed quid de Barnaba? *Male ne ergo*, sequitur deinde Chrysostomus, *fecit Barnabas? minime: quoniam valde absurdum esset hoc putare. & quomodo non absurdum, ob levem causam dicere illud malum? Sed vide, quia primum quidem malum nullum fuit; nam quod divisus sit alter ab altero, magnum inde bonum provenit; quod si hoc non fuisset, haud facile relicturus alter alterum fuisset.* Et infra: *Mihi quidem videtur etiam diserte separatio illa facta, & quod inter se dixerint:*

Barnabas excusatur.

JESU CHR. AN. 52.

rint: Quoniam ego non volo, nec tu vis; ne pugnemus, distribuamus Provincias. Et ita sibi invicem multum credentes hoc fecerunt. Volebat enim Barnabas non dejici, quod a Paulo erectum: idcirco & fecessit. Volebat similiter & Paulus non infirmari quod illi visum: eapropter & ipse idem facit, ac fecedit. Utinam & nos tales fecessiones faceremus, & sic ad prædicandum abiremus. Jam vero Barnabam, postquam se a Pauli societate sejunxit, *Assumpto Marco navigasse Cyprum*, memorat quidem Lucas, sed quæ deinceps gesta illic ab eo fuerint silet omnino: Nec ulla superstant exploratæ fidei monumenta, ex quibus quidquam de Barnabæ in posterum rebus gestis, ejus scriptis, & obitu liceat certo cognoscere. Quæ enim de Barnaba memorat Auctor Recognitionum, quæque sub Marci nomine circumferuntur ejusdem Acta, pro adulterinis, ac suppositiiis jam pridem Doctorum judicio damnata sunt. Hæc tantum de Barnaba in Hieronymi libro de Viris illustribus occurrunt. *Cyprius, qui & Joseph Levites cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ inter Apocryphas scripturas legitur. Hic postea propter Joannem discipulum, separatus a Paulo nihilominus Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercuit.* Verum quibus potissimum in locis, & quamdiu id Barnabas præstiterit, quis quæso omni antiquitatis testimonio destitutus poterit divinare? Itaque vehementer veremur, ne satis firma sit Mediolanensium traditio, qua fertur Barnabam in Italiam navigasse, & nobilissimam Mediolani Ecclesiam ab ipso fuisse constitutam. Incomperta quidem ejusmodi fuerunt Origeni, Eusebio, Rufino, Sulpicio, Ambrosio illius Ecclesiæ Episcopo, ceterisque; Nec veterum quisquam inter Apostolicas Mediolanensem Ecclesiam recensuit. Nam quod Pseudo Dorotheum, & Recognitionum auctorem hujusmodi traditionis testes citant; norunt jam omnes scripta illa Apocryphis accenseri, ideoque nihil ipsorum auctoritatem in hac disputatione faciendam esse. Denique de Mediolanensi Barnabæ Itinere, & Episcopatu, altum quoque in Romano Martyrologio silentium; cujus præstat hic verba referre: *Natalis S. Barnabæ Apostoli, qui natione Cyprius, a Discipulis cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, multas regiones cum eo peragravit, Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercens, postremo Cyprum profectus, ibi Apostolatum suum glorioso martyrio decoravit. Cujus corpus*, sequitur Martyrologium, *tempore Zenonis Imperatoris ipso revelante repertum est, una*

Tillemt. not. 3. Voss. de hist. Græcis lib. 2. 9.

Hier. de vir. Ill. 6.

Barnabæ Elogium.

Martyr. Rom. die 11. Junii.

Vide Tillemt. n. 4. in Barnab.

una cum Codice Evangelii S. Matthæi, ſua manu deſcripto. Barnabam Salaminæ a Judæis lapidibus obrutum tradit Alexander monachus, cujus exſtat hodieque de Barnabæ geſtis & Martyrio liber. Sed cum Encomium potius, quam Hiſtoriam ſcripſiſſe videatur, & longo poſt tempore, quinto nimirum ſeculo, floruerit, idcirco non ſatis idoneum Apoſtolicæ Hiſtoriæ teſtem ipſum exiſtimant. Ceterum id veriſſime dici poteſt poſt repertum Salaminæ Apoſtoli corpus, in eam plerosque opinionem adductos, ut crederent ipſum eadem in urbe glorioſo Martyrio vitam conſumaſſe.

JESU CHR. AN. 52. *Bull. die 11. Junii Sanctæ ejusdem.*

3. Præter Hieronymum, meminerunt Epiſtolæ Barnabæ inſcriptæ Clemens Alexandrinus, Origenes, Euſebius, aliique, illamque ſuperiore adhuc ſeculo in Membranis latentem primus protulit Hugo Menardus; recudendam deinde pluries curarunt Voſſius, Cotelerius, aliique plurimi, qui doctiſſimis præterea adnotationibus illuſtrarunt. Porro magna de hac epiſtola cum apud antiquos, tum hodieque inter eruditos quæſtio eſt, ac diſſenſio; etenim ab antiquiſſimis uſque temporibus, Alexandrinus Clemens, & Origenes; recenti autem memoria Pearſonius, Dodwellus, Caveus, & Elias Dupin a Barnabæ vere ſcriptam fuiſſe affirmarunt; alii plures, eaſque graves adeſſe cauſſas dixerunt, cur de ejuſdem auctore vehementer dubitaremus; quidam denique veluti indignam prorſus ſcriptionem Barnabæ abjudicarunt. Quæritur rurſum quo ſenſu intelligenda ſint Hieronymi de eadem epiſtola verba: *Barnabas unum ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem epiſtolam compoſuit, quæ inter Apocryphas Scripturas legitur.* Et Cotelerius quidem, Pagius, Pearſonius in Vindiciis Ignatii contendunt ideo tantum abs Hieronymo epiſtolam hanc *apocryphæ* dictam fuiſſe, quod eſſet extra Canonem ſcripturarum; ceterum non dubitaſſe quin eſſet Barnabæ tribuenda: *Barnabæ*, inquit Pearſonius, *epiſtolam fuiſſe tradit, non ipſi ſuppoſitam, aut ſpuriam.* Et paullo poſt: *ex nuda voce apocryphæ nihil aliud recte infertur, ubi de libris Canonicis agitur, quam ſcriptum aliquod eſſe a Canone S. Scripturæ removendum.* Ab his tamen vehementer diſcrepat Natalis Alexander; cujus hæc præceteris digniſſima nobis viſa ſunt, quæ hic afferrentur. *Apocrypha bifariam ſumuntur, (ut legentibus Romanam ſub Gelaſio Synodum perſpicuum eſt). Vel pro Pſeudepigraphis, & quorum ſecreti auctores atque incogniti; vel pro iis, quæ notam aliquam merentur erroris, aut impie-*

De epiſtola Barnabæ inſcripta.

Cotel. tom. 1. PP. Apoſt.

Pearſ. annal. Paul. P. 44. Caveus hiſt. literaria tom. 1. Dupin tom. 3. diſſert. ſur la bible pag. 327.

Hieron. de Viris Ill. cap. 6. Ad An. XLIX. num. 4. Parte 2. cap. iv.

Hiſt. Eccleſ. Sec. 1. cap. 12. art. viii.

JESU CHR. AN. 52.

pietatis, ideoque abſcondi debent, & ignorari nec in publica verſari Eccleſiæ luce, ſicut libri Canonici Scripturarum, vel tractatus Eccleſiaſtici Sanctorum Patrum, qui inoffenſo pede decurri queunt. Atqui S. Hieronymus, & Euſebius non amandant epiſtolam Barnabæ ad Apocryphas ſcripturas, quia notam aliquam erroris, aut impietatis mereatur: quinimo teſtatur S. Hieronymus, illam ad Eccleſiæ ædificationem pertinere. Ergo cenſent illam Apocryphum eſſe, quod ſit pſeudepigrapha, & S. Barnabæ ſuppoſita. Quod omnino confirmat notio Apocryphorum, tradita a S. Hieronymo epiſtola 7. ad Lætam: Apocripha ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur. *Itaque cum S. Hieronymus hanc epiſtolam compoſitam dicit a S. Barnaba, titulum ſpectat epiſtolæ, non rei veritatem: & ſtatim innuit, illegitimam ſe prolem illam ſuſpicari, quam inter Apocrypha recenſet.* Hactenus Alexander, qui ſane videtur Hieronymi ſenſum aſſequutus. Nam eadem ferme ſententia operis ejuſdem cap. primo *inter Apocryphas Scripturas repudiari* affirmat Hieronymus libros quoſdam Petro perperam tributos; & rurſus capite ſeptimo *Periodos Pauli, & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas Scripturas computari*. Quamlibet tamen quiſque voluerit verborum Hieronymi interpretationem eligat; liberum enim lectoribus judicium relinquimus. Quod vero ad epiſtolæ auctorem attinet, plurima ſane ſunt, quæ impedire videntur, quominus Barnabæ tribuatur. Inprimis enim intelligi nulla ratione poteſt, cur, ſi hæc epiſtola ab Apoſtolo ſcripta revera fuit, non eam in Canonicarum Scripturarum Cenſum Eccleſia retulerit; atque idem prorſus de ea affirmari poſſe videtur, quod ad explodenda Andreæ, & Joannis apocrypha ſcripta protulit Auguſtinus: *Si enim, inquit, illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia*. Multa deinde in hac epiſtola continentur, quæ ab Apoſtolorum ſtylo, & ſimplici dicendi genere quam longiſſime diſtant: Nam paſſim offendas myſticas Sacræ Scripturæ interpretationes longius quæſitas, Allegorias coactas, detortas, adeoque inconcinnas, fabulas de animalibus, aliaque plura, quæ vix credi poteſt ſcripta fuiſſe ab Apoſtolo, qui Sancti Spiritus, fideique lumine colluſtraretur. Quid quod excidium Hieroſolymitanum aperte memorat, quod Barnaba defuncto certiſſime contigit? Viſum propterea quibuſdam ſolum ante finem ſecundi ſeculi Epiſtolam hanc ſuppoſitam eſſe, & in lucem publicam prodiiſſe: Namque ſub initium ter-

Euſeb. Hiſt. lib. 3. cap. 25. & lib. 6. cap. 13. 14.

Auguſtinus l. 1. contra adverſ. Leg. & Prophet. cap. 20.

tii

tii non ſemel eam citavit Clemens Alexandrinus, laudavitque eodem etiam ſeculo Origenes; atque hæc quidem Pagii, Natalis Alexandri, & aliorum opinio fuit. Ex Acatholicis tamen Tentzelius conjecit, & pluribus probare conatus eſt, *Epiſtolam hanc Alexandriæ in Ægypto extremis Hadriani annis ab Alexandrino aliquo ex Judæo Chriſtiano efficiam eſſe*. Stephanus vero le Moyne, quem refellunt Tentzelius idem, & Guilielmus Cave, Polycarpo confidenter adjudicavit, non alia fere innixus ratione, quam quia in Codicibus Mſs. cum Polycarpi epiſtola conjungitur, ita ut hæc fine, illa autem initio careat. Quod librariorum vitio tribuendum monuit jam Uſſerius. Illorum enim ſolo defectu factum, ut quaternione vel omiſſo, vel tranſpoſito in Græcis Codicibus ſuperſtitibus, & finem epiſtolæ Polycarpi deſideremus; & principium Barnabæ. Sed hac epiſtola tandem ſepoſita, rerum a Paulo geſtarum hiſtoriam proſequamur.

JESU CHR. AN. 52. *V. Jo. Albert. Fabricii Biblioth. Eccleſ. pag. 42. ſeq.* *Le Moyne in Prolegomenis ad varia Sacra.* *Tentz. Part. 1. Exercit. ſelect. p. 152. ſeq.* *Hiſtor. litter. Part. 1. Patr. Apoſtol. Tom. 1. p. 11. Edit. Amſt. 1693.*

4. Paulus itaque a Barnaba ſejunctus, *electo Sila, profectus eſt traditus gratiæ Dei a Fratribus. Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum*; ea nimirum, quæ ab Apoſtolis, & ſenioribus Hieroſolymis paulo ante ſtatuta fuerant, de abſtinentia ab idolothytis, ſuffocato ſanguine, & fornicatione, uti Lucas idem ſubinde teſtatur his verbis: *Cum autem pertranſirent Civitates, ſuadebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus qui erant Hieroſolymis. Pervenit autem* Paulus, pergit Lucas, *Derben & Lyſtram, & ecce diſcipulus quidam erat ibi nomine Timotheus filius mulieris Judææ* nomine Eunice (cujus uti & aviæ nomine Lois, pietatem vehementer commendat Apoſtolus) *fidelis, patre Gentili. Huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant, & Iconio fratres. Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci: & aſſumens circumcidit eum propter Judæos, qui erant in iis locis. Sciebant enim omnes, quod Pater ejus erat Gentilis. Dignum eſt*, inquit Chryſoſtomus, *ut obſtupeſcamus Pauli ſapientiam, qui tantopere pugnavit propter circumciſionem; qui omnia moverat, & non prius deſtitit, quam correxiſſet confirmatum dogma. Circumcidit diſcipulum: non ſolum alios non prohibet, ſed etiam ipſe hoc facit: & ita omnino ad utilitatem ſpectabat, & nihil cum animi præcipitatione agebat. Hunc voluit, inquit, ſecum egredi. Mirabile hoc quod & illum aſſumit.*

Paulus Timotheum circumcidit. *Act. 15 & 16.*

Epiſt. ad Timoth. 2. 1.

Chryſ. hom. 34. in Act.

JESU CHR. AN. 52.

mit. Propter Judæos, inquit, qui erant in illis locis. Hæc eſt cauſſa circumcidendi; non enim ferebant audire verbum ab incircumciſo. Et cur? Vide opus: Circumcidit, ut circumciſionem tollat. Hæc Chryſoſtomus de Pauli conſilio in circumciſione Timothei; Auguſtinus vero hanc rei ejuſdem attulit cauſſam. *Ideo,* inquit, *Timotheus, cum in præputio vocatus eſſet, tamen quia de Judæa matre ortus erat, & oſtendere cognatis ſuis debebat, ad eos lucrifaciendos, non hoc ſe didiciſſe in diſciplina Chriſtiana, ut illa Sacramenta, quæ legis veteris eſſent, abominaretur, circumciſus eſt ab Apoſtolo: ut hoc modo demonſtraret Judæis, non ideo Gentes non ea ſuſcipere, quia mala ſunt, & pernicioſe a patribus obſervata: ſed quia jam ſaluti non neceſſaria poſt adventum tanti Sacramenti, quod per tam longa tempora tota vetus illa ſcriptura propheticis figurationibus parturivit. Nam & Titum circumcideret, cum hoc urgerent Judæi, niſi ſubintroducti falſi fratres ideo fieri vellent, ut haberent quod de ipſo Paulo diſeminarent, tamquam eorum veritati ceſſerit, qui ſpem ſalutis Evangelicæ in circumciſione carnis, atque hujuſmodi obſervationibus eſſe prædicarent, & ſine his nemini Chriſtum prodeſſe contenderent: cum contra nihil prodeſſet Chriſtus eis, qui eo animo circumciderentur, ut ibi eſſe ſalutem putarent. Unde eſt illud:* Ecce ego Paulus dico vobis, quia ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit.

Auguſt. lib. de mend. ad cinſent. cap. 5.

Galat. 5.

Paulus viſione admonitus in Macedoniam tranſit.

5. Dum igitur Paulus cum itineris & laborum ſociis Eccleſias viſitaret, *Confirmabantur fide, & augebantur quotidie numero. Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Aſia: Cum veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permiſit eos Spiritus Jeſu. Cum autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem* (civitatem maritimam Aſiæ, quæ & Antigonia dicta eſt,) *& viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam, adjuva nos. Ut autem viſum vidit, ſtatim quæſivimus proficiſci in Macedoniam, certi factí quod vocaſſet nos Deus evangelizare eis. Navigantes autem a Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ civitas colonia.* Ex hoc tempore nec unquam antea Lucam Paulo adhæſiſſe ſatis probabiliter adfirmaſſe videtur Baronius. Ita enim deinceps loquitur ut manifeſte demonſtret

Act. 16. 5.

Hieron. de locis Hebraic. & Plin. lib. 5. cap. 30.

Lucas adhæret Paulo.

ſtret & ipſum in Pauli comitatu fuiſſe. Atque Irenæus quidem ab hoc tantum tempore, cum Paulus ſcilicet veniſſet Troadem, Lucam ſeſe illi comitem adjunxiſſe ſignificat. Idcirco non ſtrictim intelligendus Hieronymus, ubi de Luca loquens, ipſum totius peregrinationis Pauli comitem individuum appellat; ſed dicendum omnino id ab ipſo affirmatum de eo, quod exinde conſequutum eſt, tempore. Quamquam ne ſic quidem id accipi debet, ac ſi Paulo perpetuo adhæſerit, nec unquam poſtea, quando occaſio poſtulaſſet ab ipſo ſeceſſerit. JESU CHR. AN. 52. *Iren. lib. 3. c. 14.* *Hieron. de Script. Eccl. in Luca.*

6. Porro cum Lucas prodit prohibitos fuiſſe Apoſtolos ne in Aſiam, & Bithyniam irent, divinaque revelatione in Macedoniam vocatos, demonſtrat non temere, aut humano conſilio Apoſtolos huc illucque importaſſe Evangelium, ſed divino prorſus afflatu ſeſe ad varias regiones contuliſſe. Cur autem ab Evangelio alicubi prædicando divinitus prohiberentur, hanc attulit cauſſam Origenes: *Quia tales erant auditores, in quibus nimirum & ſemen periret, & non poſſet haberi ſucceſſio.* Ceterum hæc minus vere ab Origene dicta fuiſſe, quæ aliquanto poſt tempore conſequuta ſunt, demonſtrare videntur; Nam multos poſthac Apoſtoli in Bithynia, & in Aſia ad Chriſti fidem adduxerunt, illuſtri adeo Eccleſia Epheſi conſtituta. Præclare de hac diſputatione Proſper ad objectiones Gallorum: *ſi autem aliquo modo inveniuntur homines, quibus Evangelium non fuit prædicatum, non poteſt dici ſine judicio Dei factum. Quod nefas eſt ideo reprehendere, quia non poteſt comprehendi.* Nec ultra progredi Chriſtiano licet, ſed ei potius cum Apoſtolo dicendum: *Oh altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! & quis conſiliarius ejus fuit?* Qua de cauſſa prohibiti ſint Apoſtoli, in aliquot locis Evangelium prædicare. *Orig. hom. 6. in Levit.* *Proſp. ad object. Gallor. n. 10.*

7. Interea dum Philippis conſisterent Paulus, Lucas, & Silas, *Die ſabbatorum*, inquit Lucas, *egreſſi ſumus foras portum, juxta flumen ubi videbatur oratio eſſe: & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria civitatis Thyatirenorum colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo. Cum autem baptizata eſſet, & domus ejus, deprecata eſt dicens: Si judicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite ad domum meam, & manete. Et coegit nos.* Præter Synagogas, quæ urbium mœnibus contitebantur, loca etiam habebant Hebræi in ſuburbiis poſita, quantum ſabbati haberet iter, in quæ deambulantes convenirent, ac ſimul Deo preces offerrent. De ejuſmodi locis Epiphanius agens, hæc ait: *Fuerunt quidam anti-* Lydia purpuraria Chriſto credit. *Act. 16.* *Epiph. hæreſ 80.*

JESU CHR. AN. 52.

antiquitus orationum loci, tum inter Judæos extra civitatem, tum inter Samaritas; velut etiam in actibus Apostolorum invenimus: ubi purpurariæ venditrix Lydia Paulo occurrit, & sic quoque divina scriptura narrat, quod videbatur locus orationis esse: & accesserunt & docuerunt Apostoli mulieres, quæ illo tempore convenerant. Sed & orationis locus est in Scimis, quæ nunc appellatur Neapolis, extra urbem in campestri regione duorum fermè stadiorum distantia, speciem theatri præseferens, in aere & sub dio constructus a Samaritis, qui omnia Judæorum imitantur.

De Pythonissa liberata. *Act. 16. 16.*

8. Quid autem post hæc acciderit, idem Lucas declarat his verbis: *Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus spiritui dixit: præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora. Videntes autem Domini ejus quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes: & offerentes eos magistratibus dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi, & annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani.* Erat enim Philipporum Civitas Colonia Romanorum, uti eam appellat Plinius. Porro coloni jure Romanorum vivere cogebantur; non sic quidem Municipia, quæ suis juribus, & legibus uti poterant, ut Gellius pluribus docet. Cum ergo Philippenses dixerunt se esse Romanos, eaque ex causa non licuisse sibi peregrinum morem accipere; jure colonorum eos esse locutos constat: nam etsi municipes itidem dicti sint cives Romani, tamen quos vellent, moribus & institutis utebantur. Cum igitur Paulus, & Silas sic ante magistratus civitatis sisterentur; *Cucurrit* (pergit Lucas) *plebs adversus eos: & magistratus scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem*: custos autem *pedes eorum strinxit ligno. Media autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum: & audiebant eos, qui in custodia erant.* Horum insaniam perstringit Chrysostomus: *Tu dicis, quod turbant nostram civi-*

Plin. lib. 4. cap. 11.

Gell. lib. 16. cap. 13.

Chrysost. in Acta Hom. 35.

civitatem; *Dæmon dicit, quod annunciant nobis viam salutis: Tu dicis, tradunt nobis mores, quos non licet suscipere: Vide illos neque Dæmoni auscultantes, sed unam avaritiam spectantes.* Ceterum cum Apostoli novam Populo religionem suaderent, quod nefas Romanorum legibus erat; nil mirum in eos veluti gravissimi criminis reos, & seditionis auctores totam civitatem concitatam, & publice animadversum fuisse. JESU CHR. AN. 52.

V. Tertull. Apologet. cap. 5.

9. Porro lignum, quo memorat Lucas strictos fuisse in interiori carcere Apostolorum pedes, compertum est idem prorsus fuisse cum nervo, de quo ita lege duodecim Tabularum: *Vincito aut nervo, aut compedibus quindecim pondo.* Nervus autem ex ligno constabat foraminibus plurimis distincto, quo reorum pedes inclusi, vicinioribus, aut longioribus intervallis ita vinciebantur, ut humi jacentes, nullo modo movere se possent. Quo vero longioribus intervallis includebantur, eo majori pœna vincti afficiebantur. De his vide Valesii notas in Eusebium, vel Gallonium in suo de Martyrum cruciatibus tractatu. Quid esset Nervus.

Gellius l. 20. c.

Gallon. de cruciat. martyr. pag. 70.

10. Paulus itaque & Silas, plagis acceptis, in carcerem interiorem conjecti, & pedibus in nervo positis, media nocte *orantes laudabant Deum, tum subito Terræmotus factus est magnus, itaut moverentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos carceris, & videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus. Petitoque lumine, introgressus est, & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes: & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu, & domus tua. Et locuti sunt ei verbum cum omnibus, qui erant in domo ejus. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum, & baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuo. Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua, credens Deo. Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores dicentes: Dimitte homines illos. Nunciavit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt Magistratus ut dimittamini, nunc igitur exeuntes ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publice, indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc* Paulus & Silas e carcere educti. *Act. 16. 26.*

JESU CHR. AN. 52.

occulte nos ejiciunt? Non ita; sed veniant, & ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba hæc; Timuerunt quæ audito quod Romani essent, & venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant, ut egrederentur de Urbe. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam, & visis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt. Hactenus Lucas. *Cives Romanos vincire*, facinus erat, Tullio teste, *scelus verberare, prope parricidium necare* & paullo ante Claudius Rhodiis jus libertatis ademerat, quod in Romanos quosdam Cives peccaverant; atque hinc factum existimamus, ut Philippenses Judices, ubi intellexerunt se in Romanos Cives animadvertisse, vehementer timuerint, humanisque eos verbis deprecati sint, ut ab urbe discederent.

Quid Thessalonicæ Paulus egerit. *Act.* 17.

11. Philippis egressi Paulus, & Silas *cum perambulassent Amphipolim & Apolloniam*, (Macedoniæ Urbes) *venerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum, secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos: & per sabbata tria differebat eis de scripturis; adaperiens, & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere a mortuis, & quia hic est Christus, quem ego annuntio vobis. Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.* Sui in Thessalonicam urbem adventus meminit & Paulus in priore, quam ad

1. Thess. 2.

ipsos Thessalonicenses scripsit, epistola cap. 2. *Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit. Sed ante passi, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine.* Memorat præterea quanta iidem animi

1. Thess. 1. & 2.

alacritate Evangelii prædicationem susceperint: *Evangelium nostrum*, inquit, *non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute, & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa: sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti: ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaja. A vobis enim diffamatus est sermo Domini non solum in Macedonia, & in Achaja; sed in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est: ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo,*

&

& vero : & inferius : *Ideo & gratias agimus Deo sine intermissione : quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, & credidistis. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu : quia eadem passi estis & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Judæis.* Quænam vero fuerit ejusmodi tribulatio, quam passi sunt Fideles Thessalonicæ versantes, Lucas, ex parte saltem, declarat his verbis: *Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitaverunt civitatem : & assistentes domui Jasonis, quærebant eos producere in populum. Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem & quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes : Quoniam hi qui orbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Jason : & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Jesum. Concitaverunt autem plebem, & principes civitatis audientes hæc : & accepta satisfactione a Jasone, & ceteris, dimiserunt eos. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Beræam.* Hucusque Lucas de rebus Thessalonicæ gestis. Sed & de conversatione Pauli & Silæ, cum essent Thessalonicæ, nolumus illud prætermittere, quod idem Paulus ad eos scribens inculcat his verbis: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ, Deus testis est : nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis : nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus vobis Evangelium Dei.* At non solum hæc, sed & omnes præterea, quæ in se & Silam concitatæ sunt postea persecutiones, prædixit: Commemorat id ipsum Paulus eadem epistola, ubi ait : *Nemo moveatur in tribulationibus istis ; ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. Nam cum apud vos essemus, prædicebamus vobis, passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis.* Hæc omnia prætermissa sunt a Luca, qui neque cetera recensens, numquam innuit se una cum illis fuisse, nec prima pluralis numeri persona

JESU CHR. AN. 52.

Act. 17.

1. *Thes.* 2.

1. *Thes.* 3.

JESU CHR. AN. 52.

na loquitur, uti antea fecerat: Idcirco par eſt credere ipſum a Paulo alio amandatum fuiſſe prædicandi Evangelii cauſſa, ad eum iterum reditурum; quod Timotheo, Tito, aliiſque Pauli diſcipulis ſæpe accidere conſuevit. Hinc admirabilem in Sacro Scriptore modeſtiam facile cognoſcas, tum quod quæ præſens non vidit, compendio brevi perſtrinxerit, ne vel in minimo veritas periclitaretur; tum etiam quod res a ſe geſtas, rebus tantum Pauli narrandis intentus, obvolutas ſilentio præterierit.

Quid Berœæ Paulus egerit. *Act.* 17.

12. Quæ poſtea Paulo, & Silæ acciderint cum Theſſalonica advenerunt Berœam ejuſdem Provinciæ civitatem, idem Lucas in hunc modum recenſet: *Cum veniſſent, in Synagogam Judæorum introierunt: hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum in omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum gentilium honeſtarum, & viri non pauci. Cum autem cognoviſſent in Theſſalonica Judæi, quia & Berœæ prædicatum eſt a Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commoventes & turbantes multitudinem. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum uſque ad Athenas: & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum, ut quam celeriter veniret ad illum, profecti ſunt. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus ejus in ipſo, videns idololatriæ deditam civitatem. Diſputabat igitur in ſynagoga cum Judæis, & colentibus, & in foro, & per omnes dies ad eos qui aderant. Quidam autem Epicurei, & Stoici Philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult ſeminator verborum hic dicere? Alii vero novorum Dæmoniorum videtur annunciator eſſe; & apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt.* Quo fine atque conſilio, non eſt ambiguum: *Duxerunt*, ait Chryſoſtomus, *non ut diſcerent, ſed ut punirent*. Ibi erant judicia ſanguinis; graviſſimi quippe ſceleris reus habebatur Athenis quiſquis vetuſtam religionem improbaret, aut novam civitati inferret. Inſignis eſt in hanc rem Joſephi locus: *Et quia exiſtimantibus Athenienſibus Solem eſſe Deum, Anaxagoras eum ſaxum igneum aſſeruit, paucorum ſententia morte damnatus eſt; & adverſus Diagoram Melium talentum decreverunt ei, qui occideret eum, quoniam eorum myſteria deridere ferebatur. Protagoras autem, niſi cito fugiſſet, comprehenſus occiſus fuiſſet, quod dubium de Diis Athenienſium conſcripſiſſe putaba-*

Chryſoſt. in act. hom. 38.

Joſeph. contra App. lib. 2.

tabatur. Nil itaque mirum Paulum Apoſtolum Athenis reum mortis habitum fuiſſe, cum eorum Deos omnino aſpernaretur; & uni tantum vero Deo, Cæli & Terræ conditori ſerviendum eſſe palam & publice profiteretur. JESU CHR. AN. 52.

13. Antequam vero Paulum ſuæ cauſsæ patrocinantem coram ampliſſimo ſenatu audiamus, pauca de celeberrimo Areopagitarum conventu præmittenda. Nomen quod attinet, a loco, in qua coibant, quique *Martis Saxum*, ſeu *rupes* Græce appellabatur, ortum eſſe plerique arbitrantur; quamvis nonnulli aliam ejuſmodi appellationis cauſam afferant. *Vocatus eſt Areopagus*, inquit Suidas, *quod in Saxo & loco editiore eſt forum. Arius vero, quod de cædibus judicatur, quibus præeſt Mars*. Ab antiquiſſimis uſque temporibus, Moyſis nempe tempore, & regnante Athenis Cranao, Magiſtratum hunc fuiſſe ea in urbe inſtitutum tradiderunt Baronius, Capellus, Seldenus, Marshamus, & omnes pene Chronologi, Euſebiani Chronici auctoritatem ſequuti. Sunt tamen, qui putent recentiori multum ætate, & Solonis conſilio conſtitutum. Atque hæc ſane Ciceronis, & Plutarchi opinio fuit. *Quamvis*, inquit ille, *Themiſtocles jure laudetur, & ſit ejus nomen quam Solonis illuſtrius, citetur Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis ei, quo primum conſtituit Areopagitas; non minus præclarum hoc, quam illud judicandum eſt*. Plutarchus vero: *Plurimi igitur*, ait, *Areopagitarum Curiam ad Solonem, uti diximus, referunt auctorem, quibus adſtipulari videtur, quod nuſquam meminerit Draco Areopagitarum, vel eos appellaverit*. Ut ut de hoc ſit, ſumma certe integritatis, & prudentiæ laude floruit hic Athenienſium Senatus, eaque fuit apud omnes æſtimatione, ut Cicero Romanam Curiam Areopagi nomine, veluti inſigni quodam titulo, decoraverit; & Galienus Auguſtus, Trebellio teſte, *Areopagitarum cuperet ingeri numero, contempta prope Republica*. Qui ſapientia, virtute, genere, & opibus ceteris præſtarent, hi tantum in ordinem deligebantur: Potiſſimum vero Magiſtratus illi, qui novem viri dicebantur, aut etiam ſex viri, ideſt, Theſmothetæ in Areopagi Concilium quotannis adoptari ſolebant. De Areopagitarum numero non conſtat; illorum tamen probabilior nobis videtur opinio, qui putant cum Budæo Areopagitas certo numero circumſcribi non potuiſſe. Ter tantum in ſingulos menſes ad judicia conveniebant, nimirum quarto Kal., tertio, ac pridie.

De nomine, antiquitate & auctoritate Areopagi; atque judiciorum forma.

V. Aug. de Civit Dei lib. 18. 10. & Vives in Commentario.

V. Baſnagium ad A. 51. n. 42. Cicero De offic. lib. 1. n. 75.

Plut in Solone.

Cicer. lib. 1. ad attic. Ep. 2.

Trebellius in Gal. cap. 2. Nicephor. lib. 2. cap. 20.

Bud. in Pand.

Bud. Loc. citat.

JESU CHR. AN. 52. *Valer. Max. lib. 4. cap. 6. Aelianus lib. 5. cap. 15.*

die. *Quid quisque Athenienſium ageret, aut quonam quæſtu ſuſtentaretur, diligentiſſime ab iis inquiri ſolebat, ut homines honeſtatem, vitæ rationem memores reddendam eſſe, ſequerentur.* In eos, qui conſulto mortem alicui intuliſſent animadvertebant; atque impios caſtigabant ſeveriſſime: Qui erant cauſam dicturi, non oratorum more verbiſque ad perſuadendum compoſitis, ſed ſimplici rei geſtæ narratione id facere jubebantur; & ſi forte eloquentiæ illecebris vel paululum indulſiſſent, præconis voce ſilentium eis protinus indicebatur. Ne porro miſerando reorum, qui ſemper aderant, adſpectu commoverentur, ipſa nocte, nullis admotis luminibus judicia exercebant, ſummoque ſilentio tabellarem quiſque dabat ſententiam.

Pauli oratio in Areopago.

14. Adductus itaque Paulus in Areopagum, & cauſam in ampliſſimo & frequenti ſenatu dicere juſſus; *Stans*, inquit Lucas, *in medio Areopagi, ſic ait: Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Præteriens enim, & videns ſimulacra veſtra, inveni Aram, in qua ſcriptum erat*: Ignoto Deo. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus autem qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic Cæli & Terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem, & omnia: fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inveniant: quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile. Et tempus quidem ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt Orbem in æquitate, in viro in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum a mortuis.*

Athenienſes tenaciſſimi Deorum cultores.

15. Hæc in Areopago Paulus, qui perdifficilem ſane provinciam ſuſcepit. Quomodo enim fieri poterat, ut Athenienſes toto orbe uſque adeo celebres, ut & Romanis ipſis leges dediſſent, has ipſi in re maxima, nimirum cultu divino, a barbaro homine, Judæo ſcilicet, acciperent; & qui prædicaretur ab eo Judæus homo crucifixus, idem Deus eſſe crederetur?

retur ? At Paulus prudenter admodum divino affiatus ſpiritu cauſam egit : cum enim probe ſciret ſe a multis veluti novorum dæmoniorum annunciatorem traduci, quod Jeſum Chriſtum prædicaret; ne novum aliquod Numen inducere ſed potius antiquam ipſorum religionem aſſerere videretur, ex eorumdem Theologia ad inſinuandum verum Dei cultum mira ſagacitate ſibi aditum patefecit, atque titulo, quo ara publice poſita inſcribebatur, in medium adducto, ſuis eos teſtibus convincere aggreſſus eſt. Quod porro ad Athenienſis aræ inſcriptionem pertinet, hæc habet Hieronymus: *Inſcriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus aſſerit: Ignoto Deo:* ſed ita: *Diis Aſiæ, Europæ & Lybiæ, Diis ignotis & peregrinis. Verum quia Paulus non pluribus Diis indigebat, ſed uno tantum, ignoto Deo ſingulari verbo uſus eſt.* Ab Hieronymo in eo tantum Oecumenius diſſentit, quod ait non *Diis*, ſed *Deo ignoto & peregrino* in ara ſcriptum fuiſſe. Adſentior equidem Aram Athenis extitiſſe cum ea, quam Hieronymus & Oecumenius aſſerunt epigraphe; namque Athenienſes ignotis quoque Diis aras dedicaſſe memorant Apollonius Thyanæus apud Suidam, Pauſanias, aliique; at in illa, cujus meminit in concione Paulus, aliam fuiſſe inſcriptionem ab ea, quam idem Apoſtolus protulit ne vix quidem poſſumus ſuſpicari. Quamvis enim Paulus (quod quæſo quis dixerit) de inſcriptione mutanda cogitaſſet, non potuiſſet ſane, quin ſibi calumniæ, vel impudentiæ notam imponeret. Enim vero Ignotum Deum publice Athenis cultum aperte teſtatur Lucianus, vel quivis alius ſit auctor, antiquus certe, Philopatridos: *Nos autem*, inquit, *illum Athenis ignotum inventum adorantes, & manus ad cælum tollentes gratias illi agamus*. Ethnicus præterea homo apud eumdem *Per ignotum Athenis* jurat. Accedunt Clemens Alexandrinus, & Chryſoſtomus, qui aram Deo Ignoto ſacram Athenis fuiſſe confirmant. Athenienſes etenim cum ſuperſtitionibus, quantum vix credi poterat, addicti eſſent, non modo Ignotis omnium gentium Diis, ſed & Ignoto omnium Deo aras publice conſtituerant.

Jesu Chr. an. 52.

Hieron. in epiſt. ad Tit cap. 1. p. 707. tom. 7.

Oecum. in act. Apoſt. cap. 7.

Pauſan. lib 5.

Clem. Alex. Strom. lib. 5. Chryſ in act. hom. 38.

16. Porro cum veterum Philoſophorum placitis receptum eſſet unum Deum eſſe, inviſibilem, imperceptibilem, eumdemque innominatum, & ineffabilem; hunc arbitramur ſub titulo *Ignoti Dei* Athenienſes coluiſſe, eadem prorſus ratione, qua Samaritani Idola ſimul cum vero Deo colebant, atque Alexander Severus Imperator in Lario Chriſtum, Abraham, & Orpheum venerabatur. Eruditione quidem, ſapientiaque ſe omnibus

De Deo Athenis ignoto.

JESU. CHR. AN. 52.

bus præstare Athenienses existimabant; adeo tamen a veri Dei cognitione aberant, ut illum prorsus ignorarent. Idcirco vere sapienterque Clemens Alex. *non enim*, inquit, *de Deo dicunt aliquid philosophi, sed suas affectiones Deo attribuentes exponunt*. Merito itaque potuit ab Athenienſibus Ignotus appellari, ea ferme ratione, qua *incertum* eumdem dixit Trebellius, & *innominatum* vocat eum Cajus apud Philonem in legatione: *Vos ne estis Diis invisi, qui me omnium confessione Deum declaratum soli aspernamini, mavultisque vestrum innominatum colere*; Huc accedit non proprio aliquo nomine, uti falsa Ethnicorum numina, verum Deum designatum fuisse; immo vetitum Judæis augustum Dei nomen proferre: *Quisquis autem*, ait Philo, *nominaverit nomen Domini, capitalis esto: o dictum bene, vir sapientissime. Solus hausisti sapientiam, nominare gravius credidisti, quam execrari*. Philoni congruit Justinus: *Deum ineffabilem nemo unquam nomen habere dicat, si quis vero id audeat dicere, delirat stolidissime*. Vere igitur Paulus in Areopago professus est: *quod vos ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*; ac proinde vos ad veræ religionis cultum instituo. At illi: *cum audissent*, inquit Lucas, *resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt; Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis*. Damaris Dionysii uxorem fuisse Patres tradunt; sic Amasenus: *Tantum abest, ut idiota ille ac rudis, quod ad externam sapientiam spectat, aliquid dicendo peccaverit, ut etiam Senatus ejusmodi principem Dionysium, una cum uxore dictis acquiescentem converterit*; Ambrosius quoque in Epistola ad Vercellenses: *Siquidem*, ait, *etiam Dionysius Areopagites, cum Damari uxore sua, aliisque multis credidit*; Denique Chrysostomus. *Areopagita ille superstitiosissimæ urbis illius civis, nonne cum uxore, audita tantum Pauli concione, illum secutus est?*

Phil. de vit. Mos.

Apol. 2. pag. 94.

Act. 17. 32.

Ambr. ep. 63. num. 22.

Chrys. de Sacerd. lib. 4.

Timotheum Thessalonicum Paulus mittit.

17. Postquam vero favente Christo Paulus egressus est Areopago, cum aliquantulum adhuc temporis Athenis permansisset, Timotheum inde Thessalonicam abire jussit. Memorat id ipse in priore ad Thessalonicenses epistola: *Vos enim estis gloria nostra, & gaudium, propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis: & misimus Timotheum fratrem nostrum & ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirman-*

1. Thess. 2. & 3.

mandos vos, & exhortandos pro fide veſtra, ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus. Nam cum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis futuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. Propterea & ego amplius non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendum fidem veſtram: ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter. Hæc Paulus; qui *poſtea*, Auctore Luca, *venit Corinthum, & inveniens quemdam Judæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam uxorem ejus (eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Judæos a Roma) acceſſit ad eos, & quia ejuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur, erant enim ſcenofactoriæ artis.* De Claudii edicto egimus A. 50., cui illud Oroſius alligat, ideoque uno, aut altero abhinc anno Corinthum Aquila venerat: quod autem nuper illuc veniſſe tradit Lucas, de ſuperiori æque ac de labenti anno intelligi commode poteſt. Porro Paulum non Corinthi tantum, ſed & aliis in locis victum manuum ſuarum artificio ſibi quæſiſſe compertum eſt; Id etenim ſe feciſſe Theſſalonicæ aperte ſcribit. Hoc ipſum poſtea, Epheſi cum moraretur, egiſſe etiam ipſe teſtatur ubi ait, *ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ*; & ad Corinthios ſcribens: *laboramus*, inquit, *operantes manibus noſtris*. Hanc autem ſui inſtituti rationem aliquando reddidit: *Non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus. Non quaſi non haberimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam ſiquis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes. Iis autem, qui ejuſmodi ſunt, denuntiamus & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.* Ne igitur aliquam, vel levem ſaltem occaſionem daret oblatrandi, ac dicendi, Evangelii prædicationem prætextum quemdam honeſtum fuiſſe Orbis circumeundi, lucri captandi gratia, ac quæſtus faciendi; ideo neceſſarium quoque cibum ſibi manuum labore comparandum Apoſtolus exiſtimavit; idque ceteris diſcipulis imitandum propoſuit. Et ſane Barnabam ab hoc Pauli inſtituto nec minimum

JESU CHR. AN. 52.

Act. 18.

Ad Theſſal. 2. 3. *Act.* 20.

1. *Cor.* 4.

2. *Theſſ.* 3.

Paulus victum ſibi comparat manuum labore.

JESU CHR. AN. 52. 1. Cor. 9.

receſſiſſe, declarat idem Paulus in priore ad Corinthios epiſtola his verbis: *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?* Et paullo poſt: *Aut ego ſolus, & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi? Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte ejus non manducat?* Deinde poſt multa id genus inculcata: *Sed*, inquit, *non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti.* Quod autem Paulus cum nobilitate, tum doctrina inſignis artem exercuerit, ex Rabbinorum diſciplina factum eſt. Pervulgata quippe eſt hæc illorum ſententia: *Quid debet Pater filio? eum circumcidere, redimere, legem docere, uxorem ei comparare. Rabbi Juda dixit, qui non docet filium ſuum opificium, perinde eſt ac ſi furem eum faceret.* Sed quodnam Pauli opificium fuerit, cognoſcimus ex Luca: eum nempe ſcenofactoriæ arti, nimirum tabernaculis ex pellibus confuendis operam dediſſe. Hujuſmodi enim tabernaculis uſos fuiſſe milites teſtatur Tacitus, qui illa *Pelles* ideo nominavit: *Retentus eſt omnis exercitus ſub pellibus*: & in epiſtola Valeriani ad Zozomenem Syriæ Procuratorem, Claudio dantur *Pellium tentoriarium decuriæ triginta*; Quare Origenes *Paulus*, inquit, *arte erat faber tabernaculorum*: Et paulo inferius: *ſicut illi ex piſcatione piſcium piſcatores hominum facti ſunt, ita & iſte a faciendis tabernaculis terrenis, ad cæleſtia conſtruenda tabernacula translatus eſt.* De eodem Chryſoſtomus hæc eleganter: *At*, inquit, *tabernaculorum texendorum artifex hic non Siciliam modo, atque Italiam, verum univerſum terrarum orbem, verbum Dei prædicans, peragravit? cum interim artem non intermitteret, ſed vel tum quoque pelles conſueret, & officinæ ſuæ præeſſet: neque enim ea res patricios, aut magnates offendebat: idque jure optimo.*

Quam artem exerceret Paulus.

Tacit. lib. 13. 8.

Trebell. in Claud. cap. 14.

Origenes hom. 17. in num.

Chryſoſt. hom. 2. in ep. ad Rom.

Clerici & Monachi manuum operibus vacant.

18. Hinc factum, ut deinceps Epiſcopi, Presbyteri, & potiſſimum Monachi manuum opera non dedignarentur: Monet id Auctor conſtitutionum ſub Clementis nomine: *Qui in Eccleſia juvenes eſtis, curate in omnibus rebus neceſſariis ſedulo miniſtrare; cum omni ſanctitate operi veſtro vacate, ut omni tempore & vobis & egentibus ſuppeditare poſſitis, ne Eccleſiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vacantes verbo Evangelii, ſubciſivas horas non negligimus. Alii enim ex nobis piſcatores ſunt, alii ſcenarum artifices, alii agricolæ, nec unquam otioſi ſimus.*

Clem. Conſt. lib. 2. cap. 63.

Inſi-

Insignis præterea est de hac eadem re Epiphanii locus, silentio non prætereundus: *Illi tametsi e Sacerdotum numero sint, ad sanctissimi sui secundum Deum in Christo Patris (exemplum, Paulum Apostolum intelligo, non omnes quidem, sed plerique tamen, ad suscepti tam divini verbi prædicationem externum manuum operam adjungunt: quamcunque demum artem adepti sint, quæ nec a dignitate sua, nec ab Ecclesiæ cura, quam perpetuam gerunt, abhorreat. Ut ipsorum conscientia præter illum Divini verbi prædicandi laborem, propriarum manuum fructum ferens, ac cum sibi ipsi, tum fratribus & egentibus, operis sui quæstum insertiens voluptate perfundatur: hoc est, tam primitias & oblationes, quam quod manuum suarum opera lucelli quæsierit, cum proximis suis ultro pro ardenti in Deum amore communicet.* Neque ascetica vitæ institutum veteres Monachos ab opere manuario prohibebat. Celeberrimo Ascetarum Patri Antonio fratres sollicite panem mittebant; Ipse tamen ne iis oneri esset, *a nonnullis qui ad ipsum veniebant, petiit, sibi ut ligonem, bipennem, & frumenti modium afferrent. Quibus allatis, & campo circa montem peragrato, locum haud ita amplum, sed aptum invenit, quem coleret, in quem etiam, quod rigandi fons esset uberrimus, semina sparsit. Quo singulis annis facto, satis inde panis sibi suppetere lætabatur, nec ulli quidquam exhiberet molestiæ, neque oneri se ulli in re qualibet esse.* Aliud ex Sozomeno exemplum lubet afferre: *Serapion juxta Arsenoiticam Præfecturam vixit, mille circiter Monachos regens. Quos omnes ita instituebat; ut propriis laboribus victum sibi compararent, & aliis indigentibus subministrarent. Messis autem tempore, pretio conducti fruges metebant, & frumentum, quod ipsis sufficeret, recondebant, & aliis Monachis gratis dabant.* Constat præterea ne vel ipsos Abbates a labore manuum abstinuisse. Hæc enim de Equitio memoriæ prodit M. Gregorius: *Julianus defensor Roma ad deducendum Abbatem Equitium missus, ubi esset, requisivit. Qui dixerunt, in Valle hac, quæ Monasterio subjacet, fœnum secat.* De Stephano quoque testatur: *Quod messem, quam sua manu secuerat, ad aream deduxerit.* Quid multa? Monachorum mores ita ob oculos ponit Augustinus: *Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est: operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & a Deo mens inædiri non possit. Opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant, eo quod*

JESU CHR. AN. 52. *Epiph. h. 80. n. 6.*

Athan. Vit. ant. lib. 2. pag. 481.

Sozom. lib. 6. cap. 2.

Greg. Dial. l. 3. cap. 4.

Dialog. lib. 4. cap. 19.

August. de Mor. eccl. cap. 31.

JESU CHR. AN. 52. *Aug. de Oper. Monach. c. 28.*

quod ſint denis præpoſiti. Quamobrem in otioſos Monachos Sanctiſſimus ille Pater his verbis invehitur: *Hoſtis humani generis tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum uſquequaque diſperſit, circumeuntes Provincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alii membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditant: alii fimbrias & phylacteria ſua magnificant: alii parentes vel conſanguineos ſuos in illa vel illa regione ſe audiſſe vivere, & ad eos pergere mentiuntur, & omnes petunt, omnes exigunt aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium egeſtatis.*

Agrippa maiori Regno donatur. *Joſeph. l. 20. c. 5.*

19. *Anno Imperii ſui duodecimo*, ait Joſephus, *Claudius Agrippam donavit Philippi Tetrarchia, & Batanea, adjuncta his Trachonitide cum Abila, quæ Tetrarchia Liſiæ fuerat, Chalcidem vero ei abſtulit, cum jam Dynaſta illius fuiſſet quadriennio*. Agrippa vero eodem tempore Azizo Emeſenorum Regi Druſillam Sororem matrimonio junxit, quæ poſtea, Azizo relicto, Præſidi Judææ Felici nupſit. Hanc cum marito Paulum de Evangelio diſſerentem audiviſſe, meminit Lucas: *Veniens Felix cum Druſilla uxore ſua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum &c.* Furiùs Scribonianus, *quaſi finem Principis per Chaldæos ſcrutaretur*, uti refert Tacitus, *in exilium actus eſt*; factumque Senatus Conſultum de Mathematicis Urbe & Italia pellendis. Præterea cum Pallanti Cæſaris liberto, cujus arbitrio omnia in aula gerebantur, præter ornamenta Prætoria, Senatus decreviſſet ſextertia centies quinquagies (tercenta ſcilicet & ſeptuaginta ſcutorum millia) ille honore contentus pecuniam recuſavit; reique memoriam publico monumento inſcribendam curavit. *Eſt via Tiburtina*, inquit Plinius, *intra primum lapidem monumentum ita inſcriptum. Huic Senatus ob fidem, pietatemque erga Patronos ornamenta prætoria decrevit, & H-S. centies quinquagies cujus honore contentus fuit*. Hæc Plinius, qui jure quidem ejuſmodi libertorum ornamenta, Claudii fatuitatem, & Senatus adulationem deplorat: Namque proditum eſt a Svetonio Cæſarem libertis adeo addictum fuiſſe, ut non Principem ſe, ſed miniſtrum ageret; atque illorum cujuſque ſtudio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, ſupplicia largiretur.

Act. 25.

Tacit. lib. 12.

Plin. lib. 7. ep. 29.

Sveton. in Claud. c. 29.

JESU

JESU CHRISTI AN. 53. PETRI APOST. AN. 22.
ROM. PONT. AN. 11. CLAUDII IMP. 12. ET 13.
COSS. DEC. JUNIO SILANO ET Q. HATERIO ANTONINO.
AN. URBIS 806. OLYMP. 208. AN. 2.

JESU CHR. AN. 53.

1. Cum Paulus eſſet Corinthi, ubi per annum cum dimidio ſubſtitit, *Diſputabat*, inquit Lucas, *in Synagoga per omne Sabbatum, interponens nomen Domini Jeſu, ſuadebatque Judæis & Græcis. Cum veniſſent autem de Macedonia Silas, & Timotheus, inſtabat verbo Paulus, teſtificans Judæis eſſe Chriſtum Jeſum. Contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. Et migrans inde intravit in domum cujuſdam, nomine Titi Joſti, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta Synagogæ. Criſpus autem Archiſynagogus credidit Domino cum omni domo ſua; & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur. Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo: Noli timere, ſed loquere, & ne taceas; propter quod ego ſum tecum, & nemo apponetur tibi, ut noceat te: quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate. Sedit autem ibi annum, & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei.* Cur vero inde Paulus abierit, mox memorat ipſe Lucas: *Gallione autem Proconſule Acajæ, inſurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad Tribunal, dicentes: Quia contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: ſi quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, o viri Judæi, recte vos ſuſtinerem; ſi vero quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra, vos ipſi videritis, Judex ego horum nolo eſſe. Et minavit eos a Tribunali. Apprehendentes autem omnes Soſthenem principem Synagogæ, percutiebant eum ante tribunal, & nihil Gallioni curæ erat. Paulus vero cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam, & cum eo Priſcilla, & Aquila, qui ſibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum. Devenitque Epheſum, & illos ibi reliquit.*

Pauli geſta Corinthi. *Act.* 18.

Paulus coram Gallione Aſiæ Proconſule ſiſtitur.

2. Antequam cetera a Paulo Corinthi geſta memoremus, prænotandum arbitramur, Gallionem Aſiæ Proconſulem, ad cujus Tribunal Judæi tumultuantes Paulum deduxerunt, fratrem

De Gallione Aſiæ Procon. ſule.

JESU CHR. AN. 53.

trem fuisse L. Annæi Senecæ; atque ideo Gallionem dictum, quod a Gallione Senatore fuerat adoptatus. Ejus sæpe cum laude meminit Seneca, eumque, utpote natu majorem, Dominum suum appellat: *Illud mihi in ore erat Domini mei Gallionis, qui cum in Achaja febrem habere cœpisset, protinus navem ascendit, clamitans non corporis, sed loci morbum esse.* Ceterum Gallion, quamvis religione Ethnicus, suo laicos magistratus exemplo docet, ne se spiritualibus rebus, & christianorum de fide controversiis immisceant: *Si quidem*, ajebat, *esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem, si vero quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis, Judex ego horum esse nolo.* Jam vero Paulum, cum Corinthi versaretur, baptizasse Crispum, Cajum & Stephanæ domum intelligimus ex priore ipsius ad Corinthios epistola: *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, & Cajum, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem & Stephanæ domum, ceterum nescio si quem alium baptizaverim, non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*

Seneca præf. in lib. 4. natural. quæst. epistol. 104.

1. ad Corinth. 1.

3. Sed & prodigia ac signa plurima ad evangelicam doctrinam confirmandam ab se ibidem edita fuisse idem Paulus ad Corinthios scribens testatur: *Signa tamen Apostolatus mei sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus. Quid est enim, quod minus habuistis præ ceteris Ecclesiis?* Denique dum Corinthi esset, utramque epistolam ad Thessalonicenses scripsit; priorem scilicet, cum in eam urbem Silas, & Timotheus advenissent: *Nunc autem*, inquit Apostolus *veniente Timotheo ad nos a vobis, & annuncians nobis fidem, & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis &c.* Alteram vero non multo post; Cum enim Paulus cognovisset a nonnullis Pseudo Apostolis cælesti revelatione simulata nunciatum Thessalonicensibus fuisse instare diem Domini, ideft mundi finem, idque supposita ipsiusmet epistola ab impostoribus confirmari; quod eos vehementer perturbaverat: Ut hisce malis quantocyus occurreret, alteram eisdem epistolam scribendam existimavit, qua postquam ad mala æquo animo perferenda hortatus est, mox hæc subjungit: *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epis-*

De gestis a Paulo, dum Corinthi esset.

Ad Corinth. 1. cap. 1. 15. & 16.

2. Corinth. 12.

Binas epistolas ad Thessalonicenses scribit.

epistolam tamquam per nos missam: quasi instet dies Domini; neque quis vos seducat ullo modo. Ad extremum admonet, ut se subtrahant a fratribus inordinate ambulantibus, illis scilicet, qui nihil operantes, sed curiose agentes, ex Evangelio lucrum captabant, vel otiosam vitam ducebant. Non solum autem in postrema, sed & in priore epistola fideles docuit, ut manuum labore sibi victum compararent; & tandem manu sua subscripsit: *Salutatio mea manu Pauli.* JESU CHR. AN. 53.

4. Ceterum Thessalonicensibus iterum scribens Apostolus eos potissimum admonuit, ut quæ oretenus ipsis tradiderat memoria retinerent: *Itaque fratres*, ait, *state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Quare Chrysostomus: *perspicuum est*, inquit, *quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio? nihil quæras amplius.* Basilius vero, eumdem Paulinæ epistolæ locum enarrans, hæc simili sententia adnotavit: *Apostolicum autem arbitror esse etiam in non scriptis traditionibus inhærere. Laudo enim, inquit ad Thessalonicenses, vos quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis*: deinde argumentum erudite persequens ex majorum traditione demonstrat Spiritum Sanctum, Deum appellari debere. Epiphanius quoque, *oportet*, inquit, *& traditione uti; non enim omnia a divina Scriptura accipi possunt: quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione Sancti Apostoli tradiderunt; quemadmodum dicit Apostolus: Sicut tradidi vobis*; & iterum: *Sic doceo, sic tradidi Ecclesiis: & si continetis, nisi frustra credidistis.* His congruunt plerique Patrum, qui Pauli verba eodem omnino sensu accipienda esse docuerunt. Enim vero non in recitato tantum epistolæ ad Thessalonicenses loco, sed & alibi id ipsum de traditione servanda idem Apostolus insinuat; Nam & ad Corinthios scripsit in hæc verba: *Laudo autem vos fratres, quod per omnia memores mei estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*; & post alia: *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur &c.* Verum quo tempore, vel qua ratione hæc illis tradidit, certe cum apud illos versaretur, neque scripto, sed sermonibus tantum moneus ipsos ad fidem instituit. Quæ igitur non scriptura, sed sermone

De traditionibus Apostolorum.

Chrys. ſ. in 2. epiſt. ad Theſſ. homil 4.

Baſil. ad Amphiloc. de Spir. Sanct. 29.

Epiph. hær. 61.

JESU CHR. AN. 53.

tantum ſervanda eſſe docuerat, ea, cum Theſſalonicenſibus ſcriberet, *traditiones* nominavit; *Depoſitum* autem in epiſtola ad Timotheum: *O Timothee, depoſitum meum cuſtodi*; ac iterum: *Bonum depoſitum cuſtodi.* Apoſtolicum vero depoſitum traditiones eſſe monuit jamdiu Irenæus. Præterea non aliqua modo oretenus tradidiſſe Paulus commemorat, ſed & alia etiam ſe in poſterum traditurum Corinthiis pollicetur: *Cetera autem, cum venero, diſponam.* Hinc ſcite Auguſtinus: *Illa*, inquit, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſalutherrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri.* Conſtat itaque, nonnulla ab Apoſtolis ſine ſcripto tradita Eccleſiæ fuiſſe, quæ ſancte ac religioſe cuſtodiret; atque merito a Tridentina Synodo adnotatum: *Veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt.* Atque id quidem in omni bene inſtituta Republica uſuveniſſe compertum eſt. Lacedemones enim, Athenienſes, Romanos, alioſque ad Rempublicam recte adminiſtrandam non modo ſcriptis legibus, ſed non ſcriptis etiam, iis ſcilicet, quæ majorum conſenſione probatæ, ac communi uſu receptæ eſſent, uſos fuiſſe, neminem latet. *Jus noſtrum conſtat aut ſcripto, aut ſine ſcripto*, inquit Romanæ juriſprudentiæ conſultiſſimus Ulpianus, atque eadem de Græcis teſtatur Plato: Hebræos quoque, præter jus ſcriptum, & traditiones habuiſſe, quas Deuteroſes vocabant, exploratius eſt, quam ut hic oporteat confirmare.

1. Timoth 6. 2. Timoth. 1.

Iren. lib. 3. c. 3.

Auguſt. epiſt. 54. ad Januar.

Concil. Trident. ſeſſ. 4.

Ulp. de juſt. & jure D. geſt. lib. 6. Plato de leg. lib. 6.

5. Quin immo conſtat certiſſime hujuſmodi traditiones ſcriptis legibus antiquitate præſtare; Etenim ſi primam legum originem animo repetas, facile intelliges ex inſitis a Deo in mente hominum naturæ legibus jura univerſa fluxiſſe. Invenies præterea Hebræos a priſcis uſque temporibus cum Sacra, tum civilia omnia traditionibus compoſuiſſe uſque adeo, donec ſcriptas a Moyſe leges acciperent. Quare: *Priſci illi*, inquit Philo, *ante leges ſingillatim proditas non ſcripto jure uſi, pari felicitate, ac facilitate vixerunt, ut merito quis dicere poſſit leges ſcriptas nihil aliud eſſe, quam vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta, factave narrantur: nam illi ſcholas nullas frequentaverant, nullis præceptionibus uſi fuerant, ſed a ſe ipſis inſtituti, doctique ordinem naturæ ſunt ſequuti; quæ lex eſt proculdu-*

Jus non ſcriptum legibus antiquius.

Philo de Abrahamo in princip.

proculdubio antiquissima omnium, quam ipsi jus summum, fasque rati esse totam vitam suam ultro ei subdiderunt. Jesu Chr. an. 53.

6. Verum non omnium traditionum eadem est auctoritas, idemque nomen: Quæ a Christo Domino Apostolis traditæ, ab ipsis in Ecclesiam descenderunt, *Divinæ* dicuntur; atque hujus generis sunt, quæ ad materiam, & formam Sacramentorum pertinent, veluti Confirmationis, & Ordinis, quæ licet in Sacris Scripturis definitæ non sint, ab Apostolis tamen, & a Christo Sacramentorum Auctore earum originem esse repetendam minime dubitamus. Quas porro Apostoli Successoribus commendarunt, eas *Apostolicas* nominamus, cujusmodi sunt certæ in Sacramentorum administratione preces ritusque, quorum usus ubique, semperque viguit: Quadragesimale Jejunium, Dierum festorum observatio, & si quæ sunt alia hujus generis; quorum quidem Apostolica Scripta expresse non meminerunt; nos tamen ex Apostolorum institutione ad nos usque derivasse plane fatemur. Rursus *Ecclesiasticas* traditiones eas appellamus, quibus exempli causa Cæremonias quasdam in eorumdem Sacramentorum celebratione observare jubemur, ab opere certis anni diebus abstinere, jejunare, atque alia hujusmodi, quæ Ecclesiastica sane traditione sunt constituta. Sunt denique traditiones, quæ *humanæ* dicuntur, æque si utiles, retinendæ quidem sunt pro temporum, & locorum circumstantiis; secus improbandæ. His præter modum, & impie addictos fuisse constat Pharisæos, quibus idcirco Christus: *Quare*, ajebat, *vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram.* Tot autem, inquit Hieronymus, erant Pharisæorum traditiones, quas vocabulo græco *Deuteroses vocabant, & aniles fabulæ, ut eas evolvere nequeam. Neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere.* Verum, quæ ab Apostolis in Ecclesiam descenderunt, traditiones, perpetuaque observantia veluti consecratæ summa semper apud fideles in veneratione fuerunt, hæ non secus ac leges ab Apostolis latæ suspiciendæ sunt; namque, ut ait Tertullianus: *Certe prior anima, quam littera, & prior sermo, quam liber, & prior sensus, quam stylus.*

Traditionum diversa genera.

Matth. 15. *Marc.* 7.

Hieron. epist. 121. n. 10. *ad Algas. p.* 677.

Tertull. de testim. animæ cap. 5.

7. Errant igitur, & quidem vehementer Novatores, & quotquot cum iis sentiunt, dum furore quodam obcæcati quid quid ex sacra Scriptura non percipitur, continuo aspernantur, & abjiciunt, atque nisi a se ipsis velint dissidere, eos sane

Hæretici traditiones respuunt.

JESU CHR. AN. 52.

oportet & Symbolum Apostolicum, & ipsam divinitus inspiratam Scripturam abjicere; quippe cum hanc sola demum traditione ab Apocryphis libris certo secernamus. Qui itaque his se finibus coercent, & premunt augustiis, ii quidem ab omni fidei regula excidant necesse est, neque ipsis Apostolorum scriptis, quibus tantummodo innitendum clamitant, uti possunt. Unde enim, quæso, iisdem constabit hæc illa eadem esse, quæ Apostoli, vel Evangelistæ scripserunt, non vero alia illorum nomine dolose supposita, nisi Ecclesiæ auctoritate, qua ab Apocryphis divinitus inspirata secernimus? Quare ad rem nostram adposite Augustinus: *Ego*, inquit, *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Porro Ecclesia non ex simplici sane Scriptorum titulo, aliaque fallaci ratione, quæ certa esse nt, atque germana Apostolorum opera adeo firmiter constituit; sed ex sola ferme, eaque indubia traditione didicit, docuitque. Cum itaque Scripturarum fundamentum sit ipsa traditio; eo convulso totam desuper structam molem collabi, quis non facillime intelligit? Enim vero dum nostri temporis Novatores Divinas, & Apostolicas traditiones nefarie abjiciunt, veteres sane Hæreticos imitantur: namque Valentinianos, Gnosticos, Marcionitas, aliasque hujusmodi pestes, idem ferme præstitisse auctor est Irenæus. *Cum enim*, inquit, *ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variæ sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem, ob quam causam, & Paulum dixisse: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi hujus. Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam a semetipso adinvenit, fictionem videlicet, ut digne secundum eos sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Basilide: Unusquisque enim ipsorum omni modo perversus semetipsum regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur. Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni... Evenit itaque neque Scripturis jam, neque Traditioni consentire eos. Adversus tales certamen nobis est.* Arianos quoque traditiones rejecisse, prodit ipsorum Coriphæus Maximinus apud Augustinum:

Augustin. contra epist. Manich. cap. 5.

Iren. lib. 3. cap. 2. adversus hæres.

num: *Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus. Hæc vero voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur. Cum ipse Dominus monet nos, & dicat: Sine causa colunt me, docentes mandata, & præcepta hominum.* De Arianis testatur Epiphanius *Hæresi* 75; de Eunomianis Basilius *lib. de Spiritu Sancto cap.* 27. & 29. De Pelagianis vero Pelagius ipse apud S. Augustinum *lib. de Natura & Gratia cap.* 39.: *Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adstruere.* Constat præterea Nestorianos Beatam Virginem *Theotocos* dicere noluisse, quod illa vox in Scripturis non extaret; atque Eutychem in Concilio Chalcedonensi act. 1. impie clamasse: *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?* Eodem in luto hæserunt Iconomachi, Petrobusiani, Waldenses Wiclefitæ; atque hos, egregios profecto magistros, sequuntur Sociniani, Lutherani, Calvinistæ.

JESU CHR. AN. 53. *Augustin. collat. cum Maxim. Ariano tom. 8. p.* 649.

8. Verum Catholica Ecclesia divinitus edocta non Apostolorum modo Scriptis, sed & Traditionibus fidem, ac disciplinam contineri testatur, atque idco utrisque a primis usque temporibus usa est. Quamobrem Irenæus: *Quid*, inquit, *si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis? nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charactere, vel atramento scriptum habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem Cœli, & Terræ, & omnium, quæ in eis sunt, per Jesum Christum.* Et paullo post: *Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conversationem propter fidem, perquam sapientissimi sunt, & placent Deo conversantes in omni justitia, castitate, & sapientia.* Irenæo consentit Tertullianus, qui traditionum usum, & auctoritatem his disertissimis verbis exponit: *Hæc si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo roboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquit, auctoritas scripta: Ergo quæramus, an & traditio non scripta non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum*

In quo traditio Scripturæ præstet.

Iren. lib. 3. 4.

Ritus Ecclesiæ traditione invecti.

Tertull. de coron. cap. 3.

JESU CHR. AN. 53.

rum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut a baptismate ingrediar: aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis, & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus. Die dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix: rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces. Hæc Tertullianus, antequam ad Montani castra transiret, de iis, quæ ante Montanum in Ecclesia Catholica ex traditione invaluerant, de Baptismi scilicet, & Eucharistiæ Ritibus, de oblationibus pro defunctis, de Crucis signo, aliisque, in quibus Novatores ab Ecclesia Catholica tantopere dissentiunt.

Patrum testimonia, quibus traditionis necessitas evincitur.

9. Atque ad traditionum necessitatem, & summam in Ecclesia auctoritatem confirmandam hactenus allata sufficere plerisque fortasse, nec injuria, videri poterit; monet tamen rei magnitudo, ut perpetuam de ea Patrum consensionem ostendamus. Ignatius itaque celeberrimus Antiochenorum Episcopus, & Martyr ad id potissimum fideles hortabatur, ut nimirum Apostolorum traditionibus firmiter inhærerent: *Cum per Asiam*, inquit Eusebius, *sub accuratissima satellitum custodia duceretur, singularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus, & cohortationibus suis confirmans, monebat in primis, ut sibi a pravis Hæreticorum opinionibus caverent,*

Euseb. lib. 3. 36.

JESU CHR. AN. 53.

verent, quæ tunc primum in lucem emergere cum cæpissent, copiosius pullulabant. Hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent; quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit. Similia prorsus docuit Papias, Joannis Apostoli auditor, cujus hæc sunt verba apud eumdem Eusebium: *Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose scisciabar, quænam essent Seniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid ceteri Discipuli Domini dicere soliti essent; quidnam Aristion, & Joannes Presbyter Discipuli Domini prædicarent? Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce.* Polycarpus præterea, Joannis ejusdem Discipulus, de miraculis Domini, ac de doctrina, prout ab iis, qui verbum vitæ conspexerant, acceperat, eodem prorsus modo referebat, *in omnibus cum Scriptura Sacra consentiens*, uti auctor est Irenæus in Epistola ad Florinum, qui addit: *Hæc ego divina mihi largiente clementia tunc studiosius audiebam, non in charta, sed in corde meo audita describens: eademque per Dei gratiam assidue repeto, ac revolvo.* Non omnis igitur doctrina Domini scriptis continetur; sed quædam oretenus ab ipso Apostolis tradita, quæ suis hi Successoribus commendarunt ceteris in posterum perpetuo transmittenda. Hinc idem Irenæus: *Traditionem*, ait, *Apostolorum in toto Mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest prospicere, omnibus qui vera velint audire*: Et rursus: *in Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum maxima, & antiquissima, eam, quæ est ab Apostolis, traditionem, & enunciatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum, ad sua usque tempora pervenisse; cujus vi traditionis confundantur omnes, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Memorat deinde Clementem, qui tertio ab Apostolis loco Romanum Episcopatum sortitus est, *vidisse ipsos Apostolos, & contulisse cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & Traditionem ante oculos haberet.* Tum infra refert: *Cum Clementis Patæ ætate dissensio non modica inter Christianos Corinthi exorta esset, scripsisse Romanam Ecclesiam potentissimas litteras Corinthiis, quibus eos ad pacem*

Papias apud Euseb. lib. 3. 39.

Apud Euseb. lib. 5. cap. 20.

Iren. lib. 3. adverf. hæres. cap. 3.

JESU CHR. AN. 53.

pacem congregavit, & reparavit fidem eorum: Annunciavitque, quam in recenti ab Apoſtolis acceperant Traditionem, docentem unum Deum omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ. Quæ poſtquam prodidit Irenæus, *Hunc Patrem*, ſubdit, *Domini noſtri Jeſu Chriſti ab Eccleſiis annunciari, ex ipſa Scriptura, qui velint, diſcere poſſunt; & Apoſtolicum Eccleſiæ Traditionem intelligere, cum ſit vetuſtior Epiſtola his, qui nunc falſo docent, & alterum Deum, ſuper Factorem horum omnium, quæ ſunt, commentiuntur.* Rurſus recenſita duodecim Romanorum Pontificum ſucceſſione, a S. Petro ſcilicet ad Eleutherium: *Hac ordinatione*, inquit, *& ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia Traditio, & veritatis præconizatio pervenit uſque ad nos. Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, unam & eandem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata, & tradita in veritate.* Denique ubi de S. Polycarpo, quem ab Apoſtolis edoctum fuiſſe præmonet, & converſatum cum pluribus, qui Dominum noſtrum viderant, affirmavit: *Hunc docuiſſe ſemper, quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit, & ſola ſunt vera, & teſtimonium &c.* Toto deinceps capite demonſtrat, duplicem eſſe fidei regulam, ſacram nimirum Scripturam, & traditionem; & utramque oppugnandis hæreſibus neceſſariam, atque ab iis, quibus æterna ſalus cordi eſt, amplectendam. Sed Irenæo tandem dimiſſo, Clementem Alexandrinum audiamus, qui non ſolum in Hypotypoſeon Libris aperte teſtatur Fantenum Magiſtrum ſuum *quæcumque a majoribus acceperat, & traditiones, quas poſteris reliquiſſent, expoſuiſſe*; ſed & in libris Stromatum pluribus in locis vim traditionis adſtruit, ac potiſſimum libro 6. *Cognitio autem*, inquit, *ipſa eſt, quæ per ſucceſſionem ad paucos ex Apoſtolis, abſque ſcriptis tradita pervenit*: & rurſus lib. 8. *Domino fidelis eſſe deſiit, qui adverſus Eccleſiaſticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæreſeon deſilivit opiniones.* Origenes vero poſtquam adnotavit, diverſas circumferri opiniones non in minimis modo, ſed in rebus quoque maximis, *de Deo, de Domino noſtro Jeſu Chriſto, vel de Spiritu Sancto*, hanc hiſce opinionibus ſecernendis regulam ſtatuit: *Servetur Apoſtolica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & uſque ad præſens in Eccleſiis permanens; illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione.* Vel ipſo itaque Origene Auctore, fidei

Euſeb. lib. 5. 13.

Orig. præf. in lib. Periarch.

dei controverſiæ traditione definiendæ ſunt ; quantum enim ad Sectæ ſuæ errores confirmandos Sacra Scriptura quiſque facile abutatur nemo ſane non intelligit. Idcirco Origenes ipſe, tractatu in Matthæum, hæc Chriſti verba: *Si autem dixerint vobis, ecce in ſolitudine nolite exire, ecce in domibus nolite credere*, hæreticis accommodans, qui apocryphas, aut genuinas etiam Scripturas proferant, *nos*, inquit, *illis credere non debemus, nec exire a prima, & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei nobis tradiderunt*. JESU CHR. AN. 53.

10. Quæ Tertulliani de traditionibus ſententia fuerit, paullo ante jam vidimus. Verum allato loco hæc inter plurima præſtat adjungere, quibus Marcionem traditionibus adverſantem exagitat, & in Marcione Lutheranos, & Calviniſtas: *Si*, inquit, *Propheta es, pronuncia aliquid, ſi Apoſtolus prædica publice, ſi Apoſtolicus cum Apoſtolis ſenti: Si tantum Chriſtianus es, crede quod traditum eſt: Si nihil iſtorum es, merito dixerim, morere; nam & mortuus es, qui non es Chriſtianus, non credendo quod creditum Chriſtianos facit*. Et paullo poſt: *Porro quod traditum erat, id erat verum, ut ab eis traditum erat, id erat verum, ut ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum reſcindens, quod erat verum reſcidiſti: Nullo jure feciſti. Sed plenius ejuſmodi præſcriptionibus adverſus omnes hæreſes alibi uſi ſumus*; Porro in eo, quem hic Tertullianus appellat, de Præſcriptionibus Libro, tantum in traditione auctoritatis ineſſe ſtatuit, ut ad eam potius, quam ad Sacram Scripturam in fidei controverſiis provocandum omnino doceat: *Non ad Scripturas*, ait, *provocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incerti. Nam etſi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt. Quibus competat fides ipſa? cujus ſint ſcripturæ, a quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani? ubi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum*. Ab Eccleſia itaque, penes quam fidei Depoſitum cuſtoditur, legitimus Scripturarum ſenſus accipiendus, atque ideo recte, poſtquam traditionum neceſſitatem, & originem expoſuit, concludit Tertullia-

Quantum deferendum ſit traditionibus.

Tertull. de Chriſti carne.

De præſcript. cap. 19.

JESU CHR. AN. 53.

tullianus: *Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulli doctrina diverſa. Hoc eſt teſtimonium veritatis.* Tertullianum Cyprianus excipit, qui non meram aquam, ſed vinum aqua mixtum in Sacramento Euchariſtiæ offerri oportere, ex traditione confirmat: *Admonitos*, ait, *nos ſcias, ut in calice offerendo Dominica traditio ſervetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit.* Sed & pervulgatum illud eſt Stephani Papæ, & Martyris ad Cyprianum in celebri de baptiſmate Hæreticorum controverſia reſponſum: *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*: Qua unica ſententia irritum haud eſſe Hæreticorum baptiſma ex traditione Pontifex definivit, uti obſervatum eſt ab Auguſtino: *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa, quæ tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.* Cur autem Cyprianus Stephani Decreto non ſubſcripſerit, illud tantum in cauſſa fuit, quod eam, quam Stephanus urgebat traditionem, inter humanas recenſendam exiſtimabat: *Unde eſt*, ajebat, *iſta traditio? utrumne de Dominica, & Evangelica auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis, atque epiſtolis veniens?* Athanaſius quoque traditionis auctoritate Arianos oppugnabat: *ecce*, inquit, *nos demonſtramus ipſius ſynodi ſententiam a Patribus ad Patres, quaſi per manus traditam eſſe.* Euſebius vero duos veluti Chriſtianæ diſciplinæ fontes digito oſtendens, *partim litteris*, ait, *partim ſine litteris, quaſi jure quodam non ſcripto ſervanda commendarunt Apoſtoli.* Traditionum denique in Eccleſia uſum & præſtantiam oſtendunt Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Cyrillus, Epiphanius, Auguſtinus, Hieronymus, & reliqui ferme Patres; recentiori vero memoria adverſus Hæreticos ſtrenue vindicarunt potiſſimum Melchior Canus, Bellarminus, fratres Walemburgenſes, & nuperrime Natalis Alexander, qui inſanos Riveti, & Dallæi adverſus traditiones conatus doctiſſima ſane diſſertatione retudit.

Cyprian. epiſt. 63. edit. Amſtelod.

Cypr. ad. Pomp. epiſt. 74.

Aug. de Baptiſmo lib. 2. contra Donat.

Athanaſ. de Nicæn. Synod. Euſeb demonſtr. Evang. lib. 1. 8. Baſil. de Spirit. S. cap. 27. & hom. 27. contra Sabell. & epiſt. 61. ad Ovid. Epiſc. Nyſſen. lib. 3. contra Eunom. Epiph. hær. 75. Aug. de baptiſ. contra Donat. l. 2. 7. & l. 5. & 6. Hier. adverſ. Luciferi. & alibi. Bellarm. de jure non ſcripto. Nat. Alex. ſæc. 2. diſſert. 16.

II. Sunt qui binas Pauli ad Theſſalonicenſes Epiſtolas Athenis, vel Romæ ſcriptas exiſtimarunt; quos tamen vehementer erraſſe, & animadverterunt jamdiu Baronius, & Eſtius, & nos paullo antea oſtendimus, ubi Pauli ipſius teſtimonio probavimus datas ab Apoſtolo fuiſſe Corinthi. Porro apud omnes fere convenit Paulum eaſdem hoc circiter anno exaraſſe,

Pauli epiſt. ad Theſſal. Corinthi ſcriptæ. *Synopſis Athanaſiana. Theodoret præf. in Epiſt. Pauli.*

se, ideoque primo inter ceteras loco esse numerandas: Constat siquidem falli Grotium, qui harum priorem sub Caligula scriptam tradidit; nondum enim eo tempore Paulus vel Macedoniam attigerat, vel Thessalonicæ Ecclesiam, ad quam scriberet, constituerat.

JESU CHR. AN. 53. *Ussius prof. in Epist. ad Thess. Basnag. an. 51. 73.*

12. Nero sexdecim annos natus Octaviam Cæsaris filiam hoc anno uxorem duxit, si Tacito fides habenda est; Suetonius enim, & Dio, id toto anno ante contigisse memorant. Præterea ut eloquentiæ, cui vacabat, laude celebraretur, Iliensium causam in se suscepit, atque diserte adeo Græca oratione in Senatu egit, ut iis quasi Romanæ Gentis auctoribus, plenissimam a publicis quibuscumque oneribus immunitatem impetraverit. Eodem oratore Bononiensi Coloniæ subventum est, datis ad restituendam urbem incendio consumptam centies sestertii, seu ducentis quinquaginta millibus scutorum. Reddita quoque, orante Nerone, Rhodiis libertas, quam propter cives quosdam Romanos in crucem actos Claudius nuper ademerat; Tributumque Apamiensibus in quinquennium remissum,

Neronis nuptiæ, aliaque gesta. *Tacit. lib. 12. 58.*

13. Berenices postquam, Herode Chalcidis rege, (qui ipsius maritus fuerat idemque Patruus,) vita functo, longum tempus in viduitate egisset; ut suspicionem de fraterno incestu declinaret, Polemoni Ciliciæ Regi nupsit, qui sese quidem matrimonii causa circumcidendum præbuerat; sed ab uxore postea relictus Judaicam Religionem abjecit. Porro Berenicem, cujus Lucas in actis meminit: fraterni concubitus suspicione apud Ethnicos quoque laborasse testatur aperte Juvenalis

Berenices Nuptiæ cum Polemone Ciliciæ Rege.

Act. 25.

Juven. Satyra 6.

> . . . . . *Adamas notissimus & Berenices*
> *In digito factus pretiosior, hunc dedit olim*
> *Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa Sorori.*

Eodem quoque tempore, cum Mariamne, teste Josepho, Archelaum repudiasset, Demetrio inter Alexandrinos Judæos genere pariter ac opibus primo, & tunc etiam Alabarchiam gerenti nupsit; atque filium ex eo genuit, quem Agrippinum appellavit.

Joseph. antiq. lib. 20. c. 7.

CHR. 54. JESU CHRISTI AN. 54. PETRI APOSTOLI AN. 23. ROM. PONT. AN. 12. NERONIS IMP. I. COSS. M. ASINIO MARCELLO, ET M. ACILIO AVIOLA AN. URB. 807. OLYMP. 208. AN. 2.

Ius vovendi Nazaræa. vit.

1. Hoc Christi anno 54. *Cum Paulus dies multos*, inquit Lucas, *adhuc Corinthi sustinuisset, fratribus valefaciens navigavit in Syriam, & cum eo Priscilla, & Aquila, qui se totondérat in Cenchris; habebat enim votum*: Nimirum, antequam Cenchris Corinthiorum portu, seu navali, Paulus solveret, exacto Nazaræatus tempore cæsariem deposuerat. De hoc Nazaræorum voto, & ritu Numerorum capite sexto agitur, atque viris, & feminis commune fuisse scimus. Hinc Josephus de Berenice: *Venerat*, ait, *Hierosolymam, ut vota* (Nazaræatus scilicet) *Deo solveret; His enim qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, consuetudinis est vovere per triginta dies, antequam immolent hostias, & vino abstinere, & capillos radere*. Quid autem Apostolum ad Nazaræatus votum solvendum adduxerit incertum est. Ceterum id forte præstitit, ut *cum Judæis Judæus factus* eos facilius Christo *lucri faceret*.

*18. *lib. 8. *de bello* 2. 2. 15.

Pauli iter in Syriam, & Galatiam. *Act.* 18. 20.

2. Corintho itaque solvens Paulus Ephesum venit, & Aquila, ac Priscilla itineris sociis in urbe relictis, *ingressus Synagogam disputabat cum Judæis. Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret, non consensit, sed valefaciens, & dicens, iterum revertar ad vos Deo volente, profectus est ab Epheso, & descendens Cæsaream ascendit, & salutavit Ecclesiam* (Hierosolymorum) *& descendit Antiochiam, & facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galatiam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos*. Hæc Lucas, paucis complectens quæ ab Apostolo Ephesi, Cæsareæ, Hierosolymis, Antiochiæ, & Galatiæ gesta fuerunt.

Ad Gal. cap. 4. Porro Paulum peramanter a Galatis exceptum fuisse prodit ipse in ea, quam ad illos postea scripsit epistola: *Scitis, quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem, & tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum*. Et paullo post: *Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*. Enim vero quo tempore Paulus Syriam, & Asiam peragrabat, *Judæus quidam*, *Act.* 18.

Apol-

Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens devenit Epheſum, potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & fervens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Jeſu, ſciens tantum baptiſma Joannis. Hic ergo cæpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cum audiſſent Priſcilla, & Aquila, aſſumſerunt eum, & diligentius expoſuerunt ei viam Domini. Cum autem vellet ire Achajam, exhortati fratres, ſcripſerunt diſcipulis, ut ſuſciperent eum. Qui cum veniſſet, contulit multum his, qui crediderant, oſtendens per Scripturas eſſe Chriſtum Jeſum. JESU CHR. AN. 54.

3. Sub exitu vitæ ſigna quædam pœnitentis de matrimonio Agrippinæ, deque Neronis adoptione Claudius dedit; atque Britannicum ſibi in Imperio ſucceſſorem deſtinaſſe non obſcure ſignificavit. Verum Agrippina prius quam ultra progrederetur veneno ſuſtulit, quod privato convivio boletis infuſum illorum temporum Scriptores prodiderunt. Hinc Juvenalis: Claudii Imp. obitus, cui ſuccedit Nero. *Suetonius in Claud. Tacit. annal. lib. 12. Juven. ſatyr. 5.*

Boletus Domino, ſed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, poſtquam nil amplius edit.

Mors ejus celata eſt, donec omnia firmando Neronis Imperio componerentur. Itaque a Conſulibus ac Sacerdotibus pro incolumitate ipſius adhuc vota ſuſcepta ſunt; & inducti per ſimulationem comœdi, qui velut deſiderantem oblectarent. Exceſſit tertio idus Octobris, poſtquam imperaſſet Annos treſdecim, menſes octo, dies viginti. Funeratus eſt ſollemni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus; quem honorem a Nerone abolitum, recepit mox per Veſpaſianum. Interea illatus Caſtris Nero, & congruentia tempori præfatus, promiſſo donativo ad exemplum paternæ largitionis, Imperator conſalutatur. Sententiam militum ſequuta Patrum conſulta, nec dubitatum eſt apud Provincias. Sexdecim annos, menſes novem, dieſque viginti octo natus erat Nero, cum imperium ſuſcepit; ortus enim erat *Antii poſt novem menſes, quam Tiberius exceſſit octavo Kal. Januarias.* Neque audiendus Baronius, qui reclamante veterum annalium fide affirmat tunc Neronem ætatis annum decimum ſeptimum expleviſſe. Regnavit annos treſdecim, menſes ſeptem, dies 28. uti Clemens Alexandrinus, & Euſebius teſtantur: Obiit autem die nona Junii anno Chriſti 68., ætatis vero primo & trigeſimo, uti recte ſcribitur a Dione; non trigeſimo ſecundo, uti memoriæ prodidit Svetonius; quem tamen cum Dione conciliat Pagius, animadvertens annos duos incompletos Svetonium *Tacit. lib. 12. Sueton. in Claud. 45. Dio. lib. 60.*

Suet. in Nerone cap. 6.

Bar. an. 56. 42.

Clem. Alex. Strom. l. 1. Euſeb. in Chron. Pagius an. Baron. 57. not. 4. & an. 70. 3.

JESU CHR. AN. 54.

tonium numeraſſe, quod alios etiam hiſtoricos ſæpe feciſſe compertum eſt.

Mors Junii Silani, & Narciſſi Liberti.

4. Vix dum Nero Imperii habenas ſuſceperat, cum per dolum Agrippinæ Junius Silanus Auguſti abnepos, & Aſiæ Proconſul veneno ſublatus eſt, quod P. Celer Eques Romanus, & Ælius libertus rei familiaris Principis in Aſia impoſiti, inter epulas dederunt. Nec minus properato Narciſſus Claudii Libertus aſpera cuſtodia, & neceſſitate extrema ad mortem actus eſt. Ditiſſimus hic erat, adeo ut conquerenti Claudio de Fiſci paupertate quidam reſponderit: *Abundaturum ſe diviti, ſi a duobus Libertis in conſortium reciperetur*; Narciſſo ſcilicet, & Pallante: Hæc tamen inſcio prorſus Nerone patrata fuiſſe teſtantur Tacitus, & Dio. Namque Seneca iis Principem moribus imbuerat, ut nocentiſſimi etiam ſupplicium exhorreſceret. *Animadverſus in Latrones duos* (inquit Seneca) Neronem ipſum alloquens) *Burrhus Præfectus tuus vir egregius, & tibi Principi notus exigebat a te ut ſcriberes, in quos, & ex qua cauſa animadverti velles; hoc ſæpe dilatum, ut aliquando fieret, inſtabat. Invitus invito cum chartam protuliſſet, traderetque, exclamaſti: vellem neſcire litteras. O dignam vocem, quam audirent omnes gentes, quæ Romanum Imperium colunt!* Et ſane ex Auguſti præſcripto imperaturum ſe profeſſus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occaſionem omiſit. In Agrippam vero Judæorum regem, ejuſque gentem ſub principatus initia propenſior adeo animo fuit, ut ejus regno quatuor Urbes addiderit cum illarum Toparchiis, Abilam & Juliadem in Petræa Tarichæas, & Tiberiadem in Galilæa.

Tacit. lib. 13.

Sueton. lib 5. 28. Dio lib. 60. Tacit. l. 13.

Senec. de Clement. lib. 2.

Sueton. in Neron.

Judæa cædibus vaſtatur, & a Latronibus populatur.

5. Ceterum res Judaicæ in deterius quotidie prolabebantur; *nam regio iterum Latronibus repleta eſt, & impoſtoribus, qui multitudinem ſeducebant*, quorum tamen multos Felix ſuſtulit, atque Eleazarum Dinæi filium, qui latronum agmen collegerat, ex inſidiis captum Romam mittendum curavit. Porro Felix frequentia Jonathæ ſummi Sacerdotis monita de rebus Judaicis melius adminiſtrandis pertæſus, Doræ Jonathæ amiciſſimo præmiis propoſitis ſuaſit, ut ad eum interficiendum immitteret latrones; *qui quaſi Deum adoraturi in Urbem venientes ſub veſtibus ſicis ſuccinti, atque Jonathæ familitio permixti ipſum occiderunt. Cum autem inulta munſiſſet cædes, in poſterum latrones ſine omni metu in feſtivitatibus aſcen-*

Joſeph. antiq. lib. 20. cap. 8.

ascendunt, ferrumque similiter ac antea occultatum habentes, turbæ immixti partim e suis inimicis quosdam perimunt, partim aliorum, aliis pecunia operam suam præstantes, idque non modo in Urbe reliqua, sed ipso etiam in Templo nonnullos; nam & illic cædem facere non verebantur, quasi ita agendo nihil pietatem læderent. JESU CHR. AN. 54.

6. Sublato e vivis Jonatha, Agrippa Rex Pontificatum contulit Ismaeli Phabi filio; quo Pontifice *orta est ingens seditio Pontificum adversus Sacerdotes, primoresque plebis Hierosolymitanæ, adeo ut singuli illorum collecta manu perditorum hominum, noviisque rebus studentium auctores se palam ferrent; congressique interdum conviciis & lapidibus se mutuo impeterent: Cum interim nemo esset, qui eos objurgaret; sed tamquam in civitate omni rectore destituta hæc liberius agerentur.* Pontificum vero tanta fuit impudentia & audacia, ut non verentur servos suos ad areas mittere, qui decimas Sacerdotibus debitas raperent; unde factum ut horum quidam præ alimentorum inopia mortem oppeterent. Denique quidam ex Ægypto Hierosolymam venit, qui se Prophetam esse simulans plebi suasit, ut secum montem olivarum ascenderet; inde enim, Hierosolymorum mœnibus suo jussu collapsis, ei per ipsos aditum se patefacturum pollicebatur. Quod ubi Felix audivit, magna peditum equitumque manu Ægyptium, ejusque asseclas invasit; ac quadringentos quidem occidit, ducentos vero vivos cepit, Ægyptio interea pugna elapso, & e conspectu statim sublato; ad quem certe animum intendens Lysias Paulo dixit: *non ne tu es Ægyptius? qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia Sicariorum.* Jonathæ Sacerdoti succedit Ismael. *Idem loco citato*

JESU CHRISTI AN. 55. PETRI APOST. AN. 24.
ROM. PONT. AN. 13. NERONIS IMP. AN. 2.
COSS. NERONE CLAUDIO CÆSARE I. ET LANTISTIO VETERE.
AN. URBIS CONDITÆ 808. OLYMP. 208. AN. 3.

1. Postquam Asiæ Provincias Paulus peragraverat, Ephesum profectus per triennium ea in Urbe versatus est, ut ipse tradidit ita Ephesios allocutus: *vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non cessavi cum lacrymis, monens unumquemque vestrum.* Dum autem ibi consisteret, *cum inveniisset quosdam discipulos, dixit ad eos: Si Spiritum San-* De Pauli gestis Ephesi; & de ejus pugna cum bestiis. *Act. 19. 21.*

JESU CHR. AN. 55.

Sanctum accepiſtis, credentes. At illi dixerunt ad eum: ſed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: in Joannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt in Jeſum. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant: erant autem omnes viri fere duodecim. Hos putat Joannes Chryſoſtomus fuiſſe advenas Judæos ex Aſia, qui cum Hieroſolymam ad diem feſtum acceſſiſſent, Joannis Baptiſmum ſuſceperant, neque de rebus ibi poſtea geſtis quidquam amplius acceperant. *Poſt hæc vero*, ſequitur Lucas, *ingreſſus Paulus Synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menſes, diſputans, & ſuadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, diſcedens ab eis, ſegregavit diſcipulos quotidie diſputans in Schola Tyranni cujuſdam. Hoc autem factum eſt per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Aſia audirent verbum Domini, Judæi, atque Gentiles.* Paucis hic Lucas Pauli geſta complectitur; & quamvis plurima cum a Judæis, tum a Gentibus Apoſtolum pertuliſſe certiſſime conſtet, ea ſilet omnino, præter illa quæ Demetrii cauſſa contigiſſe anno ſequenti videbimus. Quædam tamen ex ipſo Paulo cognoſcimus; Namque *vos ſcitis*, ajebat, *a prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim ſerviens Deo cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Judæorum.* Præterea in priore, quam ad Corinthios ſcripſit Epiſtola *Si ſecundum hominem*, inquit, *ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt.* Itaque ex his Apoſtoli verbis nonnulli ſibi facile perſuaſerunt eum revera ad beſtias Epheſi damnatum fuiſſe. Verum illorum ſane probabilior ſententia videtur, qui metaphorice Apoſtolum loquutum fuiſſe putant; atque homines ferinis moribus præditos beſtiarum nomine intellexiſſe, eodem fere modo, quo in Pſalmis ſcriptum novimus: *Tauri pingues obſederunt me, ſalva me ex ore Leonis; & ne tradas beſtiis animas confitentes tibi.* Atque Paulus ipſe Neronem innuens, *Liberatus ſum*, inquit, *de ore Leonis*; Ignatius vero hæc in ſua ad Roma-

Chryſoſt. in Act. hom. 40.

1. ad Corint. 15. Quo ſenſu S. Paulus cum beſtiis pugnaverit. *Ambroſiaſter, & Theodoretus comm. in epiſt. ad Corinth. Tertull. de reſurrect. carnis c. 45. Chryſoſt. Iſoph. in Epiſt. ad Corinth. 1. cap. 15 Pſalm. 21. & 37. ad Timoth. 4.*

nos Epiſtola de militibus ſcripſit a quibus in urbem deducebatur: *A Syria Romam uſque cum beſtiis pugno, per terram, & per mare nocte, & die vinctus decem Leopardis, quod eſt militaris ordo.* Quo igitur ſenſu Ignatius, ſe cum beſtiis pugnaſſe dixit, ſuoſque cuſtodes Leopardos appellavit, eodem prorſus perverſos, quorum cauſſa tam multa Paulus Epheſi ſuſtinuit, beſtias cum quibus ei pugnandum fuerat, nominavit. JESU CHR. AN. 55.

2. Porro quænam fuerit pugna, quam cum hujuſmodi ferinis hominibus Epheſi pugnavit Apoſtolus, vix dum conjectura aſſequi poſſumus. Sunt qui putent tumultum a Demerio argentario, ejuſque ſociis Epheſi excitatum, iis Pauli verbis commemorari; quorum tamen quam ſit inanis opinio ii facile intelligent, qui animadverterint priorem ad Corinthios ante datam fuiſſe, quam ille tumultus excitaretur. Quamobrem iis potius accedendum exiſtimamus, qui judicarunt Paulum deſignaſſe potius Judæos, qui furore perciti omni inſidiarum genere ipſum aſſidue vexabant, uti in Actis aperte legimus. Immane illorum in fideles odium adpoſite quidem ſub oculos ponit S. Juſtinus Martyr: *Cum Chriſtum occideritis*, inquit, *ne ſic quidem pœnitentiam agitis, ſed nos etiam qui per eum Deo & Patri univerſorum credidimus odiſtis, & quoties facultas datur, occiditis; illumque indefinenter, & eos, qui ab illo orti ſunt execramini; cum nos omnes pro vobis præcemur.* Quænam fuerit Epheſi Apoſtolus ſuſtinuerit. *Dial. cum Tryph. n. 133. pag. 235. edit. Venet.*

3. Inter hæc vero, prodigia quam plurima ab Apoſtolo patrata fuiſſe meminit Lucas: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Sudaria cum Semicinctiis confundunt plerique, conſtat tamen ſudarium veteres dixiſſe linteum, quo ad ſudorem faciei detergendum, vel nares purgandas utebantur; Semicinctium contra faſciam, qua veſtes corpori adſtringebant, ſuccingebantque: Hinc illud Martialis: Miracula Epheſi per Paulum geſta. *Act. 19. 11. & 12.*

Jam mihi nigreſcunt tonſa ſudaria barbæ:
Et rurſus:
Det tunicam dives, ego te præcingere poſſum,
Eſſem ſi locuplex, munus utrumque, darem.

Mart. lib. 11. & 14.

atque Arator etiam, in Hiſtoria Evangelica, Pauli Sudaria a Semicinctiis aperte diſtinguit. *Arat. lib. 2. hiſt. Evang.*

JESU CHR. AN. 55.

Semicintia denique Pauli
Atque oblata palam ſudaria fuſa per artus
Languorum preſſere focos.

Sacrarum Reliquiarum uſus vindicatur. *Jo. Cleric. annal. 55. 6.*

4. Admonet Joannes Clericus, ridetque Romanæ communionis theologos, ex hujuſmodi curationibus, quæ Pauli Sudariis, & Semicinctiis morbo laborantibus Epheſi admotis fiebant, reliquiarum apud Catholicos cultum adſtruere ac vindicare. Verum, quis quæſo ſtudio partium ſepoſito, ex his non videat quam recte ſacrarum reliquiarum in Eccleſia cultus fuerit inſtitutus? Quis jure poterit Catholicos calumniari propterea quod cum Hæmorrhoiſſæ, & aliorum qui tangentes Domini fimbriam ſanabantur; tum Epheſiorum credentium exemplo, ſanctorum reliquias venerantur, ut eadem & ipſi percipiant, quæ illi olim ſunt fide prævia conſequuti? *Penes quos*, uti merito animadvertit Baronius, *Catholica veritas? An apud eos, qui ex Evangeliſtarum præſcripto, Domini, & Pauli auctoritate, hæmorrhoiſſæ, & aliorum, ac denique Epheſiorum exemplo ſanctorum reliquias, ut aliquam inde ſalutem hauriant, quo decet cultu, & honore proſequuntur; an apud eos, qui eas ut Dæmones, deteſtantur? O quam profundo barathro, obſcuriſſima offuſi caligine detinentur, qui hæc tam patentia, ac toto cælo perſpicua non intelligunt.* Primus omnium ſacrarum reliquiarum cultum oppugnavit Eunomius, quem perditiſſimus Vigilantius, & inde Claudius Jaurinenſis, aliique ſunt conſectati: unde Gennadius *Sanctorum corpora, & præcipue beatorum martyrum reliquias, perinde ac ſi Chriſti membra ſinceriſſime honoranda, & Baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca ſancta divino cultui mancipata, affecto piiſſimo, & devotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit; non chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.* Hos tamen quam longe impietate vicerunt Lutherani, Calviniſtæ, ceterique hujuſmodi Reformatores, quos merito quidem Hagiomachorum nomine compellavit Baronius. Namque Martyrum, aliorumque Sanctorum, ſepulcris effoſſis, aris loculiſque disjectis, oſſa cineres, reliquias omnes vel in ſterquilinia, vel in ignem impie abjecerunt. Quamobrem oportuiſſet ſane Baſnagium cum ſuis potius de hujuſmodi ſceleribus expoſtulare, quam Baronium in invidiam adducere quod ipſos proprio adeo nomine appellaverit. Et ſane quam id inique Annalium Parenti exprobret, & Re-

Ad A. 55 n. ix.

De Eccleſ. Dogm. cap. 73.

Et 54. n. 8.

& reliquiarum cultum veluti a pietate alienum, palamque & aperte damnatum traducat, Basnagius ipse vel invitus prodit. Namque Baronio scisciranti quid facturi essent Novatores, *si illa ipsa Pauli sudaria & semicinctia haberentur atque ob ipsorum oculos ponerentur?* respondet: *Pauli sudaria hæc atque semicinctia preciosa ipsis fore, & Apostoli monumenta, & sacra divinæ potentiæ pignora; quomodo Hebræis manna, serpensque Æneus, Dei benevolentiæ, providentiæque argumenta fuere certissima, quibus ad amorem sui Numinis laudesque alliciebantur.* Si ergo *Pauli Sudaria atque Semicinctia* uti *preciosa Apostoli monumenta, & sacra divinæ potentiæ pignora* essent suspicienda, quæ te Basnagi, tuosque contribules præpostera religio incessit, ut impium adeo bellum SS. Reliquiarum cultui inferretis; quibus veluti potentiæ suæ pignoribus, certissimisque benevolentiæ ac providentiæ argumentis, & tot ac tanta Deus Christiano populo beneficia contulit; & ad amorem sui numinis laudesque, adeo vehementer allicimur? An fortasse quæ sunt divinitus concessa orariis ac semicinctiis eadem negaverimus Pauli ossibus attributa? An hæc omnia, Paulo privatim, & non ceteris Sanctis omnibus communicata, vel ipsa tot seculorum experientia reclamante, dixerimus? Certe non aliorum, (inquit, jure quem frustra carpis, Baronius) quam malorum Dæmonum vos participes esse significastis, eorumdemque vos consortes esse professi estis, qui cum ea Pauli sudaria & Semicinctia tum aliorum quoque Sanctorum pignora exhorrescentes, potius quam illa pati sustinentes, obsessis diu corporibus repente profiluerunt. Jesu Chr. an. 55.

4. Etenim, inquiunt Heterodoxis idolatrico prorsus cultu reliquias prosequitur Romana Ecclesia; eas thurificationibus & genuflexionibus non secus ac Deum adorat, atque divinam in eis, eamque inhærentem virtutem profitetur. Abjiciendus ergo hujusmodi cultus, & purganda nefariis hisce superstitionibus erroribusque Christi Domini Ecclesia: idcirco Basnagius idem Catholicis impudenter insultans, *absit a nobis* ait, *ut Pauli Sudariis, semicintiisque impressam divinitus vim fuisse aliquam existimemus, qua morbi pellerentur.* Apage calumnias. Constat enim inter omnes Catholicos, Martyrum ossa ceterorumque Sanctorum reliquias divinam, eamque inhærentem virtutem in se non habere, neque ab ipsis immediate, sed quidem a Deo vero illorum auctore, iis veluti signis & instrumentis miracula patrari Hæreticorum calumniæ in Catholicos ob Reliquiarum cultum.

JESU CHR. AN. 55. *Auguſt. de Civ. Dei lib. ult. cap. 10.*

trari. Denique non abſolutum, ſed relativum tantum uti ſcholæ loquuntur cultum nos Sanctis eorumque Lipſanis adhibere. Hinc Auguſtinus adverſus eos, qui jam tum illis temporibus eadem ferme Catholicis per ſummam injuriam affingebant; *Nos Martyribus noſtris*, ajebat, *non templa ſicut Diis, ſed memorias fabricamus; nec erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus.* Sed de his, quibus pleni noſtrorum libri plura fortaſſe quam oporteret.

Vela, & lintea, aliæque res ſepulchris ſanctorum admotæ vim curandi morbos haurie-bant. *Bar. Martyrol. Rom. die 15. Junii. Greg. Papa lib. 4. Epiſt. 30. Greg. Turon. de glor. Martyr. c. 28. Auguſt. de Civit. Dei lib. 22. cap. 5.*

5. Ea porro veterum Chriſtianorum erga Sanctorum Reliquias religio fuit, ut cum nefas eſſet, eorum corpora ſepulchris condita tangere, ſudaria, vel aliquod aliud velum eiſdem deſuper admoverent, quæ Sanctuaria, ſive Brandea dicebantur: Quantam autem Sanctorum tumulis admota hujuſmodi vela inde virtutem haurirent teſtatur Gregorius I. Pontifex in Epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam. Neque ſolum velamina, atque panniculos, ſed & languentium, ac defunctorum veſtes, ſacris Altaribus, ubi eſſent Reliquiæ Martyris, ſuperpoſitæ, ad reſtituendam ægrotis valetudinem, defunctis vitam, accepiſſe virtutem, fideliſſimus teſtis eſt S. Auguſtinus, qui ad arguendam Gentilium impietatem, complurium miraculorum ſuo tempore in Africa editorum catalogum texuit; eamdemque gratiam floribus, qui iiſdem ſacrarum Reliquiarum loculis admoveri conſueverunt, pluribus idem demonſtrat exemplis. Sed majora adhuc memorant indubia antiquitatis eccleſiaſticæ monumenta, ex his enim intelligimus, non modo Sudaria, & Semicinctia, velamina, veſtes, flores, & frondes, & ſi quæ alia ſacris admota Reliquiis tantam operandi miracula vim conſequi conſueviſſe; ſed ipſum pulverem, & ſitum, quo, ut accidit, Sanctorum Sepulcra aliquando obducerentur, eadem virtute valuiſſe. Fidem horum integram faciunt Patres fere omnes, & potiſſimum Gregorius Nyſſenus, qui de ejuſmodi conſuetudine pulveris colligendi hæc: *Si quis pulverem, quo conditorium, ubi Martyris corpus quieſcit, obſitum eſt, auferre permittat: pro munere pulvis accipitur, atque tamquam res magni pretii condenda terra colligitur.* Ceterum quot quantave miracula ex collecto pulvere circa Sanctorum ſepulcra jacente, Deus operari conſueverit, prodit Gregorius Papa, qui fideli, certaque atteſtatione refert, ex pulvere collecto ex Altaris crepidine mortuum eſſe revocatum ad vitam. Mul-

Pulvis ex ſepulcris Sanctorum collectus magnæ virtutis. *Greg. Nyſſen. orat. in laud. magni Theodori. Greg. Dial. lib. 3. cap. 17. Greg. Tur. de mirac S. Martin. lib. 2. cap. 1. l. 3. c. 1 2. l. 4. c. 32. 33. & ſeq. de glor. Martyr. l. 1. c. 6 2, l. 2. c. 24. 33. & 45.*

ta

ta etiam id genus, & quorum nonnulla ipse expertus est, scribit Gregorius Turonensis.

JESU CHR. AN. 55.

6. Præterea quæ a Sanctorum loculis sunt penitus separata, sed tamen in ipsorum impenduntur honorem, eamdem edendi miracula facultatem sunt divinitus assequuta; ut oleum, quo ex antiquissimo Ecclesiæ more, lampades ad sepulcra Martyrum solent incendi: eo enim unctum cadaver filii Irenæi ad vitam esse revocatum, S. Augustinus est auctor. Theodoretus quoque ingentia plane miracula de eodem oleo ex lychnis ad Martyrum sepulturas suspensis collecto, memoriæ prodidit. Venantius Fortunatus admirabilem sane gratiam ex oleo Lampadis consequutus, id carmine cecinit: cui etiam rei adstipulatur Paulus Diaconus. Sed in his non immorandum; satis enim superque erit de his dignam Gregorii Nazianzeni sententiam protulisse, qui hæc de Sanctis Martyribus non minus vere, quam diserte affirmat: *Quorum corpora idem possunt, quod animæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur; quorum vel solum sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora.* Et alibi.

De Oleo Lampadum incensarum in Sanctorum Sepulcris.

Aug. de Civit. Dei lib. 22. cap. 8.

Theodoret. in hist. 55 PP. cap. 21. in Jacobo Venant. Fortun. in Vita S. Mart. lib. 4.

Paul. Diac. de gest. Longob. l. 2. c. 9.

Martyres Clarissimi
Venerationi tamque magna est veritas
Exiguus etiam pulvis, ut vel ossium
Particula veterum quæpiam, aut paulum comæ
Vestisve, spursi aut sanguinis quædam notæ
Cultum parem habeant, atque corpus integrum
Post aliqua
O Miraculum
Meminisse nam vel martyrum solum
Affert salutem. Quid febres, ac Dæmones
Mirum hinc fugatos in medium recensem.

Greg. Naz. in Jul. orat. 1. tom. 1. p. 77. edit. Billi.

Carm. jamb. tom. 2. p. 216.

7. Cum igitur eadem prorsus, quæ a toto Martyris alicujus corpore, ab exigua etiam ipsius parte, beneficia fideles consequerentur, factum exinde est, ut unius Martyris corpus in plures interdum partes fideles dividerent, conderentque sub diversis Altaribus, quæ sepulcra sunt Martyrum; indeque etiam accidit fortasse, ut cum unius ejusdemque Martyris diversis in locis Reliquiæ conditæ haberentur, & æque ac si integrum corpus ubique horum locorum conditum esset, eadem miracula sint operatæ, unius ejusdemque Martyris corpus diversis in locis haberi dicatur. *Tolerabilis error*, inquit Baronius, *cui non hominum impostura, sed exube-*

Cur sint Reliquiæ Sanctorum divitæ.

Baron. A. 55. n. 20.

JESU CHR. AN. 55. *exuberans divina largitas præbuit occaſionem ; dum quod ob virtutis præſtantiam diverſis in locis ſit , unius ejuſdemque Martyris erecta memoria , vel excitatum ſepulcrum (quod eſſe conſuevit ſacrum Altare) quiſque apud ſe corpus illius habere eſt opinatus .*

Dionyſ. Halic. lib. I. *At ſi licet ſacra profanis conferre , Dionyſius Halicarnaſæus de pluribus Æneæ ſepulcris hanc affert rationem , ſic dicens :* Quod ſi quem perplexum facit , quod Æneæ ſepulcra monſtrentur multis in locis , nec poſſit niſi uno eſſe conditus : cogitet hanc dubitationem eſſe vulgarem , & intelligat , quod quamvis unicus locus capiat corpora talium , apud multos tamen monumenta eis facta ſunt , in gratiam acceptam utilitatis cujuſpiam .

Hæc ille : Quæ quidem de Sanctis Martyribus multo magis potuerunt accidiſſe , cum præſertim non ſatis eſſet ob accepta beneficia memoriam illis erigere , niſi etiam ipſorum Reliquiis conſecraretur Altare ; qua ratione Baſilius ait : Quadraginta illos Martyres dictos eſſe conditos in variis civitatibus , quia quælibet ipſarum partem aliquam Reliquiarum poſſideret .

Baſil. orat. in 40. Martyr.

Fidelium cura in colligendis Sanctorum Reliquiis .

8. Ad hæc qui paullo animum adverterit , non mirabitur ſane fideles a primis uſque temporibus de Sanctorum reliquiis ſibi comparandis perquam ſollicitos fuiſſe . Antiquiſſimis enim , iiſque indubiis Eccleſiæ monumentis traditum eſt Chriſtianos diligentiſſime curaſſe , ut eluentem e Martyrum vulneribus ſanguinem colligerent , & religioſe ſervarent , præſidium ſcilicet ſibi poſteriſque haud leve futurum . Illuſtris eſt cunctiſque notiſſimus Prudentii locus in Libro Periſtefanon :

Hymn. v. verſ. 341.

Plerique veſtem linteam
Stillante tingunt ſanguine
Tutamen ut ſacrum ſuis
Domi reſervent poſteris .

De S. Hyppolito Hymn. x. v. 139. Et alibi :

Palliolis etiam bibulæ ſicantur arenæ .
Nequis in intacto pulvere ros maneat .
Si quis , & in ſudibus recalenti aſpergine ſanguis
Inſidet , hunc omnem ſpongia preſſa rapit .

Plura veterum teſtimonia in hanc rem proferre & longum eſſet , & minime neceſſarium ; Illud tantum non ſilebimus plurima etiamnum reperiri in veteribus Cœmeteriis vitrea , figlina vaſcula , quibus Martyrum ſanguis exceptus fuit , quibuſque veluti certo atque indubitato indicio Martyrum Cadavera dignoſcuntur , uti monuerunt jamdiu , Boſius , Aringhius , Bolde-

Jesu Chr. an. 55.

Boldetus, aliique præclariſſimi viri, qui ſumma cum diligentia inveſtigatis, deſcriptiſque Romanis cœmeteriis maximam ſibi gloriam compararunt. Quo autem in honore & Martyrum ſanguis, & ipſa martyrii inſtrumenta a fidelibus haberentur declarat Ambroſius his verbis. *Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus.... Condant alii aurum, atque argentum, ac de latentibus eruant venis, legant preciosa monilium ſerta: temporalis ille theſaurus eſt, & ſæpe habentibus perniciosus. Nos legimus martyrum clavos, & multos quidem, ut plura fuerint vulnera, quam membra... Collegimus ſanguinem triumphalem.* His porro, veluti ſacris, venerandiſque reliquiis uſum fuiſſe Ambroſium in Baſilicæ dedicatione, intelligimus ex his ejuſdem Ambroſii verbis ſtatim ſequentibus: *Hæc ſanctæ viduæ negare non potuimus poſtulanti. Munera itaque ſalutis accipite, quæ nunc ſub ſacris Altaribus reconduntur. Ea igitur vidua Sancta eſt Juliana, quæ hoc Domino templum paravit, atque obtulit, quod hodie dedicamus.* Præterea idem Ambroſius de Sanguine SS. Martyrum Gervaſii, & Protaſii. *Et hic*, inquit, *Sanguis clamat coloris indicio: ſanguis clamat operationis præconio ſanguis clamat paſſionis triumpho.* Gaudentius vero Sanctiſſimus Brixientium Epiſcopus. *Poſt iſtos*, ait, *habemus Gervaſium, Protaſium, atque Nazarium Beatiſſimos Martyres, qui ſe ante paucos annos apud urbem Mediolanenſem Sancto Sacerdoti Ambroſio revelare dignati ſunt, quorum ſanguinem tenemus gypſo collectum, nihil amplius requirentes; tenemus enim ſanguinem, qui teſtis eſt paſſionis.* Ruſus a Magno Gregorio relatum legimus, quo tempore Petrus, & Paulus paſſi ſunt, Chriſtianos ex Oriente Romam adveniſſe, ut ipſorum ſibi reliquias vindicarent; quominus tamen id facerent divinitus impeditos. Antiochenos vero poſtquam Ignatius Martyrium Romæ conſumaverat, quidquid ex ejus corpore ſupererat Antiochiam detuliſſe, ibique veluti theſaurum magno cultu adſervaſſe, teſtantur apertiſſime ſincera Paſſionis ejuſdem acta his verbis: *Sic beſtiis crudelibus ab impiis apponebatur... ut ſit nulli fratrum gravis per collectionem reliquiarum... ſola enim aſperiora ſanctorum oſſium derelicta ſunt, quæ in Antiochiam reportata ſunt, & in caſa repoſita ſicut Theſaurus inappretiabilis.* Actis congruit omnino Chryſoſtomus, cui utpote Antiocheno præ ceteris fides eſt adhibenda: *Roma*, inquit, *ejus ſanguinem excepit; vos*

De Exhortat. Virg. cap. 2. n. 9.

In Epiſt. ad Soror. Claſſe 1. Epiſt. 22. n. 23.

Tractatu de Die Dedicat. Baſil. Concil. SS.

Lib 3. Epiſt. 30.

Apud Ruinart. pag. 10. n. 7.

JESU CHR. AN. 55. *vos reliquias ejus ſuſcepiſtis. Vos Epiſcopatu ejus gaviſi eſtis; illi martyrio ſunt lactati. Certantem illi, vincentem, ac coronatum conſpexerunt; vos perpetuo illum poſſidetis. Exiguum ad tempus eum vobis ademit Deus, ſed majori cum gratia reſtituit.* Et paullo inferius: *Sanctum illum omnes ex ordine Civitates ab urbe relatum ſuſcipientes, humeriſque geſtantes, Antiochiam uſque ſunt comitatæ martyrem corona tum concelebrantes, collaudantes victorem, diabolum deridentes.* Hactenus Chryſoſtomus, qui poſt hac de miraculis, quæ ad Ignatii ſepulcrum ſæpe fiebant plura commemorat. Id iniquiſſime fidei Chriſtianæ hoſtes perferrebant; atque ideo eos ſæpe curaſſe legimus, ne martyrum reliquiæ a fidelibus auferrentur, exprobraſſeque (quod ferme faciunt noſtrorum temporum Novatores) nefarium illis cultum ab ipſis adhiberi. Quod quidem quam falſo fuerit ab utriſque jactatum, plane intelligimus ex celeberrima Smyrnentis Eccleſiæ Epiſtola de Martyrio S. Polycarpi. *Sed cum* ajunt Smyrnenſes, *æmulus ille ac invidus & malus cerneret inſigne illius Martyrium.... operam dedit, ne reliquiæ ejus a nobis auferrentur; quamvis multi id facere cuperent. & Sancti illius corpori communicare. Suggeſſit ergo Niceta Herodis patri, fratri autem Alces, adire Proconſulem, ne corpus illius ad ſepeliendum traderet; ne, inquit, relicto Crucifixo hunc colere incipiant. Atque hæc ajebant, ſuggerentibus, & inſtantibus Judæis, qui etiam nos obſervaverant eum ex igne extracturos. Ignari quod nec Chriſtum unquam derelinquere poterimus, qui pro ſalute omnium, qui in toto mundo ſalvi fient, paſſus eſt inculpatus pro peccatoribus; nec alium quempiam colere. Illum ſiquidem, utpote filium Dei adoramus; Martyres vero tamquam Domini diſcipulos & imitatores merito diligimus, propter illorum erga ſuum regem ac magiſtrum benevolentiam eximiam: quorum utinam & nos fiamus conſortes ac condiſcipuli. Videns autem Centurio a Judæis ortam contentionem, corpus in medio ignis poſitum exuſſit. Atque ita nos poſtea oſſa illius gemmis prætioſiſſimis exquiſitiora, & ſuper aurum probatiora tollentes, ubi decebat depoſuimus. Quo etiam loci nobis ut fieri poterit congregatis, in exultatione ac gaudio, præbebit Dominus Natalem Martyrii ejus diem celebrare tum in memoriam eorum, qui certamina pertulerunt, tum in venturorum hominum exercitationem & alacritatem.* Hucuſque Smyrnenſis Eccleſia, cujus ſane luculentiſſimis verbis

Ruinart. acta Martyr. pag. 37. n. 17. & 18.

bis nihil poterat illustrius proferri, cum ad Catholicorum de Reliquiarum cultu sententiam declarandam, tum ad omnes hæreticorum calumnias penitus repellendas. JESU CHR. AN. 55.

9. Porro Altaribus super Martyrum sepulcra constitutis, Deo in ipsorum memoriam sacrificium offerri consuevit: atque hujusmodi morem, ubique fere quarto Ecclesiæ Seculo receptum, a Vigilantii calumniis ita vindicat Hieronymus: *Male ergo facit Romanus Pontifex, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulviſculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur Altaria.* S. Ambrosius vero de Reliquiis SS. Gervasii, & Prothasii Martyrum recens inventis: *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est; sed ille super Altari, qui pro omnibus passus est; isti sub Altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi; dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo Sacris victimis dexteram portionem; locus iste Martyribus debebatur.* Augustinus etiam de S. Cypriano: *Denique, sicut nostis quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est: tamen dicitur Cypriani, non quia ibi est immolatus, sed quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.* Denique de Ara super Hippolyti Martyris sepulcro excitata ita Prudentius canebat:

Super Martyrum Sepulcra Altaria erecta.

Hieronym. contra Vigil cap. 9. P. 395. tom. 2.

Ambros. epist. 22. n. 13. ad Marcellinam Sororem.

Serm. III. de diversis.

Hymno XI.

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi adposita est Ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris adposita.
Servat ad æterni spem Judicis ossa sepulcro,
Pascit idem sanctos Tibricolas dapibus.

Et Nolanæ Ecclesiæ Antistes Paulinus de prisco eodem usu:

Sic geminata piis adspirat gratia votis
Infra Martyribus, desuper acta Sacris.

Ceterum aliis longe pluribus pii religiosique cultus significationibus Sanctorum reliquias fideles semper prosequuti sunt,

JESU CHR. AN. 55.

quas hic singillatim recensere non vacat, quum eas præsertim rerum Christianarum Tractatores perquam docte & diligenter illustraverint. Quamobrem nonnulla tantum ex Prudentio, & Chrysostomo subjiciemus, quæ summam erga easdem reliquias venerationem luculentissime declarant. Prudentius itaque hæc ad rem nostram non minus vere, quam eleganter cecinit.

Hymn. xi.

Mane salutatum concurritur: omnis adorat
Pubis; eunt, redeunt solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum latios simul ac peregrinos
Permixtim Populos Relligionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressu metallo,
Balsama defundunt, fletibus ora rigant.
Jam quum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio festa refert,
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs Augusta suos vomit effunditque Quirites,
Una & Patricios ambitione pari.
Confundit plebeja phalanx umbonibus æquis
Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exsultant fremitus variarum hinc inde viarum,
Indigena, & Picens, plebs & etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox, habitator & altæ
Campanus Capuæ, jamque Nolanus adest.
Quique sua lætus cum conjuge, dulcibus & cum
Pignoribus rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis densa cohors spatiis.

Homil. 26. in 2. ad Cor.

Chrysostomus autem *ille ipse*, inquit, *qui purpura vestitur vadit, ut monumenta illa complectatur, & fusu posito stat Sanctis supplicans, ut se patrocinio apud Deum adjuvent; & Scenopegum vel Piscatorem* (idest Petrum, & Paulum), *vel vita functos Patronos adhibet ille diademate redimitus; atque hoc non solum Romæ fieri videas, sed etiam Constantinopoli. Nam & illic Constantinum Magnum magno affecturum honore hujus filius existimavit, si in vestibulo Piscatoris corpus illius*

JESU CHR. AN. 55.

illius collocaret, ita quod ſunt Imperatoribus in Palatio janitores, hoc in ſepulcro Piſcatoribus ſunt Imperatores.

Hæreticorum quædam objecta refelluntur.

10. Ad extremum, ne cui forte negotium faceſſant quæ Novatores adverſus reliquiarum cultum ad ravim uſque conclamant, falſas ſcilicet ſuppoſitaſque in Eccleſia proponi; pleraſque a pluribus Eccleſiis vindicari, cum unicæ eſſe debeant; multoſque in earumdem cultum abuſus irrepſiſſe, oportet cum Natale Alexandro animadvertere, *De ſingularum reliquiarum cum Heterodoxis nobis non eſſe quæſtionem, ſed tantum de illarum cultu, quarum probata veritas eſt. Et ſi qui irrepſerint abuſus in Religioſum cultum, ſi ſuperſtitiones quædam rudiorum hominum, aut ſimplicium mulierculorum, ſi quæſtus ſacrilegi; pravos illos mores degeneris pietatis exceſſus, quæſtuariam Religionem, immo potius Religionis corruptelam, ſemper deteſtatam eſſe Eccleſiam, & vitia illa emendare ſtuduiſſe, ut ex Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. cap. 62., & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. compertum eſt; & in vindicandis Sanctorum Reliquiis, ideſt in earum delectu, & verarum a falſis diſcretione a primis ſeculis diligentiam adhibuiſſe ſingularem. Hujus rei inſigne habetur exemplum in hiſtoria, & origine Donatiſtarum, quorum ſchiſmaticam factionem ex Reliquiarum occaſione conflatam apud Carthaginem Optatus aſſerit per Lucillam feminam factioſam, quæ ante conceſſam perſecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo non eſſet Eccleſia, cum correctionem Archidiaconi Cæciliani ferre non poſſet, quæ ante ſpiritualem cibum, & potum os, neſcio cujus Martyris, ſi tamen Martyris, libare dicebatur, & cum præponeret calici ſalutari os, neſcio cujus hominis mortui, etſi Martyris, ſed necdum vindicati, correpta cum confuſione, irata diſceſſit.* His adjungenda ſunt Gregorii Magni, atque Turonenſis exempla; quorum primus Auguſtino Anglorum Apoſtolo in hæc verba reſcripſit: *Fecimus quod petiſti, quatenus populus, qui in loco quodam S. Sixti Martyris corpus dixerunt venerari, quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter ſanctum videtur, certa ſanctiſſimi Martyris beneficia ſuſcipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quia ſi corpus quod a populo cujuſdam Martyris eſſe creditur, nullis illic miraculis coruſcat, & neque aliqui de antiquioribus exiſtunt, qui ſe a parentibus paſſionem ejus audiſſe fateantur; ita reliquiæ, quas petiſti, ſeorſum condendæ ſunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet, modis*

Nat. Alex. tom. 5. p. 402.

Lib. 1. adverſus Parmenianum.

Lib. 12. epiſt. 9.

JESU CHR. AN. 55.

omnibus obſtruatur, nec permittatur populus certum deſerere; & incertum venerari. Alter vero Altare in loco, quem falſa vulgi opinio, velut conſepultis ibi Martyribus, ſacraverat, a ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum, inquiſitione facta diligenti diruit, cum divina revelatione nullos ibi Martyres, ſed latronem ſepultum, & vulgi errore celebratum cognoviſſet.

De Pauli Epiſtola ad Galatas.

11. Sed ad Hiſtoriam, a qua Sudariorum cauſſa paullulum digreſſi ſumus, eſt denique redeundum. Itaque Paulus, cum Epheſi hoc tempore verſaretur, Epiſtolam ad Galatas ſcripſit, in qua illud ſingulare prorſus obſervandum monet Hieronymus, ſcilicet non unius tantum urbis fidelibus, uti ceteræ omnes, ſed regioni univerſæ, quæ Galatia dicebatur, Epiſtolam hanc inſcriptam fuiſſe. Ut autem Epheſi potius, quam Romæ datam exiſtimemus, pluribus adducimur: Conſtat enim Paulum in iis, quas Romæ certe ſcripſit, ſua vincula meminiſſe; de his vero in Epiſtola ad Galatas ne verbulum quidem occurrit. Præterea Galatarum erga pauperes munificentiam ita in priore ad Corinthios memorat: *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite*: atque iterum ad Romanos his verbis: *Probaverunt enim Macedonia, & Achaja collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Jeruſalem*: Si itaque priorem ad Corinthios Epiſtolam ante Romana vincula ſcripſit Paulus, de quo ſane nullus dubitat; multo magis idem dicendum de altera ad Galatas, in qua eos de memorata collatione in pauperes facienda vehementer admonet: *Communicet autem is, qui ſe catechizat in omnibus bonis. Nolite errare; Deus non irridetur: Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. . . . Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei.* Rurſus miratur Apoſtolus Galatas tam cito tranſlatos ab eo, qui eos *vocaverat in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium*: id autem quis quæſo Paulum multos poſtquam acciderat annos Romæ ſcripſiſſe dixerit? Adfirmandum igitur cum eruditis plane viris per hæc tempora hanc ad Galatas Epiſtolam Epheſo miſiſſe. Cum enim intellexiſſet Apoſtolus a falſis ex circumciſione fratribus Galatas ſollicitari, ut præter Chriſtianam fidem Legis quoque Moſaicæ cæremonias obſervarent, ſeſe circumciſioni ſubjicerent, ipſique longe alia docenti minus fiderent; Hinc factum, ut Paulus de Apoſtolatus ſui præſtantia Galatas ea Epiſtola docendos duxerit, monen-

1. *ad Corinth.*

ad Rom. 15. 26.

ad Galat. 6. 6.

Ibid. 1. 6.

Tillemont. To. 1. *p.* 253. *Cleric. An* 52.

Qua de cauſa Apoſtolus ad Galatas ſcripſerit.

monendosque non in legis observantia, sed in Christi gratia spem omnem salutis esse constitutam. JESU CHR. AN. 55.

12. Porro Petrum hoc circiter tempore Corinthum adiisse, eaque in urbe Evangelium prædicasse, conjicere forte quis poterit ex priore Pauli ad Corinthios epistola: Meminit enim Petri, Pauli, & Apollo, sive Appollonii discipulos fuisse Corinthi, atque inter eos contentionem exortam, cum quisque diceret: *Ego sum Cephæ, ego Pauli, vel ego Apollo*. Quæ tamen illa in urbe, & alibi postea a Petro gesta fuerint, quove Neronis anno Romam iterum advenerit, nos adeo latet, ut ad postremum usque ejusdem Apostoli annum, quo alteram Epistolam scripsit, & vitam Martyrio consummavit, nihil prorsus de ipso referendum occurrat. S. Petrus Corinthi Evangelium prædicat.

13. Consulatum Pridie Kalend. Martii Nero abdicavit; Verum qui fuerint in ejus locum suffecti Consules, ignoramus. Interea vero invalescentibus vitiis, & imminuta paullatim Agrippinæ Matris potentia, ejusque auctoritate spreta, parum abfuit, quin Acten libertam justo matrimonio sibi conjungeret, submissis consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent; ab ejus tamen sinu neque minis, neque blanditiis a Matre divelli unquam potuit. Britannicum præterea optimæ spei Juvenem, suumque in Imperio Collegam hoc eodem anno veneno sustulit, *ministro*, uti memoriæ prodidit Tacitus, *Pollione Julio Prætoriæ cohortis tribuno, cujus cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama*. Neronis libido, & crudelitas. *Svet. in Nerone.*

Nero Britanni. cum veneno occidit. *Tacitus Annal. lib. 13.*

FINIS.

INDEX

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum indicat.

A

Aaron Sacerdos eligitur. 10. moritur. *ibid.*
Abdias Propheta. 15.
Abel occiditur. 5.
Abgari epiſtola ad Jeſum Chr. 191. 37. J. Chriſti ad eum 192. 38. an genuina ſit 193. 40.
Abgaro Taddæus prædicat Evangelium. 193. 39.
Abias ſuccedit Roboamo. 13.
Abraam a Deo vocatur. 6. & 7. Melchiſedecho oblationes offert. *ibid.* Moritur. 8.
Achabus Amri filius & ſucceſſor. 14. ab Elia Propheta corripitur. *ibid.*
Achaz Rex Judæ. 16. ei ſuccedit Ezechias. 17.
Acta, & epiſtola Pilati ad Tiberium. 82. 18. & 85. 19. an genuina ſint. *ibid.*
Adam a Deo creatur. 5.
Ægypto Templum Heliopoleos ædificatur. 31.
Ælius Sejanus veneno Druſum enecat. 58.
Æræ vulgaris, ſeu Dionyſianæ initium. 43. & 50.
Agrippa Junior, ultimus Judæorum Rex, naſcitur. 60. idem Herodes dictus. *ibid.* Romam proficiſcitur. 146. 10. in vincula conjicitur. *ibid.* a Cajo liberatus Regno ditatur. *ibid.* in Judæam pergit. 151. 4. Quid in Agrippam Alexandrini egerint. 152. 5. Deluſus in Caraba. *ibid.* Ad Regnum ſuum pervenit. 158. 2. Herodem Antip. accuſat. *ibid.* Cajum Imp. adit pro Judæis. 200. 46. Epiſtola ad Cajum. 201. 47. Illius reditus in Judæam. 213. 11. Eccleſiam perſequitur, Jacobum occidit, & Petrum in carcerem mittit. 214. 1. In Cuſtodes animadvertit. 218. 5. Illius obitus. 255. 9.
Agrippa Filius Agrippæ, Herodi in Chalcidis Regno ſuccedit. 290. 4. Majori Regno a Claudio donatur. 334. 19. A Nerone quatuor Civitates obtinet. 349. 3.
Alexander M. Darium vincit. 26. Eo mortuo, varia Regna exoriuntur. 27.
Alexander Cuſpio Fado in Judæa

dæ Procuratione ſuccedit. 280. 9. Quis fuerit. *ibid.*
Alexandrini tumultus ſedantur. 211. 8.
Alexandrini Judæos perſequuntur. 153. *& ſeq.*
Amaſias in Regno Judæ ſuccedit. 15.
Amon biennio regnat. 18. Ei ſuccedit Joſias. *ibid.*
Amos quando vixit. 15.
Amri ſolus regnat in Iſrael. 14. ei ſuccedit Achabus. *ibid.*
Ananiæ, & Zaphiræ interitus. 75. 9. Eorum crimen, & pœna. 76. 10. An Ipſorum interitus S. Petrus Auctor dici debeat. 77. 11.
Ancus Martius Romanorum Regnum dilatat. 18.
Andreæ Apoſtolatus. 176. 16. Acta illius Martyrii. *ibid.* 17. an vulgata a Chriſtiano Voog ſint ſincera *ibid.*
Angelus Sennacherib cum exercitu percutit. 17.
Annas cur Sacerdotum Princeps dicatur. 74. 6.
Annunciatio Mariæ V. per Angelum facta 44.
Antiochus Syriæ Rex, cognomento Magnus. 29. eidem, ſuccedit Seleucus filius. *ibid.*
Antiochi Epiphanes in Judæos perſecutio. 30.
Antiochus Eupator illi ſuccedit *ibid.*
Antipodes Patribus ignoti. 186. 30.
Apion Alexandrinorum Legatus. 205. 52. Ejus calumniæ in Judæos. *ibid.* 53.
Apoſtolorum miracula. 70. 3. Cur hora nona Templum adierint. 71. 4. Eorum digna ſententia. 74. 7. An alii præter Petrum infirmos umbra ſanaverint. 79. 14. In carcerem conjiciuntur. 80. 15. Sæviente perſecutione cur Hieroſolyma non exceſſerint. 107. 22. Eorum in Orbem diſperſio. 166. 4. Symbolum edunt. *ibid.* 5. Quo ſenſu Auctores Symboli dicantur. 167. 6. & 170. 9. An ſinguli Articulum ediderint. 168. 7. Quam Regionem ſinguli adierint. 171. 11. & 175. 14. Spiritus Sancti inſtinctu facta Provinciarum diviſio. *ibid.* Dei virtus elucet in eorum prædicatione. 173. 12. An in India prædicaverint. 181. 21. An ad omnes gentes iverint. 184. 28. Et ubique prædicatum fuerit Evangelium. 185. 29. Eorum acta ſuppoſititia. 186. 31. Vitæ apocryphæ. 187. 32. Libri eiſdem falſo tributi. 189. 35. Eorum Cathedræ ſervatæ. 235. 2. An in Galliis Evangelium prædicaverint. 272. 3. Qua de cauſa prohibiti alicubi prædicare. 321. 6. Iidem Traditionibus ſuffragantur. 337. 4.
Archelaus Regno ejectus, in Galliis cogitur exulare. 52.
Archelao relicto, Mariamne Deme-

Demetrio Alex. nubit. 347. 13.
Areopagi nomen, antiquitas, & dignitas. 327. 13.
Ariſtobolus homo execrandus, & impius. 34. Ejus Frater Alexander Judæorum Rex eligitur. 35.
Arphaxad, ſeu Dejoces primus Medorum Rex. 18.
Arria Cæcinnæ Conjux ſe interimit. 233. 18.
Arſen Perſarum Rex. 26. Ejus ſolium occupat Darius Codomanus. *ibid.*
Artaxerſes Longimanus. 23. ei ſuccedit Ochus filius. 26.
Arthabanus Regnum recuperat. 144. 7.
Aſæ Regnum. 13. & 14. Joſaphatum ſucceſſorem relinquit. *ibid.*
Aſinii Galli in Claudium conſpiratio. 268. 5.
Aſſarhaddon Sennacheribi Succeſſor. 17. Cui ſuccedit Saoſduchinus. 18.
Aſſyriorum Imperium fundatur. 11. In tria Regna dividitur. 16.
Aſſuerus, de quo in lib. Eſtheræ, quis fuerit. 24.
Athenienſes regia dignitate privantur. 12. Deorum cultores tenaciſſimi. 328. 14. De Deo ignoto Athenis. 329. 15. & 16.
Attalus Pergami Rex Romanum Populum inſtituit hæreredem. 33.
Auguſto Cæſare imperante, J. C. naſcitur. 45. Illius clementia in Cinnam. 51. Ovidium relegat. 53. Legem Poppeam edit. *ibid.* Ei prorogatur Imperium. 55. Cenſum agit, & moritur. *ibid.*
Azarias, qui & Oſias, Amaſiæ filius. 15.

B

Babyloniorum Regni principium. 16. Illius finis. 20.
Babylonis nomine cur Roma deſignata fuerit. 242. 8.
Barjeſu Magus excæcatus. 261. 7. Utrum Chriſti Fidem fuerit amplexus. *ibid.*
S. Barnabas, qui & Joſeph, agri prætium Apoſtolis attulit. 75. 8. Cum Paulo ordinatur. 250. 4. Lyſtris, ut Deus habetur. 279. 6. A Paulo recedit. cum Marco Cyprum navigat. 314. 1. Excuſatur. 316. 2. Ubi Evangelium prædicaverit. *ibid.* An Mediolano fuerit. *ibid.* Ejus epiſtola an genuina ſit. 317. 3.
S. Bartholomæi Apoſt. prædicatio. 182. 21.
Bellum Civile inter Cajum Cæſarem, & Pompejum. 37.
Bellum Parthicum Tiridatem inter, & Arthabanum. 144. 7.
Bellum Punicum, primum, & ſecundum. 28.

Berenices Polemoni Ciliciæ regi nubit. 347. 13.
Bonis Fideles primi renunciant. 75. 8.
Bonorum renunciatio an fuerit præscripta. 78. 12.
Brittannicus a Nerone veneno sublatus. 365. 13.

C

CAdaverum cura, sepultura, ac funeris pompa. 99. 16. & seq.
Cæsarea a Philippo Tetrarcha instauratur. 59. Metropolis Palæstinæ dicta. 140. 3.
Cain Abelem occidit. 5.
Caiphas Sacerdotium obtinet. 59.
Cajus Caligula Claudiam Uxorem ducit. 110. 27. Solus imperat. 149. 5. Illius gesta. 150. 6. Crudelitas. 151. 2. Macronem interficit. *ibid.* Ejus libido. *ibid.* 3. Se Deum credit. 160. 5. Æquum suum in Sacerdotio collegam habet. *ibid.* Statuam suam in Templo Hierosol. collocare jubet. *ibid.* 6. A Capitone in Judæos excitatur. 161. 7. Galliarum Provincias affligit. 195. 41. In Urbem redit. *ibid.* Legatio Judæorum ad eumdem. *ibid.* 42. Quid Legati Romæ egerint. *ibid.* Nuntium de statua in Templum inferenda accipit. 197. 43. ejus ad Petronium epistola. 203. 49. Legatos Judeorum audit. *ibid.* 50. De esu porcinæ carnis compellat Judæos. 204. 51. Occiditur. 210. 6.
Cajum Cæsarem inter, & Pompejum Civile bellum. 37.
Caligula. Vide *Cajus Caligula*.
Cambyses succedit Cyro. 21. Eo occiso Darius Histaspis filius. *ibid.*
Capito in Judæos Cajum excitat. 161. 7. Ejusque Colossum Jamniæ erigi curat. *ibid.* 8.
Carnis esus hominibus a Deo concessus. 6.
Carthago quo tempore condita. 14.
Carthago, & Corinthus evertuntur. 31.
Cassius Longinus Judææ præficitur. 263. 9.
Cathedræ Apostolorum servatæ. 235. 2. Quo honore habitæ. *ibid.* De varia Cathedræ significatione. *ibid.* 3. Materia, & forma. 236. 4.
Catholicus ab hæretico quo signo dignoscendus. 239. 6.
Chrismatis unctio in confirmatione adhibita. 115. 6.
Christianorum pompa funebris 99. 16. & seq. Crimina eisdem apposita. 131. 26. Eo nomine ubi primum Fideles appellati. 207. 1. Vario nomine noncupati. *ibid.* 2. Nomen Christiani ab Apostolis

ſtolis derivatum. 208. 2. Aliquando Chriſtiani, & Fratres. *ibid.* 3. a Judæis Nazareni appellantur. 209. 4. Vocantur etiam Catholici. 210. 5. Claudii edicto Roma ejecti. 289. 1.
Ciceronis eloquentia Catilinæ conjuratio diſſipatur. 36.
Circumciſio inſtituitur. 7. Gentiles ab ea liberati. 294. 6. & 7.
Claudius Druſi filius Cajo ſuccedit. 210. 7. ejus edictum pro Judæis Alex. 211. 9. Alterum pro eiſdem edictum. 212. 10. Conjuratio adverſus illum detecta. 233. 18. Portum ad Oſtia Tiberina ædificat. *ibid.* 19. de Britannis Triumphat. 247. 13. Plurima feſta, & ferias abrogat. *ibid.* Anno 4. ejus Imperii adimpletur Agabi propbetia. 248. 1. ſolis deliquium populo nunciat. 263. 10. Aſinii Galli conſpiratio. 268. 5. Ludos ſæculares celebrat. 280. 11. Cenſum agit. 287. 5. Chriſtianos & Judæos Roma ejicit. 289. 1. Nuptias cum Agrippina celebrat. 290. 3. Neronem adoptat. 302. 16. ab Agrippina veneno ſublatus. 349. 3. Inter Deos relatus. *ibid.*
Cleopatræ indignatio, ac inſidiæ in maritum, & filios. 34.
Clerici, Monachi, & Epiſcopi Apoſtolorum exemplo manuum labori vacant. 332. 18. Ordinationes Clericorum a Deo inſtitutæ, inter Sacramenta recenſentur. 252. 6. Earum ritus, & tempora. *ibid.* 7.
Collectæ Antiochiæ factæ pro Chriſtianis. 248. 2. In Eccleſia fieri ſolitæ. 249. 3. Etiam ab invitis exactæ. *ibid.*
Communicatio cum Rom. Eccleſia Catholicum probat. 239. 6.
Concilium Hieroſolym. ab Apoſtolis celebratum. 291. 1. Quo anno. 292. 3. Quis Concilii Præſes. 293. 5. Qua de cauſa celebratum. *ibid.* Quis auctor de Circumciſione ſervanda. 294. 7. Decreta Synodi, & Canones. Gentiles a neceſſitate circumciſionis liberati. *ibid.* 6. & 7. a contaminationibus Idolorum abſtinentia præſcribitur. 295. Qua de cauſa id vetitum. *ibid.* Quando immolatis uti licitum. De abſtinentia a ſuffocato, & ſanguine. 296. 9. & 297. 10. Qua de cauſa id ſtatutum. *ibid.* quandiu ea abſtinentia viguerit. 298. 11. Fornicatio prohibetur. 299. 12.
Confirmationis qui Ordinarii Miniſtri. 113. 4. *& ſeq.* inter Sacramenta numeratur. 116. 7. illius effectus. *ibid.* 8.
Conſules Romæ creantur. 22.

Cornelius Centurio . 133. 2. Angelus eidem apparet. 134. 3. a Petro Apoſt. baptizatur. an Cæſareæ fuerit Epiſcopus. *ibid.* ejus Domus in Eccleſiam converſa. *ibid.*
Cumanus Præſes Judæos caſtigat, plurimoſque occidit. 288. 6.
Cuſpius Fadus Syriæ Præſes. 255. 10.
Cyrus univerſum tenet Orientem. 21. poſt ejus mortem Cambyſes filius. *ibid.*

D

Daniel captivus. 19. Hebdomades Danielis quomodo numerentur. 21. unde incipiant. 24. Prophetia de Chriſti Adventu. 41.
Darius Codomanus ſuccedit Arſeni. 26.
Darius Hiſtaſpis filius, ſive Aſſuerus in lib. Eſtheræ memoratus. 21. illi ſuccedit Xerxes. 23.
David loco Saulis Rex inungitur. 12.
Defunctorum commemoratio, & anniverſaria. 99. 16. *& ſeq.* pro preces, & ſacrificia offerebantur. 101. 19.
Dejoces, qui & Arphaxad, primus Medorum Rex. 18.
Demetrius totam Syriam occupat. 32.
Deus cælum, & terram, deinde hominem creat. 5.
Diaconiſſarum inſtitutio. 91. 6. Officia. 92. 7. an illis manus imponerentur. 93. 8.
Diaconorum ſeptem electio. 87. 2. Rom. Eccleſia ſeptem habuit. 88. 3. eorum Officia. 88. 4.
Diluvio homines pereunt præter Noemum, & ejus familiam. 5.
Diodorus cognomento Triphon. 32.
Druſi Cæſaris mores. 56. a Sejano veneno ſublatus. 58.
Druſillæ, & Juliæ nuptiæ. 110. 27.

E

Eccleſia cum Adamo orta. 2.
Eleazarus Summus Pontifex ungitur. 10.
Elias in Cælum raptus. 14. Eidem Liber Apocalypſis falſo tribuitus. 189. 35.
Eliodorus ab Angelo flagellatur. 26.
Eliſeus ſuccedit Eliæ. 14.
Epiſcopi ordinarii Miniſtri Sacramenti Confirmationis. 113. 4. *& ſeq.* Ordo Epiſcoporum in Rom. Eccl. a B. Petro incipit. 222. 10. Apoſtolorum exemplo manuum labori vacant. 332. 18.
Eſaiæ Vaticinium de Templi reædificatione adimpletur. 21.
Eſdras Sacerdos, & Scriba. 24. & 25.
Eſtheræ hiſtoria quo tempore. acci-

accideriť. 22.
Evangelium cur alibi citius, aut tardius prædicatum. 171. 11.
Evilmerodachus ſuccedit Nabucodonoſori II. 20. huic Nerigliſſor. *ibid.*
Eunuchus obviam Philippo factus. 122. 15. utrum Judæus fuerit, vel Proſelytus. *ibid.* 16. a Philippo baptizatur. 123. 17. Ætiopibus prædicat Evangelium. *ibid.* 18.
Evodius an Petro Apoſt. in Antiochena Eccleſia Succeſſor fuerit. 241. 7.
Ezechiel cum Daniele Babylonem perductus. 19.

F

Fames graſſatur per Orbem. 248. 1.
Fidelium primorum mores. 70. 2. Bonis renunciant. 75. 8. eorum diſperſio. 111. 2. Antiochiæ augentur. 207. 1. Chriſtiani vocantur. *ibid.*
Filii Dei qui intelligantur. 5. Qui filii hominum. *ibid.*
Flacci Præſidis in Agrippam contumeliæ. 152. 5. ejus crudelitas in Judæos. 153. 6. *& ſeq.* Exilium, & obitus. 157. 10.
Fornicatio Apoſtolico Concilio vetita, 299. 12.
Funeris pompa, ſepultura &c. Vide *Cadaverum cura*.

G

Gallio Aſiæ Proconſul quis fuerit. 335. 2.
Gallis quo tempore Evangelium prædicatum. 271. 2. Apoſtolorum ævo probabilius. 272. 4. Launoi objectiones ſolvuntur. 275. 4. Sulpicii Severi, & Gregorii Turon. Teſtimonia explicantur. *ibid.*
Gamalielis ad Judæos conſilium. 80. 15. an Chriſtianus fuerit. 81. 16.
Gazophilacia Eccleſiæ. 249. 3.
Gentes in Eccleſiam admittuntur. 134. 3. earum mores in melius mutantur. 173. 12. a neceſſitate Circumciſionis liberantur. 294. 6. & 7. a contaminationibus Idolorum, & a ſuffocato, & ſanguine abſtineri jubentur. 295. 96. 97. 8. 9. 10. Qua de cauſa id ſtatutum. *ibid.* Quandiu ea abſtinentia viguerit. 298. 11.
Germanici triumphus de Germanis. 56. Res Armeniæ componit. 57. Illius obitus. *ibid.* Cineres Romam delati. 58.

H

Hæreticorum argumenta, quibus Petri Adventus Romam impugnatur. 223. 11. ſolvuntur. 224. 225. 12.
Hebdomadarum Danielis numeratio. 21. & 24.

Hebræ-

Hebræi in deſerto moriuntur. 10. Terram Chanaam occupant, ob idolatriam in manus inimicorum traduntur. 11. illorum Judices *ibid.* ex eis qui Græci dicerentur. 87. 1. aut Libertini. 96. 11. Vide *Judæi*.
Helena Regina, & Izates filius Hieroſolymam veniunt. 268. 7. Eorum eleemoſinæ erga egenos. *ibid.* utrum fuerint Chriſtiani. 269. 8. Judæi fuerunt. 269. 8. 9. Eorum ſepulcrum. 270. 10.
Heli Hebræorum Pontifex. 12.
Henoch Jaredi filius. 5.
Herodes Infantes jubet occidere. 47. an etiam proprium filium. 48. ejus dies ultimus ut feſtus a Judæis celebratur. *ibid.* Regnum inter filios dividitur. *ibid.*
Herodes Antipa Tiberiadem ædificat. 58. Joannem Baptiſtam interficit. 63. ejus exercitus profligatur. 145. 9. Romam navigat. 158. 2. Regno privatur, ac relegatur. *ibid.*
Herodes Agrippa Ariſtoboli filius. 146. 10. Vide. *Agrippa.*
Herodes Rex Chalcidis, Agrippæ ſuccedit. Jus in Templum, & Sacerdotes eligendi obtinet. 256. 11. Stolæ Pontificiæ cuſtodiam a Claudio Judæis impetrat. 263. 9. Illius obitus. 288. 6.
Hierarchia Eccleſ. juxta Imperii diviſionem ſtatuta. 140. 3.
Hieruſalem cum Templo deſtruitur. 19. Denuo reſtaurantur. 24.
Hircanus Vide *Joannes Hircanus*.
Hiſpaniis quando Evangelium fuerit prædicatum. 276. 5.
Holofernes a Juditha occiſus. 18.
Horæ Canonicæ Apoſt. traditione inductæ. 71. 5. Immerito a novatoribus reprobatæ. 73. 5.
Hyppocriſis in Anania, & Zaphira. 76. 10.

J

Jacob duodecim Patriarchas generat, ſingulis eventura prædicit, in Ægypto moritur. 8. Illius prophetia de Chriſti adventu. 38.
Jacobus ordinatur Epiſcopus Hieroſolym. 107. 23. Quis fuerit. 109. 24. Cur Frater Domini dicatur. *ibid.* 25. Ubinam prædicaverit. 182. 23. An duo, vel tres Jacobi Apoſtoli. 183. 24. Zebedæi filius ab Herode occiditur. 214. 1. an idem Hiſpanis prædicaverit. 215. 2. Quo anno Martyrio occubuerit. 216. 3.
Jeremias inſignis Propheta. 19.
Jeroboam ſuper decem Tribubus Rex conſtituitur. 13.

Jeroboam II. 15.
Jeſus Chriſtus quo anno natus. 43. ubi, & quo die. 45. Circumciditur, a Magis adoratur, in Templo præſentatur, in Ægyptum transfertur. 46. Ex Ægypto in Judæam tranſportatur. 48. in Templo a Parentibus invenitur. 53. a Joanne baptizatur. 61. Primo Petrum, & Andream vocat. 62. celebrat primum Paſcha. *ibid.* Secundum J. C. Paſcha. 63. Apoſtolos eligit. *ibid.* Tertium Paſcha celebrat. 64. Bis turbas paſcit in deſerto. *ibid.* in Monte transfiguratur. 65. Quartum Paſcha, quo, ipſe immolatur. 66. an epiſtolam miſerit ad Abgarum. 192. 38.
Ignatius, an Evodius Petri Apoſt. in Antiochena Eccleſia ſucceſſor fuerit. 241. 7.
Indiis an Apoſtoli prædicaverint. 181. 21.
Infantium cædes. 46.
Interpretes ſeptuaginta, eorumque verſio. 28.
Joannes Hircanus Simonis filius in Pontificatu ſucceſſor. 33. cui ſuccedit Ariſtobulus. 34.
Joannes Baptiſta in utero exultat. 45. in deſerto prædicat pœnitentiam. 60. ab Herode decollatur. 62. & 64.
Joannis Apoſtolatus in Aſia. 175. 15.
Joas Ochoziæ filius, Jojadæ opera in paternum regnum reſtituitur. 15. Amaſiam hæredem relinquit. *ibid.*
Job quo tempore vixit. 9.
Jonathas Judæ fratri ſuccedit. 30.
Jonathas ſummus Judæorum Sacerdos Felicis Præſidis dolo interficitur. 350. 5.
Jonas Propheta quando vixit. 15.
Joramus Regnum Judæ obtinet. 14. huic ſuccedit Ochozias. *ibid.*
Joſeph Ægypto præficitur. 38.
Joſeph Cognominatus Barnabas quis fuerit. 75. 8. Reliqua Vide. *S. Barnabas.*
Joſephus Hebræus hiſtoricus naſcitur. 150. 7.
Joſias octennis ad Imperium evehitur, 18.
Joſue poſt Moiſem populi ductor. 11.
Iris datur in ſignum fœderis. 6.
Iſaac ſacrificio deſtinatur, Rachelem ducit, Jacobum benedicit. 8.
Iſaias Propheta. 15. Liber eidem falſo tributus. 189. 35.
Iſmael Abrami, & Agaræ filius. 7.
Iſmael Judæorum Sacerdos poſt Jonatham. 351. 6.
Iſraelitarum unde nomen. 8. Regnum dividitur. 13. In captivitatem ducti. 17.
Judaica Reſpublica deſtruitur. 39.
Judas Galilæus Judæos ad rebellionem excitat. 52.

Judas Machabæus occidit Antiochum Eupatorem. 30.
Judas Thaddæus, ejus Apoſtolatus. 183. 26.
Judæa a Latronibus, & cædibus vaſtatur. 350 5.
Judæi a quo denominati. 8. eos inter, & Samaritanos litium origo. 18. inter eoſdem magna excitatur ſeditio. 31. Babylonem trasferuntur. 19. a captivitate liberantur. 21. Eorum Regnum cum Sacerdotio junctum. 33. Qua de cauſa Meſſiam non cognoverint. 40. Poſt Chriſti Adventum fruſtra tentant Templum reædificare. 42. Italia pulſi. 57. quinque millia Chriſto credunt. 73. 6. Perſecutio Judæorum in Chriſtianos. 110. 1. in Eccleſiam calumniæ. 131. 25. illis a Vitellio traditur Stola. 136. 5. Eorum Synagogæ Alexandriæ deſtruuntur. 153. 6. erectis ſtatuis violantur. *ibid.* eorum variæ calamitates. 154. 7. fame, & cæde pereunt. *ibid.* flagris cæduntur. 155. 8. diebus feſtis crucifixi. 156. 9. ubique afflicti. 206. 55. Romæ cohibiti. 212. 10. adverſus Rom. milites ſeditionem excitant. 288. 6. a Cumano Præſide caſtigantur. *ibid.* Claudii edicto Roma expulſi. 289. 1. illotum Apoſtolus B. Petrus eligitur. 295. 7. eorum Apoſtolatus nobilior. 300. 14. cum Samaritanis digladiantur. 311. 9. Qua de cauſa .. *ibid.* Fontificum, & Sacerdotum diſſidia. 351. 6. Ægyptium Impoſtorem ſequuntur ab eo decepti. *ibid.* a Felice Præſide occiduntur. *ibid.*
Julia Auguſti filia in exilium relegatur. 49.
Junii Silani mors, & Narciſi liberti. 350. 4.
Juſti ab origine mundi, per Jeſum Chriſtum æternam ſalutem ſunt conſequuti. 3.
Izates Helenæ filius. Vide *Helena*.

L

Lex a Deo per Moyſen data. 10.
Lex Romanorum de Deorum conſecratione. 83. 18.
Libertini inter Hebræos qui dicantur. 96. 11.
Liviæ Tiberii Matris obitus. 62.
Lothus ab incendio liberatur. 8.
Lucii Cæſaris obitus. 50.
Ludi Sæculares Claudii juſſu celebrantur. 280. 11. eorum origo, *ibid.* quo ritu celebrati. 282. 12.
Lydia Purpuraria Chriſto credit. 321. 7.

M

Macedoniorum Regnum a Romanis extinctum. 30.
Machabæorum victoriæ. ibid.
Magi Jesu Christo munera offerunt. 46.
Manahemus in Israelitarum Regno confirmatus. 16.
Manasses Patri succedit. 17.
Marcus Romæ Evangelium scribit. 256. 1. an de mandato Petri Apost. ibid. qua methodo illud scripserit. 257. 2. quo tempore. 258. 3. Græce, an latine. ibid. 4. an ex 70. Discipulis fuerit, vel idem cum altero Marco Barnabæ consobrino. 260. 5. cur interpres Petri dicatur. ibid. 6. Alexandriæ Evangelium prædicat. 284. 1.
Maria V. ab Angelo nuntiata. 44. Invisit Elisabetham. 45. in cælum assumitur. 284. 2. quo loco obierit. 285. 3. Ephesi obiisse verosimile. 286. 4.
Maria Magdalena cum Lazaro, & aliis an Marsiliam appulerit. 112. 3.
Mariamne, Archelao relicto, Demetrio Alexi nubit. 347. 13.
Martyrum reliquiæ. Vide *Reliquiarum usus*.
Matthæus Evangelium scribit. 164. 1. qua lingua. ibid. 2. de illius in Græcum versione. 165. 3. Æthiopibus prædicat. 182. 22.
Matthiæ Apostolatus. 184. 27.
Medorum Regni initium, & incrementum. 16. & 20.
Melchisedech panem & vinum Deo offert. 7.
Mendacii pœna. 76. 10.
Messalinæ turpidines. 248. 14. ejus avaritia. 280. 10. Interitus. 287. 5. Memoria damnatur. ibid.
Messiæ expectatio, temporis plenitudo comprobata. 38. & seq.
Ministerii quotidiani nomine quid intelligatur. 87. 2.
Mortuorum exequiæ. 99. 16. & seq.
Moyses ab aquis Nili liberatur. omni Ægyptiorum sapientia informatur. Aulæ Regiæ delicias spernit. Hebræos ex Ægypto educit. 9. Legem accipit; & populo tradit, moritur. 10.
Mundi ætas prima. 5. Secunda. 6. Tertia. 7. Quarta. 10. Quinta. 13. Sexta. 19.

N

Nabopolassar Pater Nabucodonosoris II. 19.
Nabucodonosor, qui & Saosduchinus. 28. ejus Regnum occupat Nabopolassar. ibid.
Nabucodonosor II. 19. ob superbiam a Deo percussus. ibid. ei succedit Evilmerodachus. 20.
Neriglissor Evilmerodachum occidit. ibid.
Neronis ortus. 150. 7. a Claudio

dio Imp. adoptatur . 302. 16. Virili toga induitur, Proconſulari Imperio ornatur, Conſul deſtinatur . 311. 6. Octaviam uxorem ducit. 347. 12. eloquentiæ ſtudet . *ibid.* Imperator dictus . 349. 3. Imperii initio clemens. *ibid.* Agrippam Judæorum Regem quatuor Civitatibus donat. *ibid.* in Judæos propenſior. *ibid.* ejus libido, & crudelitas . 365. 13. Brittannicum veneno enecat . *ibid.*

Nervus, quo reorum pedes vinciebantur . 323. 9.

Noe poſt diluvium Deo ſacrificat . 6. ejus filii univerſam terram inter ſe partiuntur. 6.

Novatores immerito horas canonicas reprobant . 73. 5.

O

Ochozias ſuccedit Joramo. 14. ei filius Joas a Joſaba liberatus . 15.

Ochus ſucceſſor Artaxerſis . veneno a Bagoa ſublatus. 26. Patrem excipit Arſen filius natu minimus . *ibid.*

Octavius Cæſar primus Romanorum Imperator . 37.

Olympiadum origo . 16.

Onias Eliodorum Seminecem liberat . 29.

Orbis deſcriptio juſſu Auguſti Cæſaris facta . 45. ſecunda deſcriptio . 52.

Ordinationes Clericorum a Deo inſtitutæ, inter Sacramenta recenſentur . 252. 6. earum ritus, & tempora . *ibid.* 7.

Ordines Sacri quibus conferendi . 251. 5.

Ordinum inferiorum gradus . 90. 5.

Oſee Propheta quando vixit . 15.

Oſias aliter Azarias Amaſiæ filius, & ſucceſſor . *ibid.*

Oſculi Sancti uſus, & antiquitas . 245. 11. & 12.

Ovidius Poeta in Pontum relegatus . 53. anno exilii nono obit . 57.

P

Patriarchales Sedes quæ fuerint . 144. 5.

S. Paulus, qui prius Saulus . 125. 19. de ejus Patria. *ibid.* 20. quo anno vocatus . *ibid.* cur Pauli nomine appellatus . 126. 21. Illius converſio . 128. 22. Damaſcum proficiſcens J. C. videt . 199. 23. an tunc fuerit ad tertium Cælum raptus . *ibid.* ad eum mittitur Ananias . 130. 24. Eccleſias viſitat . 133. 1. ejus miracula . *ibid.* evangelium Antiochiæ prædicat. 137. 1. Judæorum inſidias devitat . 147. 2. qua de cauſa Petrum Apoſt. adierit . 148. 3. Tarſi evangelizat . 158. 1. Scripta ejus nomine ſuppoſita . 188.

34. cum Barnaba ordinatus. 250. 4. ad Cælum raptus. 254. 8. ejus inter in Cyprum. 261. 7. Antiochiæ Pisidiæ Judæos conteſtatus ad Gentiles tranſit. 262. 8. inde exiens pulverem de pedibus excutit. *ibid.* Iconii quid paſſus ſit. 264. 1. an in Hiſpaniam prædicaverit. 276. 5. variæ ea de re opiniones. 277. 6. de eo itinere nil certi habetur. 279. 6. Lyſtris ut Deus colitur. *ibid.* 7. a Lyſtrenſibus lapidatur. 280. 8. de Circumciſionis quæſtione privatim cum Apoſtolis agit. 292. 4. Gentium Apoſtolus a Concilio Apoſtolor. deſtinatur. 295. 7. quo ſenſu gentium Apoſtolus dicatur. 299. 12. & 301. 15. S. Petrum Apoſt. reprehendit. 302. 1. a Barnaba ſejungitur, qua de cauſa. 314. 1. Timotheum circumcidit. 319. 4. qua de cauſa id egerit. *ibid.* divina revelatione admonitus in Macedoniam tranſit. 320. 5. Philippis prædicat. 321. 7. in domo Lydiæ Purpurariæ divertit. *ibid.* e Pythoniſſa Dæmonem ejicit. 322. 8. flagellis Liddæ ſubditur, cum Sila in carcerem conjicitur, ejus pedes nervo vinciuntur. *ibid.* Divinitus e Carcere liberatur. 323. 10. Theſſalonicæ Evangelium prædicat. 324. 11. quomodo a Theſſalonicenſibus exceptus. *ibid.* quæ ibi ſuſtinuerit. *ibid.* Pergem tranſit. Inde Athenas. Areopago ſiſtitur. 326. 12. ejus oratio in Areopago. 328. 14. Timotheum Theſſalonicam mittit. 330. 17. Corinthum divertit. *ibid.* apud Aquilam, & Priſcillam moratur. *ibid.* Scenofactoriam artem exercet, manuum labore victum ſibi comparat. *ibid.* illius geſta Corinthi. 335. 1. coram Gallione Proconſule adductus, quæ ſuſtinuerit. *ibid.* & 336. 3. ad Theſſalonicenſes Epiſtolas duas ſcribit. 346. 11. quo tempore, & ubi eas ſcripſerit. *ibid.* Cenchris votum Nazareatus adimplet. 348. 1. ejus iter in Syriam, & Galatiam. *ibid.* 2. Epheſo per triennium moratur. 351. 1. quid interſit inter Baptiſma Joannis, & Chriſti diſcipulos docet. 352. 2. in Schola Tyranni Fideles congregat. *ibid.* cum beſtiis pugnat. *ibid.* quid ea pugna Apoſtolus deſignaverit. *ibid.* a Judæis perſecutiones ſuſtinet. 353. 2. miracula Epheſi patrata. *ibid.* 3. ejus Sudaria, & ſemicinctia curandis languoribus adhibita. *ibid.* Epheſi ad Galatas ſcribit. 364. 11. qua de cauſa. *ibid.*

Petri Primatus oſtenditur. 64. vindicatur. 237. 5. cum

Joanne in carcerem conjicitur. 73. 6. Concio ad Judæos in Concilio congregatos. 74. 7. in patrandis miraculis prærogativa. 78. 13. an alii præter Petrum infirmos umbra sanaverint. 79. 14. Ecclesias visitat. 133. 1. alia miracula. *ibid.* a Deo monitus gentes in Ecclesiam admittit. 134. 3. ea de re ad Ecclesiam rationem reddit. 147. 1. Ecclesiam Antiochenam fundavit. 137. 1. Objectiones solvuntur. 138. 2. per varias Provincias evangelizat. 150. 1. ejus nomine scripta supposita. 188. 33. iterum in carcerem conjectus. 214. 1. ab Angelo liberatur. 216. 4. invisit suos. 218. 5. relicta Judæa Romam pergit. Episcopos in Oriente ordinat. *ibid.* 6. illius Romam adventus. 219. 7. de ejus Romano itinere veterum testimonia. *ibid.* 8. alii testes hujus traditionis. 220. 9. Hæreticorum argumenta, solvuntur. 223. 11. Salmasii argumentum diluitur. 225. 12. Victoria contra Simonem Magum. 229. 16. Sedem Pontificiam Romæ erigit. 234. 1. de ejus prima Epistola, unde scripta. 242. 8. Babylonis nomine Romam designavit. *ibid.* quibus eam inscripserit. 245. 10. an eam Græce, vel hebraice scripserit. 247. 12. ejus opera Evangelium in Occidentales provincias propagatum. 270. 1. Concilio Hierosolym. præest. 293. 5. Judæorum Apostolus eligitur. 295. quo sensu Judæorum Apostolus dicatur. 299. 13. Judæorum Apostolatus nobilior. 300. 14. a Paulo reprehensus. 302. 1. & 303. 3. an idem ac Cephas. 303. 3. an peccaverit. 304. 4. S. Hieronymi, & Baronis sententia. *ibid.* 6. Reprehensibilem fuisse Patres tradunt. 309. 7. Ephesо Evangelium prædicat. 365. 12.

Petronius in Syriæ Præfectura Vitellio succedit. 160. 4. Caii statuam in Templo locare jussus maturius agit. 162. 9. ejus Exhortatio ad Judæorum Magistratus. 197. 44. quid Judæi ad eumdem. 198. 45.

Philippus Apost. ad Eunuchum missus. 122. 15. illum baptizat. 123. 17. de ejus filiabus. 178. 18. & gestis. 19.

Philippus Macedonum Rex. 26. ei succedit Alexander. *ibid.*

Philippus Tetrarcha Cæsaream, & Juliadem instaurat. 59. ejus obitus, & elogium. 136. 6.

Philo Judæus qualis fuerit. 206. 54.

Phinees Eleazaro succedit. 10.

Phulus, sive Pulus Assyriæ Rex 16.

Pi-

Pilatus. Vide *Pontius Pilatus*.
Planctus Magnus quid significet. 99. 15.
Pompei gesta. 36. ejus dissidia cum Cæsare 37.
Pontius Pilatus Judææ Procurator. 59. illius mores. *ibid.* acta, & Epistola ad Tiberium. 82. 18. & 85. 19. Samaritanos clade afficit. 145. 8. Romam mittitur. *ibid.* in Galliis relegatus se interimit. 160. 3.
Ptolomæus Philometor pater Cleopatræ. 31.
Purgatorium extare ex Ecclesiæ traditione constat. 104. 21. quo loco, aut pœnarum genere purgentur animæ. *ibid.*
Pyrrhus Epirotarum Rex a Muliere occisus. 28.

Q

Quirinus in Judæa censum agit. 45. illius obitus. 58.

R

Regnorum diversorum origines. 6.
Reliquiarum usus ab Apostolo comprobatus. 354. 4. Ephesiorum, aliorumque exemplis confirmatur. *ibid.* ab hæreticorum objectionibus vindicatur. 355. 4. & 363. 10. Vela, & Linea Sanctorum sepulchris admota curandis morbis adhibita. 356. 5. eadem virtus ex oleo Lampadarum ad Martyrum Sepulchra appensarum. 357. 6. Martyrum reliquiæ in partes divisæ. Qua de causa. 358. 7. fidelium sollicitudo in colligendis Martyrum reliquiis. *ibid.* 8. quo cultu haberentur. *ibid.* sub Altaribus reconditæ. 361. 9.
Roboam Tribui Judæ, & Benjamini præficitur. 13. cui succedit Abia *ibid.*
Roma conditur. 16. a Gallis vastatur. 26. Romanæ Reipublicæ mutatur forma. 24. variæ Victoriæ Romanorum. 27. & 35. de Deorum consecratione Romanorum lex. 83. 18. Imperii Romani, seu Provinciarum divisio. 141. 4. incendio, & Tiberis inundatione vastatur. 144. 6. fame vexatur an. 2. Claudii Imp. 233. 19. iterum an. 4. 248. 1. Romanæ Sedis institutio. 234. 1. Romanæ Ecclesiæ Primatus, & privilegia. 237. 5. Roma Babylon dicta, 242. 8. ab Ecclesia Romana distincta. 244. 9.

S

Sacerdotium nemo, nisi a Deo vocatus, assumere debet. 251. 5.
Sacrificia pro fidelibus defunctis oblata. 101. 19. Patrum de ea con-

conſenſio. 102. 20.
Salamon Davidi ſuccedit. 12. Hieroſolymorum Templum ædificat. 13. ejus pœnitentia incerta. *ibid.*
Salmanaſar Iſraelitas captivos ducit. 17.
Salutatio in oſculo ſancto. 245. 11. quando fideles ab eo abſtinerent. 246. 12.
Samaritani a Leonibus infeſtati. 18. ſuſcipiunt Evangelium. 113. 4.
Samaritarum Templum qua de cauſa ædificatum, 26.
Samuel Propheta, & Judicum poſtremus. 12.
Sanctorum Reliquiæ. Vide *Reliquiarum uſus*.
Saoiduchinus, qui Nabucodonoſor dictus. 18.
Saphiræ, & Ananiæ ſupplicium. 75 9. & 76. 10.
Saul Judæorum Rex. 12.
Saulus vide Paulus.
Scripturæ Sacræ, & Patrum lectio commendatur. *ibid.* 18. earum ſenſus ab Eccleſia petendus. 345. 10.
Sejanus cum multis aliis a Tiberio occiſus. 65.
Seleucus Antiochi Magni filius. 29. ei ſuccedit frater Antiochus Epiphanes. 30.
Semicinctia & Sudaria Pauli, quid eſſent. 353. 3.
Sennacheribus ſuccedit Salmanaſſaro. 17. cum Exercitu ab Angelo perculſus. *ibid.*
Sergius Paulus credit Evangelio. 261. 7. cur dicatur Proconſul. *ibid.*
Servius Tullius Cenſum inſtituit. 20.
Seſacus, qui & Seſoſtris, Rex Ægypti. 13.
Sicyoniorum Regni initium. 6.
Simon Machabeus Judæos a Gentilium jugo liberat. 32.
Simon, qui & Zelotes, ejus Apoſtolatus. 183. 25.
Simon Magus ſuſcipit Baptiſmum. 113. 4. offert Petro Apoſt. pecuniam. 117. 9. quis, & unde fuerit. *ibid.* 10. ejus præſtigia. 119. 11. errores. 120. 12. Helena ejus uxor. 13. ejuſdem diſcipuli. 121. 14. præſtigiis Romanos decipit. 226. 13. eidem a Romanis Statua erigitur. 227. 14. fruſtra id impugnatur. 228. 15. de illius volatu, & lapſu Patrum teſtimonia. 231. 17.
Sodoma, Gomorra, Adama, & Seboim igne & ſulphure extinguuntur. 7.
Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit. 69. 1.
S. Stephanus quo anno, & die Martyrium ſubierit. 95. 9. Judæorum in eum inſidiæ. *ibid.* 10. Oratio coram Synedrio. 96. 12. Martyrium. 97. 13. Miracula. *ibid.* 14. Sepultura. 98. 15.
Symboli Apoſt. conſtitutio, ejuſque etymologia. 166. 5. quid ſignificet. 168. 8. ejus uſus.

uſus. 170. 10.

T

Tarquinius Priſcus Romanorum Rex. 20. ei ſuccedit Servius Tullius *ibid.*
Thaddæi, qui & Judas, Apoſtolatus. 183. 26.
Thare ætas, & obitus. 7.
Theclæ converſio ad fidem, ejuſque acta. 264. 2. SS. Patrum elogia. 265. 3. Sponſum relinquit. *ibid.* ab eo accuſata damnatur. *ibid.* Leones ſuperat. *ibid.* an vitam Martyrio finierit. 267. 4.
Theodas Judæus, & Seductor. 80. 15. & 81. 17.
Theudas impoſtor a Fado occiditur. 268. 6. duo Theodæ diſtinguendi. *ibid.*
Thomæ Apoſt. prædicatio. 179. 20. an in India prædicaverit. *ibid.*
Tiberius Concordiæ Templum dedicat. 54. Proconſulare Imperium eidem collatum. *ibid.* ejus Imperii epocha. *ibid.* & 60. Triumphus de Germanis. 55. geſta. 85. 19. Romani Senatus in illum adulatio. 86. 21. ejus crudelitas. 110. 26. & 132. 27. ejus obitus. 149. 4.
Timotheus a Paulo Apoſt. circumciſus. 319. 4. qua de cauſa. *ibid.*
Traditionibus Apoſtoli ſuffragantur. 337. 4. Jure ſcripto antiquiores; & potiores. ſunt, 338. 5. & 341. 8. diverſa Traditionum genera. 339. 6. iiſdem fruſtra Hæretici adverſantur. *ibid.* 7. SS. Patres uſum traditionum commendant. 342. 9. Nonnulla, quæ Eccleſiæ fidem, ritus, & diſciplinam ſpectant, Traditionibus tantum innituntur. 341. 8. earum uſus, & auctoritas. 345. 10.
Tribuni Plebis Romæ creantur. 22.
Thriphonis, ſive Diodori inſidiæ. 32.
Troja incenditur. 11.
Turris Babylonica ædificatur. linguæ confunduntur. Homines per Orbem diſpergunter. 6.

V

Vibius Marſus Præfectus Syriæ Petronio ſuccedit. 234. 20.
Vitellius Syriæ Proconſul ſtolam Judæis tradit. 136. 5. a Cajo in Urbem revocatur. 160. 4.

X

Xerſes Darii filius, & ſucceſſor. 23.

Za-

Z

Zacharias Propheta Jojadæ filius a Joade occisus. 15.

Zachariæ Sacerdoti Gabriel Angelus apparet & filium ex Elisabetha suscipiendum nunciat. 44.

ERRATA. CORRIGE.

Pag. 89.	Poculo	Pocula
97.	Lapidavetus est	Lapidatus est
130.	Habitatem	Habitantem
133.	Et pertransiendo	Et pertranseundo. 1.
136.	Habuerint	Habuerunt.

A. SALVAREZZA
RESTAURO
Via A. Corvi n. 5
tel. 68.57.07

Digitized by Google